

S. M. Z. N. 26.

repraesentat, repraesentat, ut ab alio
 expraessum formaliter. Probatur in
 pro signo praedicto, Verbum non re-
 praesentat, ut ab alio expraessum for-
 maliter, Ratio est, quia modus repraesentandi postulat
 a Verbo esse repraesentatorem, eo ordi-
 ne, quo sunt in scientia Patris, quod
 non videtur sub dubio cadere posse.
 Sed ultra impugnationes alias
 aliter (si fallor) impugnat valere vira-
 que solutio III. Godoy, nempe, aliter
 formando nostram probationem, &
 in probatione aliter efformata vira-
 que respotionem amplectendo, quod
 hic factio: ut Verbum repraesentet in-
 sua productione, est repraesentat, id
 expraessum ab alio formaliter, id
 ad quod est terminata scientia Patris
 respectu signi productionis Verbi scilicet
 in Patris non est terminata ad futuram
 sed in enim pro illo signo est termi-
 nabilis ad futura in signo futuritio-
 nis: ergo modus repraesentandi fu-
 turae postulat a Verbo non est ex-
 pressum ab alio formaliter. Nulla
 ergo solutio III. Godoy. Impugna-
 tur denique: modus repraesentandi
 postulat a Verbo, ut Verbum est,
 id est, ratione suae proprietatis perso-
 nalis, est, ut expraessum ab alio for-
 maliter: ergo modus repraesentandi
 postulat a Verbo, non ut Verbum
 est, sed ut ipsi ratione essentiae con-
 veniens, non est ut expraessum forma-
 liter ab alio. Consequentia patet: alio-
 quia idem esset modus repraesentandi
 postulat a Verbo, ut Verbum est, & a
 Verbo non ut Verbum est, quod est
 fallum. Atqui modus repraesentandi
 futura postulat a Verbo, non est
 postulat a Verbo, ut Verbum est,
 sed contra, scilicet, non ut Verbum
 est, seu ut ipsi convenit ratione Essen-
 tiae: ergo modus repraesentandi postu-
 lat a Verbo non est ut ab alio expraessum
 formaliter.

Itaque iuxta has impugnationes
 manifeste apparet, quod diximus
 70. scilicet, modum repraesentandi
 postulat a Verbo esse diversum;
 ea namque, que Patet formaliter cog-
 noscit seu ad que Patet scientia est
 terminata pro signo generationis Ver-
 bi, repraesentat Verbum, ut ab alio
 expraessum formaliter: ea vero, que Pa-
 ter formaliter non cognoscit, seu ad
 que scientia Patris non est terminata

75.

Impug. 5.

Impug. 4.

74.

scu

Denique praedictum, & terminus locutionis Patris
 latio huius in sua doctrina; suppo-
 nit namque, quod Verbum, ut Ver-
 bum, & terminus locutionis Patris
 denique praedictum, & terminus locutionis Patris
 latio huius in sua doctrina; suppo-
 nit namque, quod Verbum, ut Ver-
 bum, & terminus locutionis Patris

98

98-1-1

1.144

Solutio III. God. n. 44. Antic. 77.

Aliter impugnat. 76.

ferenda conclusionem ab ipso statuta,
 de ipsaque dicere valeo, quod quam-
 vis in omnibus, quae in eius scriptis le-
 gi, subtilitatem semper inveni; hic
 tamen in subtilitate se ipsum excedit.
 Quod autem capere non possum, est,
 in quo sensu ab Ill. Godoy praedicta
 conclusio sit posita? Nam vel inten-
 dit, quod libera terminatio Verbi, re-
 praesentans creaturas futuras, subie-
 quatur esse futurorum, sicque prius
 futura, quam libera terminatio ad ip-
 sa, cognoscantur, & ideo dicat: Ver-
 bum sub conceptu libere terminatio-
 nis repraesentans creaturas futuras par-
 te in quarto modo ex illarum cog-
 nitione procedere? Et hoc modo dice-
 re etiam valet: Verbum Divinum sub
 conceptu libere terminationis reprae-
 sentans creaturas existentes, & pre-
 sentans creaturas futuras, & libera termi-
 nationis cognoscens futura, existentia,
 & praeterita, produci ex cognitione
 illorum, ita, ut illorum cognitio
 exigatur, ut principium Patris sub
 illo conceptu. Quae omnia consona
 non videntur.
 In quocumque itaque sensu pre-
 dictam conclusionem statuat Ill. Go-
 doy, nostram supra positam, & ipsi
 ad veritatem, probo primo: Verbum
 Divinum sub conceptu libere termi-
 nationis repraesentans creaturas fu-
 turas ex illarum cognitione per se in
 quarto modo procedere, vel est,
 quod libera terminatio Verbi, reprae-
 sentans creaturas futuras, subsequatur
 esse futurorum; vel est, quod Ver-
 bum Divinum sub conceptu libere
 terminationis, repraesentans creatu-
 ras futuras producat ex cognitione
 futurorum, ita, ut futurorum cog-
 nitio exigatur ut principium Verbi sub
 praedicto conceptu; sed neutrum modo
 dici valet, Verbum Divinum sub con-
 ceptu libere terminacionis reprae-
 sentans creaturas futuras, ex illarum
 cognitione per se in quarto modo
 procedere: ergo Verbum Divinum
 sub conceptu libere terminacionis re-
 praesentans creaturas futuras, per se
 in quarto modo ex illarum cog-
 nitione non procedit. Dicitur est evi-
 dens. Maior certa; quia nequit in-
 alio sensu conclusionem statueres;
 in his enim sensibus primam con-
 clusionem statuit, quod idem fecit in
 conclusionibus ab ipso statutis *disp. 89.*
 90. Minor vero, in qua potest esse
 difficultas, duplicem habet partem,
 & pro utraque probanda est.
 Probat minor quoad primam
 partem: Verbum Divinum sub con-
 ceptu libere terminacionis, reprae-
 sentans creaturas futuras, per se in
 quarto modo ex illarum cognitione
 procedere, est, quod libera Verbi
 terminatio, repraesentans creaturas
 futuras, subsequatur esse futurorum;
 sed ex eo, quod libera Verbi termina-
 tio, repraesentans creaturas futuras,

37.
 Conclusio
 I. Probat

38.
 Minor
 quoad I.
 part. probatur.

36.

NIHIL TAM OCCULTVM, ET OBSTRVSVM, QVOD


PERSPICAX SCOTI INGENIVM NON PENETRAVERIT, ET E TENEBRIS

QVOD ILLE NON DISSOLVERIT. JOANNES PITSEVS DEREBVS ANGLICIS. Pag. 392



FRUERIT, NIHIL DENIQVE TAM NODOSVM





R. A. P. AC FRATRIS
EMMANVELIS
P E R E Z

D E

QUIROGA,

ORDINIS MINORUM,
REGULARIS OBSERVANTIÆ,

PROVINCIAE

IMMACVLATÆ

CONCEPTIONIS,

LECTORIS BIS IUBILATI, EX-DIFFINITORIS,

PATRIS PROVINCIÆ,

PATRIA VALLIS-OLETANI.

DISPUTATIONES

THEOLOGICÆ,

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

AD MENTEM DOCTORIS SVBTILIS
IOANNIS DUNS SCOTI.

TOMUS TERTIUS.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISSU SUPERIORUM.

VALLIS-OLETI. Ex Typographia Regia, apud viduam
IOSEPHI A RUEDA. Anno 1714.

ANDR. F. ACUTUS
EMMANUELIS

QUORUM

ORDINIS MINORUM

PROVINCIAE

IMMACULATAE

CONCEPTIONIS

PATRIS PROVINCIAM

PATRIA VALLISOLETANAM

THEOLOGICAM

AD MENTEM DOCTORIS SVBILII

TOMUS TERTIUS



Salamancae in Typographia Regia, apud Viduam
Luisae de Paredes, Anno 1714

ILL.^{MO} AC R.^{MO} D. D.

ANDREÆ A SOTO
ET FUENTE,
EX PRÆCLARO OLIM SANCTÆ CRUCIS
COLLEGIO PINCIANO,
EIVSDEMQUE VNIVERSITATIS CATHEDRÆ MODERATORI,
SUPRÆMI TRIBUNALIS INQUISITORI,
ET NUNC MERITISSIMO
BURGI OXOMENSIS EPISCOPO.

AD sacras infulas Antistes Illustrissime propero, sed quoniam, dicente Domino: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, nefas est, vestro se vacuum offerre conspectui, Tholo cælitudinis vestræ litterarium istud nostrum (qualecumque illud sit) manusculum ex animo iucundo suspendimus, & næ *Alcinoos poma damus*;

at tenuis non gloria, siquidem

Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Sed quæ mens nostram agitavit, Vt tantum Præsulem adirem, & præter omnes tantum asciscerem Mæcenatem? plurima sunt, sed pauca loquar;

nam quæ sparguntur in omnes,

In te mixta fluunt, & quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes.

Suprà culmina Ecclesiæ Dei possitus vsquequaque radios tuæ clarissimæ virtutis effundis, & veluti fulgentissimum sydus sapientiæ lumine radias: Oppido præcipuum, & singulare Aaron Summi Sacerdotis à Domino donatum ornamentum rationale iudicij fuit varijs intextum filis, in cuius centro duæ illæ militicæ voces *VRIM*, & *THUMMIM* cælabantur, quodque à superhumerali ad pectus vsquè pendebat: sed quorsum ista? Vt in pectore Summi Sacerdotis *Veritas* elucescat, & *Doctrina*: nam *Vrim*, idest, illuminationes, significabant doctrinam sanctam, quæ est vitæ nostræ lumen; & *Thummim* perfectiones, idest, singularem morum integritatem: :: idèd Dominum iussisse inscribi pectorali, vt admoneretur Summus Sacerdos, oportere, eum esse summa doctrina prædictum, (quæ lumen, & illuminationes in Script. dicitur) & morum summa integritate.

Ecce ergo Illust. Dom. Summi Sacerdotis Iconem varijs tessellatam virtutibus, adeò apprimè in te cœlatam, vt simillimus Aaron in Ecclesia Christi appareas, non tam Veste, quam Virtute, non tam pignore, quam lumine; tua siquidem doctrina morum stipata gravitate, & integritate, sic animos omnium trahit, vel potius ducit (*exasperat enim imperata correctio, blandissime iuvetur exemplo*) vt verè de te dicam: *Rectè facere Princeps cives suos, faciendo docet.*

Atamen cito pede ad illum travolo ardentissimum tuæ devotionis affectum (animæ deliquium dicam) quam erga Virginem semper, & semper ab omni macula immunem, præfers: *Hæc certè non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda.* Siquidem, vt omnes sacræ maiores ordinationes, Sabbatho (vt mos est) conficiendæ, feliciter, & Deo gratæ elucescant, tuum ita prævenis animum, vt sexta cura Fratribus Minoribus nocturnum illud (quod *gloriosa* in Seraphica Familia nuncupatur) in honorem, & laudem Immaculatæ Conceptionis, debotissimè Vesperi decantando concurras. O pia, pijsissimaque debotio, æterno marmore sculpenda! O Antistes Mariane, in quo Purissimæ Conceptionis Angelica ardet devotio, & cuius exemplum in ea laudanda omnium est magnes, vt in puritate ad puri-

Exod. 23. v. 15.

Melch. Neip. in add. ad ep. adag. Eras. Virgil. Geor. 4. v. 6.

Claud. de Laud. stetic. li. 1. v. 33

Exod. 28. v. 15

Vers. Hebr.

Batab. in Schol. hui. cap. n. 22.

Batab. cit. n. 40.

Pacat. paneg. ad Theod. Velley. lib. 3.

S. Max. Hom. 2. de S. Euseb. Ver- cel.

Hug. Cardin. in
cap. 2. Lucae.

tatem glorificandam, accendantur, & cæteri. Meritò de te dicere valeo, quod Cardinalis Hugo de Angelis protulit: *Angeli laudando offerunt formam devotionis.*

Multum hoc; sed deficit multum, quia charitas multifera est sine dubio. Quid ergo de tua charitate enarrem? Sed narrent Minores. Hi enim verè, palamque dicunt, quod toto tempore sacrae ordinationis illis mensam habes paratam & veluti alter Pater hospitalitatis Abraham vitulo civas saginato, & omnis generis obsonij oblectamine de via lassos opiparè ita reficis, vt verè tunc adimpleantur, & adimpleatur verè: *Edent pauperes, & saturabuntur.*

Psal. 21. v. 27.

Ob hæc itaque, & plurima alia, quibus magnanimiter pauperes protegis Apostolicos, debitas iure gratias tibi pro toto Seraphico cætu impendo, & valdè opportunè vniverfa Minorum familia cum Virgilio canoris fidibus ex æterna animi gratitudine intonat.

Virg. Enei. lib. 1.
v. 607.

*In freta dum fluvij current, dum montibus umbræ
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.*

Vltrà hoc tamen, sacris litteris innixus, pro tuæ tenerrimæ devotionis præmio, & ad animæ tuæ solatium pro pignore futuræ gloriæ oraculum S. P. N. Francisco, divina bonitate revelatum, tibi hilaritèr annuntio, & sicut tibi opto, vt tibi proprium confide, esse concessum. Oraculum audi, & audito, absquè dubio gaudebis:

Herold. in epist.
ad annal. Vbad.
ann. 1213.

*Vix ordinis hostibus annos
Vivere dimidios præstabitur, eius amici
Vivent, & vitam concludent sine beato.*

Ad tuam ergo clementissimam, & sæpè sæpius expertam benignitatem accuro:

Ad te confugio, & supplex tua numina posco.

Suscipe igitur Illust. Dom. potius vt debitum, quam vt obsequium, non pro me tantum, sed nomine totius Pauperum ordinis, hunc nostrum extremum de Incarnatione Verbi laborem, tertium (dico) tomum, tot titulis tuo nomini sacrandum; pignus enim est, non muuus, creditum, non donatum: eximium ergo, & strenuum agas Mæcenatem; scio equidem, *quia nullum sine venia placuit ingenium, da mihi quemcumque vis magni nominis virum, dicam quid illi sua ætas ignoraverit, quid in illo sciens dissimulaverit, multos dabo, quibus vitia non nocuerint, plures, quibus profuerint.* Quid igitur de me ipso sentiam, maxime his scripturientibus sæculis, in quibus Aristarchi pullulant, & legentes varij sunt palati, vt de his appositè cecinerit Horatius:

Senec. epist. 113

*Tres mihi convivia propè dissentire videntur,
Poscentes vario nimium diversa palato:
Quid dem? Quid non dem? Renuis tu, quod iubet alter.*

Si enim sub umbra, melius dicam sub lumine tanti Mæcenatis, noster hic qualis qualis labor lucem aspexerit: erit:

Horat. lib. 2. ep.
ad Iul. Flor.

*Ære perreannius,
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.*

Quod spero, fiet, vt opto: Vtinam faxit Deus, vota nostra non cassari, quibus præcipuè Divinam exoramus clementiam, vt incolumen Illustrissimam Dominationem vestram servet, & omnia fauste contingant, atque vitæ vestræ, dextera sit, quæ computet annos ad gloriam suam, & S. M. E. utilitatem.

Horat. lib. 3.
Od. 30.

Ita vovet, & obsecrat,

Illustr. Dominat. Vestr.

Obsequentissimus, & humillimus servus,

Fr. Emmanuel Perez de Quiroga.

I N D E X
DISPUTATIONVM,
ET PARAGRAPHORUM.

Quæ in hoc Tertio Tomo in Tertium Librum Sententiarum continentur.

Littera P. designat Paginam.

TRACTATUS DECIMUS.

De potentia animæ Christi.

DISPUTATIO TRIGESIMA OCTAVA.

An humanitas Christi Domini simpliciter
omnipotens fuerit?

§. Primus.

Omnipotentia simpliciter excluditur ab anima
Christi. *Pag. 1.*

§. II.

Declaratur insufficientia rationis, ab Ill. Godoy
traditæ. *Pag. 3.*

DISPUTATIO XXXIX.

An Christus, ut homo, fecerit miracula,
ut causa principalis moralis?

§. Vnicus.

Quibusdam præsuppositis, vera sententia defen-
ditur. *Pag. 6.*

DISPUTATIO XL.

An humanitas Christi Domini instrumen-
taliter phisicè effectus miraculosos
causaverit?

§. Primus.

Aperitur status difficultatis, referuntur sententiæ,
vera eligitur, & autoritate probatur. *Pag. 10.*

§. II.

Rationibus stabilitur nostra conclusio, destruen-
do fundamentum Ill. Godoy. *Pag. 18.*

§. III.

Probatur conclusio rationibus destruentibus mo-
dum dicendi Ill. Godoy. *Pag. 22.*

§. IV.

Fundamentali ratione probatur nostra conclu-
sio. *Pag. 24.*

§. V.

Triplici alia ratione stabilitur nostra conclu-
sio. *Pag. 29.*

§. VI.

Argumentum Ill. Godoy, ex scriptura deduc-
tum, solvitur. *Pag. 30.*

§. VII.

Argumentum Ill. Godoy, ex Concilio, & Patri-
bus deductum, diluitur. *Pag. 41.*

§. VIII.

Diluitur tertium argumentum Illust. Godoy.
Pag. 47.

§. IX.

Solvitur ultimum argumentum Illust. Godoy.
Pag. 53.

TRACTATUS XI.

De impeccabilitate Christi, & illius mo-
rali perfectione.

DISPUTATIO XLI.

An Christus de potentia absoluta peccare
potuerit, aut esse in peccato?

§. Primus.

Quibusdā præsuppositis, referuntur sententiæ. *P. 57*

§. II.

De peccato habituali gravi. *Pag. 60.*

§. III.

Obiectionibus Ill. Godoy contra primam partem
conclusionis occurritur. *Pag. 67.*

§. IV.

Obiectionibus Ill. Godoy contra secundam par-
tem conclusionis occurritur. *Pag. 69.*

§. V.

De peccato habituali levi. *Pag. 76.*

§. VI.

Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag. 79.*

§. VII.

§. VII.

Actuale peccatum posse in humanitate cū vnione ad Verbum componi, probatur. *Pag. 82.*

§. VIII.

Argumentum Ill. Godoy, ex Patribus desumptum, solvitur. *Pag. 86.*

§. IX.

Argumentum Ill. Godoy, ex Concilio deductum, diluitur. *Pag. 92.*

§. X.

Duplici argumento Illust. Godoy occurritur. *Pag. 94.*

§. XI.

Solvitur tertium argumentum Ill. Godoy, & explicatur: *Quomodo actiones sint suppositorum.* *Pag. 98.*

§. XII.

In sensu diuiso potuisse humanitatem Christi peccare, probatur. *Pag. 115.*

§. XIII.

Christum potuisse de potentia Dei absoluta peccare, probatur. *Pag. 116.*

§. XIV.

Argumenta Ill. Godoy solvuntur. *Pag. 122.*

§. XV.

Scoti Doctrinam immunitem esse ab omni censura, ostenditur. *Pag. 128.*

§. XVI.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag. 131.*

§. Vltimus.

Triplex difficultas, ex dictis emergens, resolvitur. *Pag. 134.*

DISPVATIO XLII.

An in Christo fuerit, vel potuerit esse formes peccati?

§. Primus.

Fornicis essentia explicatur. *Pag. 135.*

§. II.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio. *Pag. 139.*

§. III.

Secunda conclusio statuitur. *Pag. 140.*

§. IV.

De formite quoad essentiam sumpto, prout in actu primo. *Pag. 143.*

§. V.

Quid de potentia absoluta dicendum? *Ibidem.*

§. Vltimus.

Quid de habitu vicioso dicendum? *Pag. 148.*

DISPVATIO XLIII.

An Christus, quatenus homo, potuerit esse moraliter imperfectus transgressione consiliorum?

§. Primus.

Quibusdam præsuppositis, ratio dubitandi proponitur. *Pag. 151.*

§. II.

Relatis sententijs vera eligitur, & probatur. *Pag. 153.*

§. III.

Solutio Ill. Godoy ad rationem dubitandi impugnatur. *Pag. 157.*

§. IV.

Traditur, & defenditur vera rationis dubitandæ solutio. *Pag. 159.*

DISPVATIO XLIV.

An in intellectu humano Christi ignorantia, aut error, esse potuerit?

§. Primus

Præmituntur, quæ apud omnes sunt certa. *Pag. 161.*

§. II.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag. 163.*

§. III.

De iudicio erroneo speculativo, & practico errore. *Pag. 165.*

TRACTATUS XII.

De Merito Christi.

DISPVATIO XLV.

An meritum Christi sit simpliciter infinitum?

§. Primus.

Duobus præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag. 169.*

§. II.

Meritum Christi non esse simpliciter infinitum, defenditur. *Pag. 171.*

§. III.

Alia Scoti ratione probatur conclusio, & solutio Ill. Godoy rejicitur. *Pag. 173.*

§. IV.

Alia probationes pro Scotica conclusione assignantur. *Pag. 175.*

§. V.

Specialibus rationibus probatur nostra conclusio. *Pag. 179.*

§. VI.

Probatur conclusio, destruendo fundamentum Ill. Godoy, ex D. Thom. deductum. *Pag. 184.*

§. VII.

Primum argumentum Ill. Godoy ex autoritate deductum, solvitur. *Pag. 188.*

§. VIII.

Argumentum Ill. Godoy ex autoritate deductum, retorquetur. *Pag. 190.*

§. IX.

Secundo argumento Ill. Godoy occurritur. *Pag. 196.*

§. X.

§. X.

Solvitur tertium argumentum Ill. Godoy, ex D. Thoma deductum. *Pag.* 203.

§. Ultimus.

Infinitas operationum Christi in ratione valoris, & meriti declaratur. *Pag.* 204.

DISPUTATIO XLVI.

An, ut Christus suis meritis Deum ad remunerandum ex iustitia obligaret, promissione, aut peccato indiguerit?

§. Primus.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag.* 206.

§. II.

Sententia affirmativa à nobis, ut probabilior, eligitur. *Pag.* 208.

§. III.

Alia probatio nostræ conclusionis proponitur. *Pag.* 210.

§. IV.

Solutiones Ill. Godoy ad nostram quartam probationem retorquentur ad hominem contra ipsum. *Pag.* 216.

§. V.

Ultima cõclusionis à paritate probatio. *Pag.* 219.

§. Ultimus.

Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 222.

DISPUTATIO XLVII.

Quo tempore Christus meruit?

Pag. 227.

DISPUTATIO XLVIII

An Christus per actum charitatis meruerit?

§. Primus.

Aliqua declarantur, & sententiæ referuntur. *Pag.* 227.

§. II.

Christum per aliquem actum Charitatis meruisse, probatur. *Pag.* 229.

§. III.

Christum per actum Charitatis, regulatum scientia infusã, meruisse, Probatur. *Pag.* 231.

§. IV.

Christum meruisse per actum Charitatis erga Deum, regulatum scientia beata, prout respicit intrinsecas Dei perfectiones, probatur. *Pag.* 238.

§. V.

Solutio Ill. Godoy ad rationem dubitandi referatur, & rejicitur. *Pag.* 239.

§. Ultimus.

Vera solutio rationis dubitandi traditur. *P.* 244.

DISPUTATIO XLIX.

An meruit Christus per actus, ad quos tenebatur ex precepto positivo?

§. Unicus.

Ratio dubitandi proponitur, solutio Ill. Godoy rejicitur, & vera ostenditur. *Pag.* 245.

DISPUTATIO L.

An Christus mereri sibi potuerit de condigno unionem suæ humanitatis ad Verbum. *Pag.* 248.

DISPUTATIO LI.

Quæ dona sibi Christus de facto meruerit?

§. Primus.

De continuatione Incarnationis. *Pag.* 248.

§. II.

Argumento Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 254.

§. III.

De Maternitate Beatissimæ Virginis. *Pag.* 256.

§. IV.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 261.

§. V.

De gratia habituali, & virtutibus consequentibus ipsam. *Pag.* 264.

§. VI.

De gloria animæ, & corporis, nominisque exaltatione. *Pag.* 266.

§. Ultimus.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 268.

TRACTATUS XIII.

De Adoptione Christi.

DISPUTATIO LII.

Quæ forma præstet formalitèr esse Filium Dei adoptivum, vel possit hunc effectum præstare?

§. Primus.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ. *Pag.* 271.

§. II.

Prima conclusio statuitur, & autoritate probatur. *Pag.* 274.

§. III.

Rationibus probatur conclusio. *Pag.* 276.

§. IV.

Firmatur conclusio triplici ratione, ab Ill. Godoy tradita, & eius solutiones impugnantur. *P.* 282.

§. V.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy. *Pag.* 285.

§. VI.

Aliqua solvuntur argumenta. *Pag.* 290.

§. VII.

Quid de potentia absoluta dicendum? *Pag.* 293.

§. VIII.

Argumentis Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 294.

§. IX.

§. IX.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 296.

DISPUTATIO LIII.

An Christus, in quantum homo, sit filius adoptivus Dei?

§. Primus.

Relatis sententijs, vera eligitur, & autoritate probatur. *Pag.* 297.

§. II.

Ratione impugnativa doctrinæ Ill. Godoy probatur nostra conclusio. *Pag.* 302.

§. III.

Alia ratione impugnativa etiam doctrinæ Ill. Godoy probatur conclusio. *Pag.* 306.

§. IV.

Ratione fundamentali, & aliquibus specialibus probatur conclusio. *Pag.* 309.

§. V.

Paritatibus ad hominem contra Ill. Godoy probatur conclusio. *Pag.* 312.

§. VI.

Argumento Ill. Godoy, ex Concilio deducto, occurritur. *Pag.* 316.

§. VII.

Duplici rationi Ill. Godoy occurritur. *Pag.* 323.

§. VIII.

Alia solvuntur argumenta. *Pag.* 325.

§. Ultimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 328.

DISPUTATIO LIV.

An Christus, in quantum homo, sit formaliter filius naturalis Dei?

§. Primus.

Relatis sententijs, statuitur conclusio, & à priori

probatur primo. *Pag.* 330.

§. II.

Alia probationes pro vera conclusione. *Pag.* 334.

§. III.

Argumenta Ill. Godoy solvuntur. *Pag.* 339.

§. Ultimus.

Solvitur duplex argumentum, & declarantur corollaria præcedentis doctrinæ. *Pag.* 343.

TRACTATUS XIV.

De Prædestinatione Christi.

DISPUTATIO LV.

An Christus, ut homo, prædestinatus sit, esse filius naturalis Dei?

§. Primus.

Resolvitur difficultas. *Pag.* 345.

§. II.

Ostenditur quædam inconsequentia Ill. Godoy. *Pag.* 349.

§. III.

Quinque corollaria præcedentis doctrinæ. *Ibid.*

§. IV.

Resolvitur quoddam dubium. *Pag.* 351.

§. Ultimus.

Resolvitur aliud dubium. *Pag.* 353.

DISPUTATIO LVI.

An Christus nobis meruerit nostram prædestinationem? *Pag.* 363.

DISPUTATIO LVII.

An Christus meruerit prædestinationem Angelorum sub terminatione ad gratiam, & gloriam. *Pag.* 363.

FEE DE ERRATAS.

P Ag. 1. fundamentos, lege fundamento. *Ibid.* num. 1. intentum, leg. intentum. *Pag.* 6. num. 2. mare, leg. mari. *Pag.* 9. num. 16. instrumertum, leg. instrumentum. *Pag.* 108. num. 225. incorporeç, leg. incorporeç. *Pag.* 113. num. 255. dominationibus, leg. denominationibus. *Pag.* 263. num. 68. posterieur, leg. posterius. *Pag.* 270. num. 108. dibita, leg. debita. *Pag.* 277. num. 33. solvanda, leg. solvenda. *Pag.* 322. num. 128. vtraqua, leg. vtraque.

¶ He visto este Libro, intitulado: *Tractatus Dezimus, de Potentia Animæ Christi*, su Autor, el R. P. M. Fr. Manuel Perez de Quiroga, del Orden de N. P. S. Francisco, y con estas erratas corresponde à su original. Madrid, y Enero 17. de 1714.

Lic. D. Benito del Rio y Cordido,
Corrector general por su Magestad.

T A S S A.

D On Francisco Ortiz de Rozas, Secretario del Rey N. S. y Oficial Mayor de la Secretaria mas antigua del Consejo, certifico, que aviendose visto en el Consejo vn Libro, intitulado: *Tractatus Dezimus, de Potentia Animæ Christi*, escrito por el R. P. M. Fr. Manuel Perez de Quiroga, del Orden de N. P. S. Francisco, que con licencia del Consejo ha sido impresso, tãso à ocho maravedis cada pliego; y el dicho Libro parece tiene noventa y vn pliegos, sin principios, ni tablas, que al dicho respecto monta veinte y vn reales, y catorze maravedis; y al dicho precio, y no mas, mandò se venda: Y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Libro, para que se sepa el precio à que se ha de vender. Y para q̄ conste doy la presente en Madrid, à treinta de Enero de mil setecientos y catorze.

Don Francisco Ortiz de Rozas.



TRACTATUS DECIMUS.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.



RIPLEX potentia reperitur in Christo Domino.

Prima est potentia humana, quæ ei competit, quatenus est homo, atque adeò communis est omnibus hominibus. Vnde nulli Catholicorum est dubium, Christo Domino, quatenus homo est, convenire omnes, & singulas potentias, quæ conveniunt cæteris hominibus, aut sunt illis communes, ut sunt potentia intellectiva, memorativa, volitiva, locomotiva, nutritiva. &c. Cum enim verus sit homo, & prædictæ potentiæ nullam involvant imperfectionem, sine fundamento ei negaretur aliqua ex prædictis potentijs. Secunda est potentia Divina, quæ ei competit, quatenus Deus est, & hæc est toti Trinitati communis, quæ propriè dicitur Omnipotentia. Tertia est potentia supernaturalis, quæ est humanitati concessa ad miracula patranda. De prima nihil disputat Ill. Godoy; disputationes verò, quas de secunda, & tertia tradit, more consueto, & ordine invariato, trademus.

DISPUTATIO

TRIGESIMA OCTAVA.

An humanitas Christi Domini simpliciter Omnipotens fuerit?

§. I.

Omnipotentia simpliciter excluditur ab anima Christi.

Num. 1

AB hac disputatione incipit Ill. Godoy *tomum 3. in 3. part. &* ab ea nos, vestigia illius sequendo, & intentum nostri operis prosequendo, incipimus *tom. 3. in 3. sentent. Vni-* forme est disputationum initium, &



huius disputationis uniformis est resolutio. Omnes namque Theologi consentiunt in eo, Tum: quod humanitas Christi, nec habuit, nec habere potuit Omnipotentiam à se; tum: quod humanitas Christi ex vi unionis ad Verbum Omnipotens simpliciter constituta non fuit; tum denique: quod humanitas Christi Omnipotentiam per participationem non habuit. Sed licet uniformis sit resolutio, ob quod disputatio hæc omitenda erat; tamen, quia aliqua habeo contra Ill. Godoy obijcienda, disputationem non ommito. Dicta ab ipso videbimus, & quæ obijcienda sunt, declarabimus.

2 Ut omnino certum, & extra controversiam supponit Ill. Godoy n. 1. humanitatem Christi non habuisse, nec potuisse habere Omnipotentiam à se, idque dupliciter probat. Primo ratione deducta ex D. Thom. 3. part. q. 13. art. 1. nam unius naturæ proprietas non potest à se alteri naturæ competere; sed Omnipotentia est proprietas naturæ Divinæ: ergo non potest convenire humanitati à se. Secundo: nam potentia operativa alicui conveniens à se, consequitur eius naturam; sed Omnipotentia non potest consequi ad humanitatem: ergo non potest illi compere à se. Minor ostenditur. Primo: nam Omnipotentia est virtus factiva omnis entis per modum principij proximi: ergo solum potest consequi ad principium radicale effectivum omnis entis; humanitas autem huius conditionis non est, utpotè, limitata, & finita: ergo ad illam non potest dimanativè Omnipotentia se habere. Secundo probatur: nam Omnipotentia est ens increatum, & à se; & consequenter ens omnimodè independens; sed quod realiter dimanat ab aliquo, realiter dependet ab illo: ergo nequit dimanare ab humanitate; & consequenter non potest illi convenire à se. Denique probat minorem: etenim Omnipotentia est infinita per essentiam: ergo solum potest contineri in radice per essentiam infinita; & consequenter soli naturæ Divinæ, quæ infinita est per essentiam, potest convenire à se.

3 Suppositionem admitto, & certitudinem utriusque probationis fateor. Quo confesso, & præsupposito. Quod examinamus est: An humani-

tas ex vi unionis ad Verbum omnipotens simpliciter fuerit constituta. Conclusio est negativa, illamque docet Scotus in 3. dist. 16. q. 2. §. ad prim. principale, & Ad aliud. D. Thom. 3. p. q. 13. artic. 1. Quibus omnes Theologi consentiunt in eo gradu certitudinis, ut Basquius disp. 57. cap. 1. ab omnibus, ut dogma fidei, asserat, esse receptam; Suarius disp. 31. sect. 1. sequi evidentè ex certis fidei principijs, & Gaspar Hurtado disp. 9. diff. 1. esse Catholicorum convenientiam testetur.

Hanc conclusionem, in qua litigium cum Ill. Godoy non habemus, sic probat num. 1. Solus Deus omnipotens esse potest; sed Christi humanitas Verbo hypostaticè unita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, ut Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis unionis non est constituta omnipotens, nec dici potest esse Omnipotentem simpliciter. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior ostenditur primo ratione D. Thomæ in præsentis: cum enim unumquodque agat secundum quod est in actu, & in actu constituitur per formam, quæ, vel est ipsa rei natura, vel rei naturam constituit, & omnipotentia Divina sit virtus, per quam Deus agit ad extra, consequenter est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo omnipotentia simpliciter solum potest convenire, cui convenit esse Deum; & consequenter solus Deus est Omnipotens.

5 Secundo probatur maior: nam omnipotentia respicit pro termino omne id, quod contradictionem non implicat, ut docet, & explicat D. Thomas 1. p. q. 25. artic. 3. cui omnes Theologi consentiunt; sed terminus potentia factiva debet in illius subiecto contineri eminentè, vel formaliter: ergo solus ille omnipotens esse potest, in quo omne, quod non implicat fieri, continetur aliquo ex predictis modis. At soli Deo potest huiusmodi continentia competere; quia habet esse illimitatum, infinitum, & undique incircumscriptum; & consequenter non potest omne ens facti-

Scotus.
D. Thomas.

Bazquez.

Suarez.

Hurtado.

4
Probatio
Ill. Godoy.

3
Conclusio
statuitur.

bile in se ipso eminenter continere: ergo soli Deo convenit omnipotentia simpliciter.

6 Tertio probatur maior: nam de ratione omnipotentis simpliciter est independentia ab alio agente priori, nullique subordinari in agendo; sed solus Deus potest huiusmodi independentia, & in subordinatione gaudere; nam omne, quod Deus non est, à Deo in agendo, ut à causa prima dependet, sicut etiam in essendo: ergo solus Deus est omnipotens simpliciter. Denique probatur: nam omne ens creatum dependet in fieri, & conservari ab omnipotente simpliciter; alias simpliciter omnipotens non esset, si aliquod creatum existens sub illius efficientia non caderet; sed à solo Deo omne ens creatum dependet in fieri, & conservari; cum nullum sit ens creatum, quod saltim in primo fieri possit dependere à se ipso: ergo soli Deo convenit esse omnipotentem simpliciter.

7 Ex his autem probationibus maioris. Prima probatio, quæ est D. Thoma, & in nostra sententia certissima (asserimus namque: proprietatem cuiuscumque naturæ identificari realiter cum natura, consequenterque alteri nequit convenire naturæ) in opinione tamè Ill. Godoy non parvâ (meo videri) difficultatem habet, de quo sequenti dicemus; pro nunc autè.

8 Sic nostra probatur conclusio: Omnipotentia Divina nequit prestare suum effectum formalem humanitati Christi: ergo humanitas Christi nequit constitui simpliciter omnipotens. Probatur antecedens: effectus formalis omnipotentia est reddere subiectum formaliter omnia potens; sed Omnipotentia Divina nequit reddere humanitatem Christi omnia formaliter potentem: ergo &c. Probatur minor: reddere subiectum formaliter omnia potens, est effectus formalis præstitus ab omnipotentia per modum forme, ut distinguitur ab effectu præstito à forma per modum termini; sed Omnipotentia Divina nequit per modum forme, ut distinguitur à ly per modum termini, prestare humanitati Christi effectum formalem potentis omnia: ergo Omnipotentia Divina nequit reddere humanitatem Christi omnia formaliter potentem. Probatur minor: omnis effectus formalis præstitus à forma per modum for-

ma, ut distinguitur à ly per modum termini, exigit necessario, vel physicam informationem, vel reale identitatem cum subiecto; sed utrumque repugnat Omnipotentia Divina respectu humanitatis Christi: ergo &c. Minor, & consequentia tenent. Maior autem patet inductione per omnes formas, sive creatas, sive Divinas, quæ præstent suum effectum formalem per modum forme, ut distinguitur à ly per modum termini.

Confirmatur, & vrgetur: nam hac ratione asseruimus contra Ill. Godoy tom. præced. disp. 21. num. 177. humanitatem Christi non sanctificari formaliter sanctitate Divina. Item: eadem ratione defensavimus tom. præced. disp. 31. num. 6. intellectum Christi creatum non posse intelligere intellectione increata, quod faretur etiam Ill. Godoy. Denique: prædicta ratione tenent omnes Theologi: humanitatem Christi non posse esse formaliter immensam, aternam &c: ergo convincit ratio prædicta, humanitatem Christi non posse esse formaliter omnipotentem. Et certè hoc est, quod ferè ab omnibus supponitur Theologis, dicentibus, quod licet omnipotentia fuerit in Cristo per unionem hypostaticam, sicut fuit etiam Deitas, & fuerunt omnia attributa; non tamen omnipotentia fuit forma, qua humanitas formaliter dicebatur potens; nam sicut in Cristo fuerunt duæ naturæ, ita fuerunt duæ potentia. Una Divina, scilicet, omnipotentia. Altera humana, & ab ista distincta. Visâ igitur efficacia nostræ rationis, ad insufficientiam rationis, quam adducit Ill. Godoy, declarandam progredior.

§. II.

Declaratur insufficientia rationis, ab Ill. Godoy tradita.

ARGUO primo ad hominem contra rationem Ill. Godoy: Quod omnipotentia sit proprietas consequens naturam Divinam, non tollit, quod convenire possit alteri naturæ præter Divinam: ergo proprietas naturam aliquam consequens, non soli convenit habenti talem naturam, potestque enuntiarî de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo nulla est ratio, ab

9
Confirmatur, & vrgetur.

10
Contra rationem Ill. Godoy.

Ill. Godoy adducta. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens: autem, in quo tota est difficultas, ostenditur: quod sanctitas increata sit proprietas consequens naturam Divinam, non tollit, quod convenire possit alteri naturæ præter Divinam: ergo pariter: quod omnipotentia sit proprietas consequens naturam Divinam, non tollit, quod convenire possit alteri naturæ præter Divinam. Consequentia est paritate vera. Antecedens verò est doctrina Ill. Godoy tom. 2. in 3. p. disp. 21. assertentis: humanitatem Christi esse formalitèr sanctam sanctitate increata.

11
Respondet
Ill. Godoy.

Hoc argumentum, quod formatum manet contra rationem Ill. Godoy, ipse in se obiecit num. 29. contra conclusionem, ad quod in proprijs principijs respondet num. 30. assignando disparitatem inter omnipotentiam, & sanctitatem. Omnipotentia namquè non potest sub conceptu omnipotentiaè vniri cum natura creata, ei præstando suum effectum, vel quasi effectum formalem, etiam inadæquate, nisi illam physicè informet; eo quod, cum operari sequatur ad esse essentiaè, forma præstans esse operativum proximum, vel radicale, debet constituere subiectum in aliquo esse essentiaè substantiali, vel accidentali, quod sine identitate cum illo, vel phisica illius informatione præstare non potest: phisica autem informatio naturæ creatæ, vel identitas cum illa repugnat omnipotentiaè, & cuius perfectioni Divinæ; ideoque omnino repugnat, omnipotentiam naturæ creatæ vniri sub conceptu omnipotentiaè, illi etiam inadæquate præstando suum effectum, vel quasi effectum formalem; & consequentèr implicat naturam creatam potentem ad operandum, vel aliquid efficiendum per omnipotentiam constitui. Vnio autem per modum sanctitatis non petit phisicam informationem, sed moralis informatio est ad sanctificandum sufficiens.

12
Contra.

Hæc est disparitas; quam inter sanctitatem, & omnipotentiam, aliaque Divina prædicata assignavit Ill. Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 21. num. 226. 227. & 228. Sed vtrà hoc, quod talis disparitas manet à nobis quadruplicitèr impugnata tom. anteced. disp. 21. num. 183. cum seqq. semper ma-

net contra ipsum efficacia nostræ paritatis, quod vt appareat, infero contra ipsum: ergo sanctitas increata convenit alteri naturæ præter Divinam. Hæc consequentia est apud Ill. Godoy manifesta. Sussumo nunc: atqui sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam: ergo proprietas consequens aliquam naturam potest alteri naturæ convenire: ruit ergo ratio ab Ill. Godoy adducta, & solutio non est ad rem.

Quod autem sanctitas increata sit proprietas consequens naturam Divinam, quæ est sussumpta posita num. anteced. vtrà hoc, quod à nullo videtur, posse negari, probatur: Omne ens increatum, à se, & omnino independens est ad minus proprietas consequens naturam Divinam; sed sanctitas increata est ens increatum, à se, & omnino independens: ergo sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam. Probatur secundo: Omnipotentia, æternitas, immensitas, increata sapientia, &c. sunt proprietates consequentes naturam Divinam: ergo etiam sanctitas increata. Tertio deniquè probatur: sanctitas increata non est accidens naturæ Divinæ adveniens: ergo est ad minus proprietas consequens naturam Divinam: ergo vera nostra sussumpta est.

Et vt clarius efficacia nostræ paritatis appareat, solutioque Ill. Godoy præcludatur, rationem illius transcribo; & ad litteram illius paritatem formabo: *Omnipotentia est proprietas consequens naturam Divinam; sed proprietas naturam aliquam consequens soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura; cuius est talis proprietas: ergo omnipotentia simpliciter solum potest convenire, cui convenit esse Deum; & consequentèr solus Deus est omnipotens.* Sic Ill. Godoy. Nunc autem contra ipsum: Sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam; sed proprietas naturam aliquam consequens, soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo sanctitas increata solum potest convenire, cui convenit esse Deum, & consequentèr solus Deus est Sanctus Sanctitate increata.

13
Sussumpta
probat.

Primo.

Secundo.

Tertio.

14
Declaratur
efficacia
nostræ
rationis.

15
Amplius
declaratur.

Ece paritatem ad litteram rationis Ill. Godoy formatam, ex vi cuius amplius declaratur efficacia nostræ paritatis, & solutio Ill. Godoy præcluditur Sanctitas increata, sicut & omnipotentia, est proprietas consequens naturam Divinam: ergo quod ratione proprietatis affirmatum de vna, debet de vtraque affirmari: ergo cogitur Ill. God. ad asserendum, quod Sanctitas increata soli Deo conveniat, quod est contra ipsum *tom. 2. in 3. part. disp. 21;* vel tenetur asserere, quod omnipotentia soli Deo non conveniat, quod est contra ipsum in præsentia. Totum claret ex ratione Ill. Godoy iam relata.

16
Ostenditur
ultimo.

Declaratur denique efficacia nostræ paritatis, & simul præcluditur solutio Ill. Godoy, aliter paritatem formando: Omnipotentia soli Deo potest convenire: ergo sanctitas increata soli Deo competere valet. Antecedens est conclusio, quam in præsentia tueretur Ill. Godoy. Consequentia vero, quæ est contra ipsum, probatur, ideo Omnipotentia soli Deo potest convenire, quia omnipotentia est proprietas consequens naturam Divinam, & proprietas consequens aliquam naturam, convenire nequit, nisi illi, cui convenit talis natura; atqui sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam: ergo sanctitas increata soli Deo competere valet. Consequentia est legitima. Minor est evidens, & iam ostensa à *num. 13.* Maior autem est D. Thomæ, cum quo Ill. Godoy *num. 2.*

17
Arguo 2.
contra rationem Ill.
Godoy ad
hominem.

Arguo secundo ad hominem etiã contra rationem Ill. God: stat, quod omnipotentia sit proprietas consequens naturam Divinam, & quod convenire possit alteri naturæ præter Divinam: ergo quod Omnipotentia sit proprietas consequens naturam Divinam, non probat, quod Omnipotentia soli Deo conveniat: ergo convenire potest humanitati Christi: ergo nulla est ratio Ill. God. Tertia consequentia est legitima. Secunda infertur ex prima. Prima verò cõtat: nam ratio, qua Ill. Godoy probat ex D. Thoma *cit. num. 3:* Omnipotentiam soli Deo convenire posse, est, quia est proprietas consequens naturam Divinam, & proprietas consequens aliquam naturam, convenire nequit, nisi illi, cui convenit talis na-

tura. Antecedens autem, in quo stat difficultas, probatur: potentia passiva est proprietas consequens materiam primam; sed stat, quod potentia passiva convenire possit alteri naturæ præter materiam primam: ergo stat, quod omnipotentia sit proprietas consequens naturam Divinam, & quod convenire possit alteri naturæ præter Divinam. Maior constat: nam potentia passiva non est proprietas compositi, nisi ratione principiorum; non formæ; huius enim proprietas est actuare, quæ est proprietas contraria potentia passivæ: ergo est proprietas consequens materiam primam. Minor probatur: potentia passiva convenit Angelo; recipit enim intellectionem, & volitionem; sed Angelus est altera natura præter materiam primam; caret enim materia prima, ut apud omnes Thomistas est certum: ergo stat, quod potentia passiva convenire possit alteri naturæ præter materiam primam.

Contra conclusionem potest hoc obijci argumentum: ita proprium est Dei, omnia scire, ac omnia posse; sed in Christo Domino est scientia omnium: ergo & omnipotentia. Hoc argumentum adducit Ill. Godoy *n. 10.* licet aliter efformatum, & ommissa illius solutione. Respondeo distinguendo maiorem: ita proprium est Dei, omnia scire scientia increata, ac omnia posse concedo maiorem; scientia creata nego maiorem. Distinguoque minorem: sed in Christo Domino est scientia creata omnium omitto minorem; scientia increata nego minorem, & consequentiam. Itaque sicut, quia Omnipotentia est Dei proprietas, nulli creaturæ convenire potest; ita scire omnia scientia increata, nulli creaturæ convenire valet, quia est Dei proprietas, ideo diximus *tom. precedenti disp. 31.* intellectum Christi non posse intelligere intellectione increata. Unde licet in Christo Domino esset scientia omnium, argumentum non virgeret, quia esset scientia creata, quæ Dei propria non est.

Aliqua sunt Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ contra nostram conclusionem obijci solent, quorum solutiones videndas relinquo, tum in Ill. Godoy §. 2; *huius disp.* Tum: in nostris. Et tum deni-

18
Obijciens
contra con-
clusionem.

19

quæ in alijs. Et hæc de illa disputatione applicanda litteræ Magistri in 3. *distinct.* 14. §. 3. ad illa verba: *Si ve-*

ro queritur, quare Deus non ei dederit potentiam faciendi omnia.

DISPUTATIO

TRIGESSIMA NONA.

An Christus, vt homo, fecerit miracula, vt causa principalis moralis?

§. Vnicus.

Quibusdam præsuppositis, vera sententia defenditur.

Num. 1
*Quid sit
miraculum*

IN hac disputatione, vt omnino certum supponimus primo: miraculum esse opus præter communem ordinem rerum factum, quod excedit omnem virtutem causarum naturalium. (& ideo Divina virtute fit) Notat autem D. Thom. 3. *part. quest.* 48. *artic.* 3. miraculum dupliciter posse excedere virtutem naturalem. Primo in substantia actionis; vt resuscitatio mortui; quæ à tota simul congerie rerum naturalium fieri non potest. Secundo in modo, qualiter restitutio visus est opus miraculosum; quia quamvis virtute causarum naturalium possit dari, seu restitui facultas visiva, sed non tanta facilitate, & celeritate.

2
*Christus fecit
vera miracula.*

Secundo, vt de fide certum supponimus: Christum, vt hominem, aliqua vera miracula fecisse. Constat hoc ex *Math. cap.* 8. vbi legitur, leprosum à lepra mundasse. Filium Centurionis sanasse. Ventis, & mare imperasse. Demones ab obsessis corporibus expulisse, quæ omnia miracula sunt, & supra communem ordinem rerum. Et *Math. cap.* 11. Ioanni per Discipulos interroganti: An esset verus Messias? Christus respondit: *Itæ, & renuntiate Ioanni, quæ audivistis, & vidistis, Cæci vident, Claudii ambulant, Leprosi mundantur, Surdi audiunt, Mortui resurgunt.* His miraculis sui adventus veritatem Discipulis Ioannis contentans *Ioan. cap.* 4. vbi refertur hominæ à De nonne obsessum ab oppressione Demonis illum expellendo liberasse. Socrum Simonis liberasse à febre, & infirmis ad eius præsentiam

adductis per manuum impositionem sanitatem restituisse. 6. *etiam, & 8. cap.* Lucæ, & Ioannis 6. & 11. paucissime alibi plura miracula à Christo, vt homine, referuntur patrata, quod *Esaia 61. cap.* fuisse de ipso prænuntiatum: constat ex *Lucæ cap.* 4. illis verbis: *Spiritus Domini super me, eo, quod unxerit me. &c.*

Ex quibus Scripturæ locis, sic ratio pro veritate indubitata formatur: Suscitatio mortui est verum miraculum, seu actio exuperans omnem virtutem causarum naturalium. Item, restitutio visus repente facta, est actio vere miraculosa; cum in modo exuperet omnem virtutem causarum naturalium; sed Christus Dominus mortuos suscitavit, vt patet de Lazaro *Ioan. 11. num.* 43. & de filio viduæ *Lucæ 7. num.* 15. Item Cæco à natiuitate dedit visum *Ioan. 9. num.* 6: ergo fecit vera miracula.

Si autem dicas: hæc, & alia, quæ à Christo referuntur patrata, non fuisse vera miracula, sed phantastica, illusoria, & apparientia, ex modo, quo Magi in Egipto, *Exod. 7.* fecerunt multa opera admiratione digna, & quæ miraculorum speciem gerebant, sicut & *Math. 26.* prædicitur de Anti-Christo, facturum signa mendacia, quod de miraculis Christi perfidos Iudæos sensisse, refert Hieronimus *Math. 26.* ad illa verba: *Qui autem tradidit eum, &c.* & de Vigilantio, & Eunomio refert Lindanius *Dialog. 2.* ac de Vvaldensibus testantur Turrecremata *libro 4. Summæ cap.* 35. Michael de de Medina *libro 2. de recta fide cap.* 7.

3
Ratione ostenditur.

4
Si dicas.

& Cattro de hælibus *Verbo miraculum.*

Hæc autem responsio, vt hæretica, reijcitur primo: Omnes namquæ Ecclesiæ Patres hæc, & alia à Christo facta, non phantastica, sed vera fuisse miracula, docent. Secundo: nam idè, teste Chrysostomo *Homil. 36. in Ioan. cap. 5.* in miraculo quinque panum, ne suspicio, aut dubitatio oriatur de veritate miraculi, non solum miraculum fecit, tot homines saturando, sed voluit, vt multa fragmentorum reliquæ superessent; & mundato Leproso, vt imprudentibus silentium imponeret, illum ad Sacerdotem misit, *Vade, inquit: ostende te Sacerdoti.* Lucæ 5. Et in Nuptijs vinum Architeclino ferri imperavit. Et Ioan. cap. 5. *Vt crederetur miraculum, & nemo falsum, & simulatum opinaretur, non solum languentem sanavit, sed vt lectum auferret, iusus est.* Et *Homil. 74. in Ioan. cap. 12.* Idè, ait Chrysostomus: *Lazarus manducabat cū Christo, vt veræ, & non phantastica resurrectionis signum daretur, nempe, quia post tot dies, & viueret, & comederet.* Et *Homil. 63. in Ioan. cap. 11.* Idè Lazarum postquam exiit ligatus è monumento, iussit à vinculis solvi, vt eum tangentes, noscerent verè resurrexisse.

Tertio reijcitur: nam miracula Christi facta sunt ad contestandam eius Divinitatè, eumque verum esse Mesiam, vt constat ex illis verbis *Math. cap. 11. Ite, & renuntiate Ioanni. que audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, &c.* His miraculis respondens Ioanni interroganti: An esset verus Mesias; sed falsis miraculis veritas ostendi non potest: ergo fuerunt vera miracula, & non phantastica. Deniquè reijcitur: nam prædictas Lazari, & filij viduæ resurrectiones esse verà miracula, & non apparientia, ex eo manifestè colligitur, quod in contextu dicatur, illos fuisse mortuos. De Lazaro enim ibi dicitur: *Statim prodijt, qui fuerat mortuus.* Et de filio viduæ: *Et refedit, qui erat mortuus:* fuerunt igitur miracula vera, & non phantastica.

Iam ex his, vt omninò certum, & indubitarum supponimus tertio: miracula patrata à Christo Domino non fuisse virtute, aut arte Dæmonis facta. Ratio est: quia, vt omnes Theologi sentiunt, vera miracula solum

posse effici virtute Divina: cum ergo ea, quæ Christus fecit, vera miracula fuerint, non fuerunt ab ipso, Dæmonis virtute facta, quod ipse Christus testatur *Ioan. 4.* illis verbis: *Pater in me manens ipse fecit opera.* Et *cap. 5.* ibi: *Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiant ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Et *Lucæ 11.* *Si in digito Dei eijcio Dæmonia, &c.* vbi nomine digiti virtus significatur Divina, iuxta illud *Exod. 8.* *Digitus Dei est hic.* Vbi etiam probat, Christus non in Belcebu Principe Dæmoniorum se eijcere Dæmonia; quia alias Sathanas ageret contra se, & Regnum eius esset divisum.

Si autem quæras: vnde constabit, prædicta opera Christi Domini fuisse verà miracula, & non phantastica, aut arte Dæmonis facta? Respondeo. Catholicos facillimè convinci ob prædicta Scripturæ loca, & tot Patrum auctoritates: Negantes autem Scripturam, & Ecclesiam non convincimus positivè; bene verò negativè, id est, possumus solvere omnia sophismata, quæ contra veritatem prædictorum miraculorum nobis obijciant, vt dicitur de demonstratione mitiorum nostræ fidei, præsertim, Trinitatis, & Incarnationis. Vnde ad summum possumus illos manu ducere ad miracula Christi credenda aliquibus congruentijs, quas expendit Scotus *in 1. dist. 2. q. 7. §. Quia*

Quarto supponimus, vt apud omnes Theologos verum, virtutem supernaturalem ad miracula patranda communicatam fuisse Christo Domino ab instanti suæ Conceptionis. Cuius ratio est: nam virtus miracula patrandi data est humanitati Christi vi vnionis hypostaticæ, ac veluti proprietas ipsam consequens: Sed vnio hypostatica fuit ab instanti Conceptionis: ergo tunc fuit communicata virtus prædicta. Deinde: nam hoc extollit excellentiam, & dignitatem Christi Domini: ergo ab illo instanti debet Christo Domino prædicta virtus concedi.

Supponimus quinto etiam apud Theologos certum: virtutem supernaturalem ad miracula facienda fuisse Christo communicatam permanentè, & quasi per modum habitus, ad differentiam aliorum Sanctorum, quibus talis virtus communicatur

8
Quodam
quasitum.

Responde-
tur.

9
Virtus pa-
trandi mi-
racula fuit
in Christo
ab instanti
suæ concep-
tionis.

10
Data fuit
Christo Do-
mino talis
virtus per-
manenter.

5
Reijcitur
vt hæretica
responsio
prædicta.

Primo.

Secundo.

6
Tertio.

Quarto.

7
Non fue-
runt vir-
tute Dæmo-
nis facta.

solum per modum transeuntis. Hoc tamen non ita est intelligendum, ut prædicta virtus fuerit in Christo quidam habitus, sed quod illa pro suo libito uti poterat, eo, quod Deus semper adstabat paratus ad eius nutum, eo modo, quo habitibus pro libito uti possumus. Sic igitur intellecta suppositio, ratione iam tacta probatur: virtus enim ad miracula facienda communicata fuit Christo Domino vi unionis hypostaticæ, ac veluti proprietas illam consequens; atqui hypostatica unio fuit permanens: ergo permanentè, & quasi per modum habitus fuit communicata Christo Domino virtus miracula patrandi.

11
Quid sit
causa mo-
ralis.

Dividitur
in princi-
palem, &
instrumen-
talem.

12
Alia divi-
sio causæ
moralis.

Suppono sexto: quod causa moralis est illa, quæ non influit in effectum physicè, sed tantum est causa, ut physica influat, rogando, intercedendo, impetrando, alio vè modo impetrando, & obtinendo, ut causa physica operetur. Hæc causa moralis dividitur ab aliquibus in principalem, & instrumentalem. Causa moralis principalis est illa, quæ per se ipsam, aut virtute propria suadet, & movet causam physicam ad operandum. Instrumentalis est, quæ non per se ipsam, aut virtute propria, sed virtute alterius causæ moralis sibi communicata, seu ab alio sibi derivata, suadet, & movet causam physicam ad operandum. Unde ille, qui consulit, vel imperat homicidium, orat, ut fiat, vel ad illud faciendum suadet, dicitur causa moralis principalis; huius autem nuntium, aut littera, dicitur causa moralis instrumentalis.

Suppono septimo: quod causa moralis principalis potest dupliciter considerari. Primo comparativè, vel respectivè ad causam moralem, seu in genere causæ moralis. Secundo comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem. Primo modo nequit esse instrumentum, quia in tali genere non supponit aliam causam principalem. Secundo modo optimè potest instrumentum appellari; nam cum causa moralis causet per modum impetrantis effectum à causa physica principali, rectè dici potest morale instrumentum, quo causa principalis physica utitur ad effectus physicè causandos; unde etiam in communi modo loquendi causa moralis dicitur

instrumentalis respectu physicæ, quatenus causa physica dicitur per tale medium impetratorium, ut per instrumentum, operari.

Hoc declarat egregiè divisio instrumenti ab omnibus facta in physicum, & morale. Physicum est, quod physico, & reali influxu operatur effectum, motum tamen à causa principali, ut est serra respectu scissionis; calamus respectu litteræ &c. Morale est, quod operatur effectum, excitando alium, ut illum physicè operetur, ut est meritum respectu præmij, & consilium, aut oratio respectu mortis. Est tamen maxima inter hæc instrumenta differentia: nam instrumentum physicum proximè, & immediatè attingit effectum; morale autem remotè tantum, seu mediatè, nempe, mediante causa physica instrumentali, & principali, quam atrahit, seu moraliter movet, ut operetur physicè effectum. Hac itaque divisione supposita, doctrinam septimæ suppositionis ostendo primo: meritum respectu præmij, & consilium, seu oratio respectu mortis, sunt instrumenta moralia; atqui non sunt instrumenta moralia comparativè, vel respectivè ad causam moralem, seu in genere causæ moralis; nam in hoc genere sunt causæ principales, ut est apud omnes manifestum, & clare deducitur ex dictis num. 11: ergo sunt instrumenta moralia comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem.

Ostendo secundo doctrinam suprapositam: causa physica principalis est physicum instrumentum comparativè ad causam physicam principalem: ergo multo melius causa moralis principalis potest esse morale instrumentum comparativè ad causam physicam principalem. Consequentia est manifesta: nam magis repugnat, quod causa principalis in genere physico sit instrumentalis comparativè ad causam eiusdem generis, scilicet, ad causam physicam, quàm quod causa principalis in genere moris sit instrumentalis comparativè ad causam diversi generis, nempe, ad causam physicam.

Antecedens autem probatur: causa materialis, & formalis in genere physico est causa physica principalis; sed causa materialis, & formalis in genere physico est physicum instrumen-

13
Instrumentum aliud
physicū, &
morale aliud.

Probat. 1.

14
Probat. 2.

15
Prob. antecedens.

tum comparative ad causam physicam efficientem, quæ principalis est; ergo causa physica principalis est physicum instrumentum comparative ad causam physicam principalem. Maior, & consequentia tenent. Minor probatur: id, quod, aliquid physice recipiendo, deservit causæ principali ad assequendum effectum, est causa materialis in genere physico, & simul physicum instrumentum comparative ad causam physicam efficientem, quæ principalis est. Similiter etiam: id, quod per physicam expulsionem alterius corporis deservit causæ principali ad assequendum effectum, est causa formalis in genere physico, & simul physicum instrumentum comparative ad causam physicam efficientem, quæ principalis est; atqui aliqua sunt, quæ, aliquid physice recipiendo, & aliquid physice expellendo, deserviunt causæ principali ad assequendum effectum: ergo causa materialis, & formalis in genere physico est physicum instrumentum comparative ad causam physicam efficientem. Consequentia ex præmissis infertur. Præmissæ autem sunt probandæ.

16
Maior probatur.

Probatur itaque maior: nam id, quod aliquid physice recipit, est causa materialis in genere physico, & id, quod physice aliud expellit, est causa formalis in genere physico; sed si unum recipiendo, & aliud expellendo, deserviunt causæ principali ad assequendum effectum, utrumque est physicum instrumentum comparative ad causam physicam efficientem: ergo id, quod, aliquid physice recipiendo, deservit causæ principali ad assequendum effectum, est causa materialis in genere physico, & simul physicum instrumentum comparative ad causam physicam efficientem. Consequentia est legitima. Maior est manifesta: nam id, quod aliquid efficit physice, est causa efficiens in genere physico: ergo similiter. Minor est notoria; nam instrumentum est, quod deservit causæ principali ad assequendum effectum. Consequentia legitima apparet.

17
Probatur minor.

Probatur iam minor supra positi syllogismi: nam terra, recipiendo physice motum localem, deservit ad conficiendam arcam, de quo Scotus in 4. dist. 1. quest. 4. & dist. 13. quest. 1. Sygillum autem, expellendo physice aliud corpus, attingit formam im-

præflam in cera: ergo aliqua sunt, quæ aliquid physice recipiendo, & aliquid physice expellendo, deserviunt causæ principali ad assequendum effectum. Omitto alia exempla pro probatione minoris; tum, quia in physica videri possunt; tum etiam, quia hæc est expressa Scoti doctrina in 4. dist. 1. quest. 5. Dicta à num. 12. notentur, quia sunt valde necessaria ad disputationem sequentem.

Suppono denique: quod disputatio præsens ortum duxit ex divisione illa causæ moralis in principalem, & instrumentalem, de qua diximus num. 11. & ex duplici acceptione causæ moralis principalis, de qua locuti sumus num. 12. Quo attentè considerato, disputatio est sine controversia; est enim lis parvi momenti, ut ex Arriaga disp. 41. sect. 1. num. 24. notavit Matruius in 3. dist. 2. quest. 8. num. 180. in fine. Pro eius tamen declaratione duplicem statuemus conclusionem.

Prima conclusio: *Christus, ut homo, fecit miracula, ut causa principalis moralis comparative, vel respectivè ad causam moralem; seu considerata in genere causæ moralis.* In hoc sensu statuit Ill. Godoy num. 5. suam conclusionem, quam docent communiter Theologi, & probatur breviter: nam causa, quæ est prima in aliquo genere, est in tali genere causa principalis; sed Christus, ut homo, est causa miraculorum prima in genere causæ moralis: ergo causat illa principaliter moraliter. Maior constat: nam causa instrumentalis causat in virtute alterius, cui in agendo subordinatur; sed causæ primæ, ut tali, repugnat in virtute alterius causare, alijque subordinari: ergo in eo genere, in quo causa aliqua est prima, nequit esse instrumentalis. Minor etiam constans est: nam causa, quæ in aliquo genere priorem non præsupponit, est in tali genere prima; sed Christus, ut homo, non supponit causam priorem in genere causæ moralis, nec ab aliqua causa istius generis dependet; cum solum dependeat à Deo, qui causa moralis non est: ergo Christus, ut homo, est causa, licet non prima absolute, prima tamen in genere causæ moralis.

Confirmatur: nam causa, quæ in effectum influit per virtutem pro-

18
Vnde oritur
cum habuit
præsens dis-
put.

19
i: Conclusio.

Probatur.

Confirmat.

priam sibi, & adæquantem, vel excedentem perfectionem effectus, non est causa instrumentalis, sed principalis illius; sed Christus, ut homo, influit moraliter in effectus miraculosos per virtutem sibi propriam, excedentem in genere moris perfectionē miraculorum: ergo influit in illa moraliter principaliter. Istæ sunt probationes, quas adducit Ill. Godoy pro sua conclusione, & ex ipsis apparet, conclusionem statuere in sensu, quod nos statuimus.

20
2. conclusio
Probat.

Secunda conclusio: *Christus, ut homo, fecit miracula, ut causa moralis instrumentalis comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem.* Hæc conclusio videtur ita certa, & generalis, ac præcedens, & probatur hac unica ratione: quod Christus, ut homo, fecerit miracula, ut causa principalis moralis comparativè, vel respectivè ad causam moralem, non obest, ut fecerit miracula, ut causa moralis instrumentalis comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem: ergo Christus, ut homo, fecit miracula, ut causa moralis instrumentalis comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem. Probat. antecedens: causa moralis principalis comparativè, vel res-

pectivè ad causam moralem, est moralis instrumentalis comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem: ergo quod Christus, ut homo, fecerit miracula, ut causa principalis moralis comparativè, vel respectivè ad causam moralem, non obest, ut fecerit miracula, ut causa moralis instrumentalis comparativè, vel respectivè ad causam physicam principalem. Consequentia est legitima. Antecedens autem constat ex dictis num. 12. & probatum manet num. 13. & seqq.

Ex hac duplici conclusione declarata manet sine controversia disputatio. Nec contra nostram secundam conclusionem aliquid objicit Ill. Godoy, nec objiciendum invenio. Contra primam autem quodam argumentum (quod difficile vocat) sibi objicit num. 9. quod contra nos nequit objici; est enim ad hominem contra ipsum, & omnes Thomistas allèrentes: quod Christus, ut homo, physicè miracula causaverit, de quo disputatione sequenti, oppositum contra Ill. Godoy statuimus. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri, ubi disputatio præcedens.

21

DISPUTATIO

QVADRAGESIMA.

An humanitas Christi Domini instrumentalitèr physicè effectus miraculosos causaverit?

§. I.

Aperitur status difficultatis, referuntur sententiæ, vera eligitur, & autoritate probatur.

Num. 1
Non fuit
causa prin-
cipalis phi-
sica mira-
culorum.

Suppositis his, quæ supposita manent disputatione præcedenti; in hac disputatione tanquam certum supponimus primo: Christum, ut hominem, non effecisse miracula, efficiencia physica principali, in quo omnes Theologi consentiunt, quod primo probat Ill. Godoy num. 2. ex D. Bernardo lib. de dispensatione, & præ-

cepto, ubi ait: *Ille solus potest legem immutare, qui legem condidit; sicut patet in legibus humanis, quod solus Imperator potest legem immutare, vel dispensare in lege, qui condidit legem.* Quæ verba refert D. Thom. quæst. 6. de potentia artic. 4. sed solus Deus legem cursus naturalis instruit: ergo solus Deus potest cursum naturalem rerum in-

Probat. 1.

vertere, vel in illo dispensare. Sed in quolibet miraculo cursus naturalis rerum invertitur, in illoque dispensatur: ergo solus Deus potest per propriam virtutem, & vt causa principalis, miraculosum opus efficere; & consequenter humanitas Christi Domini, vel Christus, quatenus homo, non influxit in effectus miraculosos, vt causa efficiens physica principalis.

2
Secundo. Probat secundo num. 3: est enim de ratione miraculi talis simpliciter, vt fiat præter, aut supra ordinem totius naturæ creatæ; sed nullus præter Deum potest aliquid efficere propria virtute, quod sit supra ordinem totius naturæ creatæ: ergo nullus præter Deum potest miraculum facere propria virtute, & vt causa principalis. Consequentia est bona. Maior est D. Thom. locis cit. & patet; non enim sufficit ad rationem miraculi, quod sit supra ordinem naturæ particularis; aliàs motus violentus lapidis sursum esset miraculosus; cum sit præter ordinem naturæ lapidis, imò, & contra lapidis naturam, quod nullus dixit: ergo est de ratione miraculi, quod sit supra ordinem totius naturæ creatæ. Minor autem probatur: quod enim sit principaliter ab aliqua causa creatæ, non est supra ordinem talis causæ; & consequenter non est supra ordinem totius naturæ creatæ: ergo nullus præter Deum potest per propriam virtutem, & vt causa principalis efficere id, quod essentialiter petit esse supra ordinem totius naturæ creatæ.

3
Supponimus secundo: quod causa physica est, quæ physice, & immediate attingit effectum, vel vt causa principalis, licet calor producit calorem; vel vt causa instrumentalis, sicut calor producit formam ignis. Causa vero moralis; quæ solum mediate illum attingit, vt consulens, præcipiens &c. de quo diximus disp. antec. num. 11. Nec obest, vt solum mediate attingat effectum, vt causa moralis sit vera causa. Quod ostenditur primo: nam Christus, vt homo, fecit vera miracula, vt causa principalis moralis: ergo causa moralis est vera causa. Antecedens docuimus disp. præced. num. 19. quod etiam habet Ill. Godoy eadem disp. num. 5. Consequentia est legitima: alioquin verus effectus a causa nõ vera procederet,

quod est falsum. Secundo: nam sicut finalis causat movendo efficiens, ita causa moralis causat consulendo, vel præcipiendo efficiens; sed causa finalis est vera causa: ergo vera causa est causa moralis. Denique: nam meritum vere causat præmium, & consulens homicidium vere causat occisionem in communi acceptione; sed vtraque est causa moralis: ergo causa moralis est vera causa.

Hoc igitur ita supposito, quod in examen vertimus, est: An humanitas Christi, vt instrumentum physicum Divinitatis, causaverit effectus miraculosos? Hanc controversiam movit D. August. lib. 22. de Civit. cap. 9. eamque indecisam reliquit his verbis: *Sive enim Deus ipse per se ipsum miro modo, quo res temporales operatur æternus, sive per suos ministros ista faciat, & eadem ipsa, qua per ministros facit, sive quædam faciat etiam per martyrum Spiritus, sive per homines adhuc in corpore constitutos, sive omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, & incomparabiliter imperat, operatur, vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis operantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, sive alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendendi à mortalibus possunt, ei profecto attestantur hæc fidei, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur.*

Eandem controversiam ad examen sæpe revocavit D. Thomas, in qua, *texte Caietano*, varius fuit. Nam in 3. dist. 16. quæst. 1. artic. 3. in corpore concessit: miracula non nisi per modum intercessionis, tam à Sanctis, quam ab anima Christi fieri. Verba D. Thomæ sunt hæc: *Et ideo nec aliqua virtus corporalis, nec spiritualis, aut Animæ, aut Angeli, nec etiam Animæ Christi potuit ad immutationem legis nature imposte divinitus, nisi per modum orationis, aut intercessionis; & ideo hoc fuit signum Deitatis Christi, quod imperando, signa perficiebat, & non orando, sicut alij Sancti.*

Idem docuit Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 178. artic. 1. ad 1. per hæc verba: *Quod sicut prophetia se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter possunt cognosci: ita operatio virtutum, idest, virtus patrativa miraculorum, se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt, quorum causa est Divina Omnipotentia.* Cum ergo alijs in locis op-

Secundo.

Tertio.

4
Hanc difficult. movit D. Aug.5
D. Thom. in difficult. varius.

6

positum aſſerat D. Thomàs, innegabile videtur, varium fuiſſe in hac difficultate D. Thom. quod ſatis arguit difficultatem diſputationis.

In qua duplex, vtraque celebris, & è regione oppoſita, verſatur ſententia. Prima docet: humanitatem Chriſti, præter concurſum principalem moralem, habuiſſe concurſum phificum instrumentalem in effectus miraculoſos. Sic Ill. Godoy num. 7. vbi pro ſe citat D. Thomam pluribus in locis, & omnes, qui eum ſecuntur. Quam ſententiã difficiliorem adhuc reddunt tot in hac ſententia opinandi modi. Nam alij hanc ſententiam defendunt per phificam qualitatem, Chriſti humanitati additam, per quã conſtituebatur miraculorum operativa. Alij per ſolum extrinſecum imperium, & virtutem aſſtricem Dei. Alij non ſolum defendunt, Chriſti humanitatem fuiſſe phificum instrumentum operationum ſupernaturalium, quæ factæ ſunt poſt Chriſti adventum, ſed etiam earum, quæ factæ ſunt antè. Alij ad ipſam productionẽ miraculi requirunt præviam operationem humanitatis, quæ virtutem in ſe divinitus receptam deferat ad effectum producendum, qualis erat, vel contactus infirmi ad effectum ſanitatis in eo producendum; vel prolatio verborum præveniẽs uſque ad locum; vel ſubiectum, vbi, vel in quo edendum erat miraculum. Alij hanc vim instrumentariam phificè patrandi miracula non modò concedunt humanitati Chriſti, ſed etiam umbræ Petri, iuxta illud Act. 5. *Vt veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Alij non ſolum illam extendunt ad effectus poſitivos, ſed etiam ad negativos, vt fuit defectio ſolis in morte Chriſti.

Secunda ſententia per extremum affirmat: humanitatem Chriſti, præter concurſum principalem moralem, non habuiſſe concurſum phificum instrumentalem in effectus miraculoſos. Hanc ſententiam tenuerunt Alenſis, D. Bonavent. Durandus, Molina, Vazquez, Ragufa, Lugo, Caſpenſis, Amicus, Arriaga, Paſqualigius, Averſa, Bernal. Beccanus, & Nominales. Sic Scotus in 4. diſt. 2. quæſt. 1. §. *Ex his. Et diſt. 1. quæſt. 5. vbi docet: Sacramenta novæ legis à ſolo Deo habere*

efficaciam; à Chriſto autem, vt à cauſa meritoria.

Quæ ſententia ſit noſtra conclusio, & probatur primò authoritate Concilij: nam Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. de Iuſtification. cap. 7.* hæc habet verba: *Huius Iuſtificationis (loquitur de hominis Iuſtificatione) cauſæ ſunt. Finalis quidem, gloria Dei, & Chriſti, ac vita Æterna. Efficiens verò, miſericors Deus, qui gratuito obluit, & ſanctificat, ſignans, & ungens Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Meritoria autem, Dilectiſſimus Unigenitus ſuus, Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, qui cum eſſemus inimici, propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos, ſua Sanctiſſima Paſſione in ligno Crucis nobis Iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatiſfecit. Instrumentalis item Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum Fidei, ſine qua nulli unquam contingit iuſtificationem. Demum: unica formalis cauſa eſt Iuſtitia Dei, non quia ipſe Iuſtus eſt, ſed quia nos Iuſtos facit, qua, videlicet, ab eo donati, renovamur Spiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè Iuſti nominamur, & ſumus; Iuſtitiã in nobis recipientes, unusquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem. Sic ad litteram Tridentinus.*

Ex quibus verbis ſic noſtra probatur conclusio. Primò: Concilium enumerans omnes cauſas noſtræ Iuſtificationis, ait: Deum eſſe cauſam efficientem, Chriſtum cauſam meritoriam, & Sacramentum Baptiſmi instrumentalem cauſam; at, ſi humanitas Chriſti eſſet cauſa instrumentalis phifica gratiæ, nos Iuſtificantis formalitèr, deberet Concilium illius mentionem facere, & illam enumerare; ſicut etiam gloriam Dei, & Chriſti, & virã Æternam ſtatuit, vt cauſam noſtræ Iuſtificationis ſiſalem; alias diminutè proceſſiſſet in aſſignandis cauſis Iuſtificationis: ergo humanitas Chriſti nõ eſt cauſa instrumentalis phifica noſtræ Iuſtificationis; & conſequentèr nec reſpectu miraculorum, reſpectu quorum eandem eſſe rationem, & eodem modo diſcurrendum, ac reſpectu gratiæ Iuſtificantis, ſentiunt omnes Authores.

Huic tamen ponderationi communitèr, & benè reſpondent Authores,

9
Concluſio.

Probat. 1.
ex Concil.
Trident.

10
Formatur
probat. ex
Concil.

11
Communis

ad prob. ex
Conc. solut.

oppositæ sententiæ adhærentes: Concilium solum recensuisse causas nostræ Iustificationis, quas certum est de fide, in nostra Iustificatione inveniri; non autem illas, quæ in disputatione Theologorum versantur. Quod autem humanitas Christi instrumentaliter physicè influat in gratiam Iustificantem, Catholicum dogma non est, nec veritas fidei; sed tantum sententia probabilis, ideoque non debuit à Concilio recenseri. Et ex his ad nostram probationem rectè respondet in forma Ill. Godoy numer. 95. propè finem, admissa doctrina maioris, negando minorem. Nam Concilium solum debuit recensere causas certas nostræ Iustificationis, non autem illas, quas in illa intervenire, sub lite Theologorum versatur, & probabiliter asseruntur, & negantur, qualis est causalitas physica instrumentalis humanitati Christi conveniens respectu nostræ Iustificationis.

Respondet
Ill. Godoy
in forma.

12

Ex verbis
Conc. aliter
ponderatis
prob. concl.

Licet autem Concilium solum debuisset recensere causas certas nostræ Iustificationis; non autem illas, quæ sub lite Theologorum versantur, ac proinde verba Concilij ad ducta ex ea ratione non vrgeant; tamen satis efficaciter nostram conclusionem ex alia consideratione suadent: data namquæ opinione Ill. Godoy, & verbis Concilij attentis, nullum adest fundamentum, ad asserendum, humanitatem Christi esse causam instrumentalem physicam gratiæ, nos Iustificantis formaliter: ergo dicendum non est, quod humanitas Christi sit talis causa physica instrumentalis. Consequentia patet: nam Concil. loco citat. enumerat omnes causas nostræ Iustificationis, vt concedit Ill. Godoy in solutione: ergo si data opinione Ill. Godoy, & verbis Concilij attentis, nullum adest fundamentum ad asserendum, humanitatem Christi esse causam instrumentalem physicam gratiæ, nos Iustificantis formaliter, dicendum non est, quod humanitas Christi sit talis causa physica instrumentalis. Antecedens autem probatur: data opinione Ill. Godoy, & verbis Concilij attentis, adest fundamentum ad asserendum, solum Sacramentum Baptismi esse causam instrumentalem physicam gratiæ, nos Iustificantis formaliter: ergo, &c. Probatur antecedens: attentis verbis Concilij, solum

Sacramentum Baptismi est causa instrumentalis gratiæ, nos Iustificantis formaliter; sed data opinione Ill. Godoy, Sacramentum Baptismi est causa instrumentalis physica gratiæ, nos Iustificantis formaliter: ergo, &c.

Vrgetur, & explicatur primò: attentis Concilij verbis, humanitas Christi non est causa instrumentalis gratiæ, nos Iustificantis formaliter: ergo multò minus erit (attentis verbis Concilij) causa physica instrumentalis gratiæ, nos Iustificantis formaliter. Antecedens est manifestum. Primò: quia Concilium ait: humanitatem Christi esse causam meritoriam. Secundò: quia assignando causam instrumentalem, expressè asserit Concilium: hanc esse Sacramentum Baptismi dumtaxat. Consequentia est legitima. Infero nunc: ergo Concilium fabet expressè nostræ conclusioni. Infero amplius: ergo data solutione Ill. Godoy, quæ reddat suam sententiam probabilem, probabilior nostra debet censi, attentis Concilij verbis. Vtraque consequentia ex dictis notoria apparet.

13
Declara-
tur, & vr-
getur.

Primò,

Vrgetur, & explicatur secundò: solutio Ill. Godoy, attentis Concilij verbis, deservire potest ad defendendum: humanitatem Christi posse esse causam physicam principalem gratiæ, nos Iustificantis formaliter; atqui hoc est nullum apud ipsam, & omnes Theologos ex dictis num. 1: ergo nulla est illius solutio. Probatur maior: ideo solutio ipsius, attentis Concilij verbis, deservit ad defendendum, humanitatem Christi esse causam instrumentalem physicam gratiæ, nos Iustificantis formaliter, quia Concilium solum debuit recensere causas certas nostræ Iustificationis; non autem illas, quæ sub lite Theologorum versantur; sed humanitatem Christi posse esse causam physicam principalem gratiæ, nos Iustificantis formaliter, sub lite Theologorum versatur: ergo, &c. Consequentia videtur legitima. Maior est illius solutio ad argumentum ex Concilio deductum. Minor probatur: nam quod improbabile non est, sub lite Theologorum versatur; sed improbabile non est, humanitatem Christi posse esse causam physicam principalem gratiæ, nos Iustificantis formaliter: ergo sub lite Theologorum est, humanitatem Christi

14
Vrgetur. 2.

posse esse causam physicam principalem gratiæ, nos iustificantis formaliter. Maior est nota. Minor verò probatur: improbable non est, posse dari creaturam, quæ sit causa physica principalis gratiæ, nos iustificantis formaliter: ergo improbable non est, humanitatem Christi posse esse causam physicam principalem gratiæ, nos iustificantis formaliter. Consequentia est legitima. Antecedens autem docet Ripalda *disp. 23, sect. 14.* quod sufficit ad veritatem antecedentis.

15 Et ut hoc manifestè appareat, supponamus: me defendere, humanitatem Christi esse causam physicam principalem gratiæ, nos iustificantis formaliter, & contra me Ill. Godoy arguere ex Concil. Trident. argumento, quo nos contra ipsum arguimus, nempe: Concil. Trident. *Sess. 6. de Iustificatione, cap. 7.* enumerans omnes causas nostræ iustificationis, ait: Deum esse causam efficientem, Christum causam meritoriam, & Sacramentum Baptismi instrumentalem causam; at si humanitas Christi esset causa principalis physica gratiæ, nos iustificantis formaliter, deberet Concilium illius mentionem facere, & illam enumerare; sicut etiam gloriâ Dei, & Christi, & vitam æternam statuit, ut causam finalem nostræ iustificationis; alias diminutè processisset in assignandis causis iustificationis: ergo humanitas Christi non est causa principalis physica nostræ iustificationis; & consequenter, nec respectu miraculorum, respectu quorum eandem esse rationem, & eodem modo discurrendum, ac respectu gratiæ iustificantis, sentiunt omnes Authores.

16 Ad quod argumentum ego responderem: Concilium solum recensuisse causas nostræ iustificationis, quas certum est de fide, in nostrâ iustificatione inveniri; non autem illas, quæ in disputatione Theologorum versantur. Quod autem humanitas Christi principaliter physicè influat in gratiam iustificantem, Catholicum dogma non est, nec veritas fidei; sed tantum sententia probabilis, ideoque non debuit à Concilio recenseri. Et ex his ad argumentum in forma responderem, sicut responderet Ill. God. scilicet, admissa doctrina maioris, negando minorem. Nam Concilium solum debuit recensere causas certas

nostræ iustificationis, non autem illas, quas in illa intervenire, sub lite Theologorum versatur, & probabiliter asseruntur, & negantur, qualis est causalitas physica principalis, humanitati Christi conveniens respectu nostræ iustificationis. Si autem sic ego responderem, quid haberet Ill. Godoy pro impugnatione huius responsionis, quod non sit suæ solutionis impugnatione? Ergo solutio Ill. Godoy, attentis Concilij verbis, deservire potest ad defendendum: humanitatem Christi posse esse causam physicam principalem gratiæ, nos iustificantis formaliter, quod est intentum secundæ confirmationis.

Nec valet, si dicas pro illo: quod in Concilio solus Deus declaratur, ut causa physica principalis gratiæ, nos iustificantis formaliter, ut patet per illa verba: *Efficiens verò misericors Deus,* consequenterque humanitas Christi nequit esse causa physica principalis gratiæ, nos iustificantis formaliter. Non, inquam, valet; nam in contrarium obicit: nam quod in Concilio solus Deus declaratur, ut causa physica principalis gratiæ, nos iustificantis formaliter, non obest, ut etiam humanitas Christi sit causa physica principalis talis gratiæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quod in Concilio solum Sacramentum Baptismi declaratur, ut causa instrumentalis, ut constat ex illis verbis: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi,* & etiam ut physica iuxta opinionem Ill. Godoy cum Thomistis, non obest, ut etiam humanitas Christi sit causa physica instrumentalis gratiæ, nos iustificantis formaliter: ergo similiter.

17 Urgetur terriò ad hominem contra Ill. Godoy: asserere, humanitatem Christi esse causam instrumentalem gratiæ, nos iustificantis formaliter, est adversari Concilio: ergo nulla est solutio, & opinio Ill. Godoy. Probatur antecedens: asserere, humanitatem Christi esse causam instrumentalem gratiæ nos iustificantis formaliter, est asserere, aliam esse causam instrumentalem nostræ iustificationis præter Sacramentum Baptismi, à Concilio dumtaxat declaratum; sed aliam causam instrumentalem nostræ iustificationis præter assignatam à Concilio asserere, est Concilio adversari: ergo asserere, humanitatem Christi esse

17
Dices pro
Ill. Godoy.

Contra.

Urgetur 3.

causam instrumentalem gratiæ, nos Iustificantis formaliter, est adversari Concilio. Probat. minor: asserere, aliam causam formalem nostræ Iustificationis, præter assignatam à Concilio, scilicet, iustitiam nobis intrinsecam, est Concilio adversari: ergo pariter: aliam causam instrumentalem nostræ Iustificationis, præter assignatam à Concilio, asserere, est Concilio adversari. Consequentia est paritate notoria. Antecedens verò habet expressè Ill. Godoy disp. 53. num. 33. his verbis: *Si aliquis auderet asserere, nostram Iustificationem à duabus formis intrinsecis adequatè præstari de factò, proculdubio Tridentino adversaretur Sess. 6. de Iustificat. cap. 7. asserenti: iustitiam nobis intrinsecam esse unicam causam formalem nostræ Iustificationis.*

Secundo suadetur conclusio ex Patribus, qui dum de miraculis, à Christo patratis, locuntur, expressè docent, virtute Divina facta fuisse; humanitatem verò solum concurrisse ad id, quod sibi proprium erat, nempe, ad externum motum, ad corporis contactum, ad verborum prolationem, &c. pro quo inspicite D. Augustinum tract. 8. in Ioan. post medium de miraculo factò in Cana Galilee, ita scribentem: *Miraculum autem, quod facturus erat, secundum Divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem; secundum quod Deus erat, non secundum quod id, quod infirmus natus erat. Miraculum ergo exigebat Mater: at ille tamquam non agnoscat viscera humana, operaturus facta Divina, tamquam dicens, quod de me facit miraculum, non tu genuisti, Divinitatem meam non tu genuisti, sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in Cruce. Et tract. 91. in fine, assignat discrimen inter miracula, quæ fecerunt cæteri homines, & quæ fecit Christus: Quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit: hæc autem ipse non illis facientibus fecit. Ergo secundum Augustin. illa natura in Christo miracula faciebat, quæ cum cæteris faciebat, ut facerent; sed sola natura Divina, non humana, faciebat, ut cæteri homines miracula facerent: ergo sola natura Divina, non humana, in Christo miracula faciebat.*

Videte D. Athanasium Orat. 4. contra Arrianos, sic aloquentem: *Certe cum necessitas requirebat, ut Sacrum Pe-*

*tri febrientem excitaret, humano quidem more manum extendit, divinitus autem morbum compescebat; & in Cæco à natiuitate humanum è carne emitebat sputum, divinitus autem oculos aperiebat per lutum. In Lazaro autem vocem quidem ut homo edebat, divinitus tamen ut Deus eundem è mortuis excitabat. Et infra: Quemadmodum spuerit illo, manumque extendente, & Lazarum evocante, non dicimus illa hominis esse miracula, etiam si per corpus conficiebantur, sed Dei. Quod autem per verba illa: Etiam si per corpus conficiebantur, non intelligat corpore cooperante ad substantiam miraculorum, sed ad id tantum, quod proprium erat corporis, constat ex alio principio Patrum, quo docent: Christum hæc miracula per operationes humanitatis fecisse, ut ostenderet, se veram humanitatem assumpsisse: *Ista autem eomodo facta sunt, inquit ibidem Athanasius, eaque ratione adhibita, ne imaginarium, ac non verum corpus habere crederetur. Ergo eo tantum sine humanas operationes adhiberi putant ad miracula patranda, ut vera humanitas ostendatur.**

Audite Cyrillum Alexandrinum de Incarnat. Homil. 8. in fin. acclamantem, miracula in morte Christi facta fuisse virtute Verbi Divini: *Ut autem ostenderet, se nec passionis quidem tempore templo suo deesse, cum Iudæi ista contra Dominum molirentur, radios solares tamquam Deus extinxit, tenebras mundo infudit, velum templi scidit, petras rupit, mortuos excitavit. Hæc omnia ob id operatus est, ut scias, eum patienti adfuisse, & passiones quidem sibi appropriasse, ipsum verò impassibilem omnia operatum esse. Quod idem docuit Cyprianus Sermon. de Cena Domini in initio, his verbis: Sed volebat pius Magister, cum iam damnationis suæ dictaretur sententia, & propè esset, ut figeretur in Cruce, sua dare indicia potestatis, & qui animam Lazari revocaverat ab inferis, & quatrignano mortuo reddiderat vitam, dignosceretur virtute Divina, non humana tantum opus patrasse. Quam doctrinam confirmat etiam Sophronius in Epist. approbata in 6. Synod. act. 2.*

Damasænum aspiciate lib. 3. Fidei, cap. 5. dicentem: *Quod autem à corpore perficitur, tactus est, & continentia, & facti veluti circumdatio, anima verò veluti facti formatio, & figuratio, sic & in Domino nostro Iesu-Christo miraculo-*

18
Probat. 2.
conclusio ex
Patribus.

D. August.

20
Cyrillus.

Cyprianus.

Sophronius.

19
D. Athanas.

21
Damasænum.

rum virtus dignitatis ipsius fuit actio, manus impositio, medela, & velle, & dicere, volo, mundare, eius humanitatis fuit actio, & ab eius humanitate profectum, & res gesta fuit, panum fractio, & quod à leproso auditum, volo; at verò à Divinitate gestum panum multiplicatio, & leprosi mundatio. Et infra, humanitatem vilitam Verbo comparat ignito gladio, cuius etsi incisio, & combustio sit vna composita actio, incisio tamen gladij, combustio ignis est propria: Sic & in Christo Divinitatis eius Divina, & Omnipotens actio, humanitatis autem eius ea, quæ secundum humanitatem operationis absolutio.

22

Idem.

Explicans autem, quæ fuerit hæc humanitatis operatio, subdit: Humanitatis quidem, quod tenuit puellam manu, & erexit; Divinitatis vivificatio: aliud enim hoc, aliud illud, etsi ab invicem inseparabiles sunt in Dei vera actione. Et infra: Neque enim vivificat Lazarum humana natura, neque lacrimatur Divina potestas, nam lacrimæ humanitatis propria, vivificatio autem hypostatica vite. Et paulo post: Nam Divina signa Divinitas operabatur, sed non sine carne, & caro humilia, sed non sine Divinitate. Vbi eodem modo ait, Divinitatem operari, non sine Carne, Divina; quo carnem, non sine Divinitate, humana; at caro non sine Divinitate sibi coniuncta, operabatur humana: ergo Divinitas, non sine carne sibi coniuncta, non autem substantiam miraculorum attingente, operabatur Divina.

23

Idem.

Et idem prosequens intentum, concludit his verbis: Agit igitur Christus secundum utriusque naturam, & agit utraque in ipso natura, cum alterutris communicatione Verbo quidem operante ea, quæ sunt Verbi, propter auctoritatem, & potestatem Divinitatis, quæcumque sunt præcipua, & regia, corpore verò absolvente, quæcumque sunt corporis munia, ad voluntatem Verbi, quod ipsi cunitur, cuius & factum est proprium. Ergo miracula à Christo patrata teneant virtute Divina facta, quin humanitas concurrisset ad aliud, quam ad id, quod sibi proprium erat.

24

Ex verb. Damasceni probat. in forma nostra conclus.

Denique, ut ad doctrinam Ill. Godoy propinquius accedamus, præ oculis habere eundem Damascenum lib. Quomodo ad imaginem Dei facti sumus, propè finem, ubi cum dixisset: virtutem Divinam per tactum corporis sanasse infirmos, & Divinam voluntatem per

humanam effecisse miracula, modum efficientiæ explicans, ait: singulas naturas, Divinam, scilicet, & humanam, effecisse sibi propria, vnam cum consortio alterius duplici actione mediante: sicut quando serra ignita scindendo vrit, altera est actio scindendi, altera vrendi, procedentes à diversis principijs. Verba Damasceni sunt: Sic quando Divinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio Divinitatis, altera humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extensione, & tactu positus erat; Divinae autem nature in excitatione puellæ. Ex quibus verbis sic in forma probatur nostra conclusio: iuxta Damascenum in suscitatione puellæ (idemque iudicium ferendum est in quolibet alio miraculo) finis humanæ actionis in extensione manus, & tactu positus erat; at si humanitas medio contactu in puellæ suscitationem instrumentaliter phisicè influeret, finis humanæ actionis in contactu non esset; cum ulterius talis actio transiret, nempe, ad miraculosum effectum, ad quem, ut ad finem ordinaretur: ergo iuxta Damascenū, & alios PP. illius modum loquendi imitantes, humanitas Christi phisicè instrumentaliter in miraculosos effectus non influit.

25

Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy num. 97. explicando, & distinguendo maiorem: finis humanæ actionis, provt ab humanitate propria virtute, & principaliter operante, in extensione, & contactu positus erat concedit maiorem; provt ab humanitate Divina virtute elevata, & instrumentaliter influente negat maiorem; & sub eadem distinctione minoris, negat consequentiam. Solum enim sequitur, humanitatem, ut propria virtute, & principaliter operantem, in contactu corporis sistere, nec provt sic effectus miraculosos attingere, quod libenter fatetur; non autem, quod provt virtute Divina elevata instrumentaliter influit, sistat in contactu corporis; sic enim ulterius transit, nempe, in mortui corporis suscitationem, & in alios effectus miraculosos. Quam doctrinam, & distinctionem satis indicat Damascenus, cum ait: In suscitatione puellæ duplicem actionem intervenisse, alteram propriam Divinitatis, & alteram propriam humanitatis, & huius finem in extensione manus, & contactu po-

fitum esse. Nam actio propria humanitatis, ut sic, est ab illa, ut per propriam virtutem agente; actio verò, quæ ab humanitate; ut elevata ab agente principali, instrumentaliter erat, non dicitur, nec est humanitati propria, sed potius principalis agentis: ac proinde, cum Damascenus loquatur de actione humanitatis propria, cum docet, sistere in extensione, & contactu, accipiendus est de actione humanitatis, ut principaliter, & propria virtute operantis.

Et quidem (prosequitur Ill. Godoy num. 98.) hoc argumento etiam nos tenemur: nam licet non tribuamus humanitati Christi efficientiam physicam instrumentalem in effectus miraculosos; concedimus tamen efficientiam moralem instrumentalem: ergo non sistit actio humanitatis adæquatè in contactu; sed ulterius transit, saltim transitu morali: sicut ergo nos interpretari tenemus Damascenum, & explicare, asserendo, quod actio humanitatis sistit physicè in contactu; non autem sistit moraliter: sic ipse dicit: sistere physicè principaliter; non autem physicè instrumentaliter. Quam explicationem verba Damasceni, non tam permittunt, quam petunt, ob ea, quæ in solutione dixit.

Sed licet solutio Ill. Godoy accommodari valeat argumento factò; aliter probationem formo, & præcluditur primò solutio ad hominem contra ipsum: verba Patrum non solum sunt proprie accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis, sic acceptis, non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui verba Damasceni, & aliorum Patrum duplicem dumtaxat actionem physicam statuunt in miraculis à Christo factis, & aliàs ex hoc non sequitur contradictio in Patribus; cum illam actionem physicam non statuunt, nullumque inconueniens sequitur contra rationem naturalem, ut constans est: ergo hanc duplicem dumtaxat actionem in physicam statuere debemus in miraculis à Christo factis. Consequentia est legitima. Minor manifestè apparet in verbis Damasceni, aliorumque Patrum. Maior est Ill. Godoy numer. 19. ubi illa vitur in probationem suæ conclusionis.

Sussumo nunc: atqui ex hæc duplici actione physica, quam Damascenus, & alij Patres statuunt in miraculis à Christo factis, nulla est actio physica instrumentalis, qua humanitas Christi attingat miracula: ergo humanitas Christi non habuit concursum physicum instrumentalem in effectus miraculosos. Consequentia legitime infertur. Sussumpta verò constat ex verbis Damasceni, & aliorum Patrum, ipsamque fatetur Ill. Godoy in solutione, & ultra ostenditur: actio physica, qua humanitas Christi miracula attingebat, erat extensio manus, corporis tactus, verborum prolatio, & aliæ similes; sed nulla ex his actionibus humanitatis est instrumentalis, quin potius principalis, ut etiam fatetur Ill. God. in responsione: ergo, &c.

Præcluditur secundò solutio Ill. Godoy, ad hominem etiam contra ipsum, aliter probationem formando: inter actiones physicas, quibus Christus miracula fecit, nullam instrumentalem declarat Damascenus, & alij Patres in humanitate Christi: ergo dicendum non est, quod humanitas Christi physicè instrumentaliter influit in miraculosos effectus. Antecedens patet: nam Damascenus, & alij Patres solum declarant in humanitate actionem physicam, nempe, extensionem manus, corporis tactum, verborum prolationem, & aliàs similes, quarum quælibet est, qua humanitas Christi propria virtute, & principaliter operabatur, ut fatetur Ill. Godoy in solutione.

Consequentia verò probatur: dicendum non est, quod id, quod est dignitas, & perfectio humanitatis Christi, non declarent Damascenus, & alij Patres, præsertim quando de eo loquuntur; sed quod humanitas Christi physicè instrumentaliter influat in miraculosos effectus, est dignitas, & perfectio humanitatis Christi: ergo cum Patres hoc non declarent, dum de modo, quo miracula sunt à Christo facta, loquantur, dicendum non est, quod humanitas Christi physicè instrumentaliter influit in miraculosos effectus. Consequentia videtur certa. Maior apparet vera; cum Patres semper conentur, dignitatem, perfectionem, & excellentiam humanitatis Christi, non solum declarare, verum, & extollere. Minor est

28

26
Instat contra nos argumentum.

27
Præcluditur 1. solut. Ill. Godoy ad hominem contra ipsum aliter formando probationem.

29
Præcluditur 2. solutio data ad hominem etiam, aliter probat formando.

30
Probatur consequenti.

Ill. Godoy *numer. 59.* vbi hac ratione intendit probare : humanitatem Christi phisicè instrumentalitèr in effectus miraculosos influere.

Ex his itaque apparet : Ill. Godoy solutione data autoritatibus Patrum non occurrere, consequenterque falsum esse, quod illius doctrinam satis indicasset Damascenus ; cum potius oppositum declaret expræssè, dum de humanitate Christi respectu suscitationis puellæ agnoscat solum actionem phisicam, quæ propria sit humanitatis, & qua, vt per propriam virtutem principalitèr agat, quin cognovisset actionem, quæ ab humanitate, vt elevata ab agente principali, instrumentalitèr in miraculis operaretur, vt constat ex verbis illius, simul cum tot Patrum autoritatibus. Vnde re bene inspecta, verba Damasceni nec petunt, nec permittunt explicationem ab Ill. Godoy traditam, ob ea, quæ proximè dicebamus.

Et quidem argumentum, vt formatum est *numer. 24.* nullo modo nos præmit, nec est contra nos instantia: nam licet nos tribuamus humanitati Christi in effectus miraculosos efficientiam moralem instrumentalem, & principalem, modo, quo diximus *disp. præced. numer. 19. & 20.* consequenterque Damascenum explicemus, asserendo: quod actio humanitatis sitit phisicè in contractu ; non autem sitit moralitèr ; non ob hoc Damasceno contrariamur ; quia ibi solum loquitur de actionibus phisicis, quibus miracula sunt à Christo patrata. At Ill. Godoy explicans Damascenum, asserendo: *Sistere phisicè principalitèr ; non autem phisicè instrumentalitèr,* Damasceno opponitur ; cum tribuat humanitati Christi actionem phisicam, quam, loquendo de phisica actione, Damascenus non cognovit. Et ex his in forma respondeo ad instantiam negando consequentiam ob rationem datam.

§. II.

Rationibus stabilitur nostra conclusio, destruendo fundamentum

Ill. Godoy.

Prima ratio pro nostra conclusione est destructiva præcipui fundamenti Ill. Godoy, quod, scilicet, hæc potentia phisica faciendi miracu-

la sit dignitas, & perfectio, contra quod fundamentum sic nostra formatur probatio : supposita semel in Christo virtute morali principali condignè meritoria per modum imperij omnium miraculorum, quæ possunt à Deo fieri, nullam dignitatem affert Christo virtus effectiva instrumentalis phisica miraculorum: ergo non est in Christo statuenda: ergo humanitas Christi præter concurrentem moralem principalem non habuit concursum phisicum instrumentalem in effectus miraculosos. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens autem probatur: supposita semel in Christo virtute morali principali condignè meritoria per modum imperij omnium miraculorum, quæ possunt fieri à Deo, Christo adfert indignitatem, & indecentiam virtus effectiva instrumentalitèr phisicè miraculorum: ergo supposita semel in Christo virtute morali principali condignè meritoria per modum imperij omnium miraculorum, quæ possunt à Deo fieri, nullam dignitatem affert Christo virtus effectiva instrumentalis phisica miraculorum.

Probatur antecedens duplici paritate. Prima est: supposita semel in Rege, aut Imperatore, virtute morali pro libito condendi Urbem, Regi, aut Imperatori adfert indignitatem, & indecentiam virtus effectiva instrumentalis phisica condendi Urbem: ergo pariter. Consequentia est paritate certa. Antecedens autem conitatur: nam virtus instrumentalis phisica condendi Urbem est portatio lapidū, mixtio Calcis, &c. quæ absque dubio Regi, aut Imperatori indignitatem, & indecentiam adferunt. Secunda paritas est: nam in quæstione, an Cæli moveantur ab Angelis, an à solo Deo? Authores sentientes, ab Angelis moveri, hac paritate vtuntur, scilicet, quia indignum est, Regem, aut Imperatorem, se phisicè ad infima subijcere, quod verum apparet: nam indignum est: Regem, aut Imperatorem, se phisicè subijcere ad accendendum ignem, v. g. atqui humanitatem Christi assumi, vt phisicum instrumentum ad miracula patranda, est, Christum Regem, & Imperatorem, se ad infima subijcere, nempe, ad productionem dispositionum in homine resuscitando, vel ad visum restituendo: ergo virtus ef-

82

31

*Inutilitas
solutionis
Ill. Godoy
ostenditur.*

32

*Instantiam
esse nullam
declarat.*

34

*Probatur
antecedens
duplicitèr
paritate.*

Prima.

Secunda.

*Respondetur
in forma.*

33

*Probat. I.
concl. ratio-
ne.*

fectiva instrumentaliter phisicè miraculorum Christo adfert indignitatem, & indecentiam.

35
Probat. 2.
concl. destruedo fundam. & ad hom. contra Ill. Godoy.

Secunda ratio pro nostra conclusione est etiam destructiva fundamenti prædicti ad hominem contra Ill. Godoy, quæ ad hanc formam reducit: Christo de facto attribenda est omnis dignitas, & perfectio non implicans, aut cum statu Redemptoris non pugnans, nisi oppositum sit revelatum; atqui Verbum carnem assumere, Adamo non peccante, est dignitas, & perfectio Christi, non implicans, nec cum statu Redemptionis repugnans, nec oppositum est revelatum: ergo Verbum carnem assumeret, Adamo non peccante. Tunc sic; sed hoc est falsum apud Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disp. 8.* ergo falsum est iuxta sua principia, quod Christo de facto attribenda sit omnis dignitas, & perfectio non implicans, aut cum statu Redemptoris non pugnans. Omnia sunt vera, si vera est minor syllogismi; nam maior est Ill. Godoy *in præsent. num. 59.* Consequentia cum sumpta est manifesta.

36
Probat. 1.
pars minoris.

Probat. itaque minor quoad primam partem: Verbum carnem assumere, Adamo non peccante, est dignitas, & perfectio Mysterij Incarnationis; nam tunc humanitas per Incarnationem exaltaretur, sicut nunc de facto exaltatur; sed quod est dignitas, & perfectio Mysterij Incarnationis, est dignitas, & perfectio Christi: ergo Verbum carnem assumere, Adamo non peccante, est dignitas, & perfectio Christi. Secunda pars probatur: possibile est, nullo existente peccato, Verbum carnem assumere; nam ratio, qua nunc de facto possibilitas Incarnationis probatur, est ratio probans possibilitatem illius, nullo existente peccato: ergo Verbum carnem assumere, Adamo non peccante, est dignitas, & perfectio Christi non implicans. Probat. tertia pars: dato, quod Verbum carnem assumeret, Adamo non peccante, Christus non veniret ut passibilis, & consequenter, nec ut Redemptor, ut tenet Ill. Godoy *tom. 1. citat. disp. 8. num. 232*: ergo Verbum carnem assumere, Adamo non peccante, est dignitas, & perfectio Christi, cum statu Redemptionis non pugnans. Quarta pars probatur: si oppositum esset revelatum, esset de fide,

Probat. 2.
pars.

Probat. 3.
pars.

Probat. 4.
pars.

Verbum carnem non assumere, Adamo non peccante; sed hoc est plusquam falsum: ergo Verbum carnem assumere, Adamo non peccante, est dignitas, & perfectio Christi, quin oppositum sit revelatum.

Tertia ratio pro nostra conclusione etiam est destructiva prædicti fundamenti, & sic formatur: Christo, ut homini, de facto attribuenda est omnis dignitas, & perfectio, non implicans, aut cum statu Redemptionis non pugnans, nisi oppositum sit revelatum; atqui virtus effectiva instrumentaliter phisicè miraculorum, est præcisivè sumpta, seu secundum se, sit aliqua dignitas; contracta tamen, seu determinata ad Christum, dignitas Christi non est: ergo Christo, ut homini, de facto attribuenda non est. Consequentia est legitima: quia nihil, quod non fuerit dignitas in Christo, potest ei ratione dignitatis attribui. Maior est fundamentum probationis Ill. Godoy, quod ad litteram tradit *num. 59.* Minor autem pro prima parte; scilicet, quod virtus effectiva instrumentaliter phisicè miraculorum, præcisivè sumpta, seu secundum se, sit aliqua dignitas; probatione non indiget, quia ipsam damus, vel permitimus.

Pro secunda autem parte, scilicet, quod hæc virtus ad Christum contracta, seu determinata, dignitas Christi non sit, probatur: dignitas ex nominis significatione dicit excessum, superioritatem, & excellentiam; sed virtus effectiva instrumentaliter phisicè miraculorum, contracta, seu determinata ad Christum, non dicit in Christo excessum, superioritatem, & excellentiam: ergo virtus effectiva instrumentaliter phisicè miraculorum, contracta, seu determinata ad Christum, dignitas Christi non est. Consequentia infertur. Maior innegabilis videtur, & ne improbatam relinquamus.

Per ea, quæ apud omnes sunt certa, probatur: dignitas infinitatis simpliciter, vel secundum quid, quam habent de facto meritum, & satisfactio Christi, dicit excessum, superioritatem, & excellentiam ad meritum, & satisfactionem cuiuscumque puræ creaturæ. Item: dignitatem intensio- nis gratiæ, & sanctitatis, quam Christus habet de facto, dicit excessum, su-

37
Probat. 3.
concl. destruedo fundament. Ill. Godoy.

38
Minor pro 2. p. probat.

39
Maior probatur.

terioritatem, & excellentiam ad gratiam, & sanctitatem in pura creatura repertam. Deinde: dignitas intensio- nis scientiæ beatæ, quæ habuit Chris- tus ab instanti suæ Conceptionis, di- citur excessum, superioritatem, & excel- lentiam ad scientiam beatam, quam homines, & Angeli habent in termi- no. Denique: hoc idem patet in omni- bus donis supernaturalibus in Christo repertis: Vera igitur est supra posita maior, scilicet, dignitas ex nominis significatione dicitur excessum, superio- ritatem, & excellentiam.

Minor verò probatur: virtus effec- tiva instrumentaliter phisicè mira- culorum, sive in actu primo, vel de possibili, sive in actu secundo, vel de facto, contracta, vel determinata ad Christum, non dicitur in Christo exces- sum, superioritatem, & excellentiam: ergo virtus effectiva instrumentaliter phisicè miraculorum, contracta, seu determinata ad Christum, non dicitur in Christo excessum, superioritatem, & excellentiam. Probatur antecedens quoad primam partem: virtus effec- tiva instrumentaliter phisicè miracu- lorum in actu primo, sive de possibili; convenit omnibus creaturis, ita æqualiter ac Christo; sed quod omni- bus creaturis convenit ita æqualiter ac Christo, non dicitur in Christo exces- sum, superioritatem, & excellen- tiam: ergo virtus effectiva instrumen- taliter phisicè miraculorum in actu primo, sive de possibili, contracta, vel determinata ad Christum, non dicitur in Christo excessum, superioritatem, & excellentiam. Consequentia est no- toria. Maior certa: nam virtus effec- tiva instrumentaliter phisicè miracu- lorum, ita æqualiter, ac Christo, potest omnibus creaturis communicari. Mi- nor verò probabitur probando ante- cedens pro secunda parte.

Probatur itaque antecedens pro secunda parte: virtus effectiva instru- mentaliter phisicè miraculorum in actu secundo, seu de facto, convenit creaturis, etiam irrationalibus, ita æqualiter, ac Christo; sed quod con- venit pluribus creaturis, etiam irra- tionalibus, ita æqualiter, ac Christo, non dicitur in Christo excessum, superio- ritatem, & excellentiam: ergo vir- tus effectiva instrumentaliter phisicè miraculorum in actu secundo, seu de facto, contracta, seu determinata ad

Christum, non dicitur in Christo exces- sum, superioritatem, & excellentiam. Consequentia est manifesta. Præmissæ autem sunt probandæ.

Probatur maior: virtus effectiva instrumentaliter phisicè gratiæ, & mi- raculorum in actu secundo, seu de facto, communicata est pluribus crea- turis rationalibus, & irrationalibus, ita æqualiter, ac Christo: ergo, &c. An- tecedens constat primo: nam Minis- trum Sacramenti, etiam peccato in- fectum, in illius effectum instrumen- taliter phisicè influit, ut fatetur Ill. Godoy num. 66. Item: Sacramenta no- væ legis instrumentaliter phisicè in gratiam iustificantem influunt, ut fa- tetur Ill. Godoy num. 66. citat. Item: influxus instrumentalis phisicus in gratiam regenerantem convenit de facto aquæ in Baptismo, & tamen aqua creatura irrationalis est, quod totum fatetur Ill. Godoy num. 66. cit. Denique: hoc expressè docet D. Au- gustin. lib. 9. in Genes. ad litt. cap. 17. & 18. dicens: *Interdum Deum æsum fuisse insensibilibus, & irrationalibus creaturis ad miracula phisicè patranda, ut ad loquendum, Afinas, ad flores, fluctusque repente producendos, signo aridos ad prolem gignendam, sene, ac sterili femina.* Quibus verbis, ita æqualiter, ac Christo, communicata fuit virtus effectiva instrumentaliter phisicè gra- tiæ, & miraculorum, in actu secundo, seu de facto, per quod veritas maio- ris apparet.

Minor verò probatur primò: idem scientia beatæ, quam habuit Christus ab instanti suæ Conceptionis, dicitur excessum, superioritatem, & excellen- tiam ad scientiam beatam, quam ha- bent in termino homines, & Angeli, quia nulli eorum convenit scientia beatæ ita æqualiter, seu in æquali in- tentione, ac Christo convenit: ergo quod convenit pluribus creaturis etiam irrationalibus, ita æqualiter, ac Christo, non dicitur in Christo exces- sum, superioritatem, & excellentiam. Probatur secundò dicta minor: idem unio hypostatica dicitur de facto in hu- manitate Christi excessum, superio- ritatem, & maximam excellentiam, quia nulli alteri creaturæ est de facto communicata: ergo, &c.

Tertiò probatur eadem minor: idem meritum, & satisfactio Christi de facto, & de possibili, dicitur excessum,

42
Maior sy-
llogismi pro-
batur.

40
Probatur
minor.

Prob. ante-
ced. pro 1. p.

41
Pro 2. pro-
batur.

43
Minor sy-
llogismi pro-
bat. 1.

Probatur. 2.

44
Tertiò.

superioritatem, & excellentiam ad meritum, & satisfactionem cuiuscumque purae creaturae, quia nulla pura creatura, sive de facto, sive de possibili, potest mereri, & satisfacere, ita aequaliter, ac Christus: ergo, &c. Probatur quartò minor supra dicta: ideo gratia, & sanctitas Christi dicit de facto, & de possibili, excessum, superioritatem, & excellentiam ad gratiam, & sanctitatem cuiuslibet purae creaturae, quia nulla pura creatura, sive de facto, sive de possibili, potest habere gratiam, & sanctitatem, ita aequaliter, ac Christus: ergo, &c.

Minor supra posita probatur quinto: ideo esse causam condignè meritoriam, & impetratoriam omnium miraculorum, quae fieri possunt à Deo, dicit in Christo excessum, superioritatem, & excellentiam ad omnes creaturas, quia nulli purae creaturae potest hæc dignitas communicari; supponit enim infinitum valorem personae merentis, & impetrantis: ergo, &c. Denique probatur minor: excessus, superioritas, & excellentia dicunt negationem aequalitatis: ergo, &c. Et ex hoc probata etiam manet minor posita num. 46.

Ex his itaque manifestè apparet veritas huius nostrae probationis, destructivæ fundamenti Ill. Godoy: nam quæ dignitas Christi potest esse, Christum, ut hominem, habere, quod habet creatura rationalis peccato infecta: Et quæ dignitas Christi potest esse, Christum, ut hominem, habere id, quod aequaliter habet lignum aridum, & Asina? Certè videtur ridiculum, assignare in Christo pro dignitate id, quod Asina habet. Et mihi certum videtur, hoc tacuisse Ill. Godoy, quia dignum illi visum non fuit, fateri, Christum habuisse circa miracula patranda virtutem physicam æquè æqualem, ac Asina.

Probatur quartò conclusio ratione etiam destructiva fundamenti Ill. Godoy: tota dignitas humanitatis Christi in ordine ad miracula patranda sita est in eo, quod humanitas Christi sit vera, & propria causa miraculorum, per excellentiam, excessum, & superioritatem ad omnes alias creaturas, sive insensibiles, sive rationales, sive irracionales; atqui semel posita in humanitate Christi virtute morali principali, condignè meritoria per

modum imperij omnium miraculorum, & præcisa virtute physica instrumentali, humanitas Christi est vera, & propria causa miraculorum, per excellentiam, excessum, & superioritatem ad omnes alias creaturas, sive rationales, sive irracionales, sive insensibiles: ergo virtus moralis, & non physica instrumentalis, ponenda est in humanitate Christi in ordine ad miracula patranda: ergo humanitas Christi præter concursum principalem moralem non habuit concursum physicum instrumentalem in effectus miraculosos. Secunda consequentia ex prima inferitur. Prima ex præmissis. Ex his autem maior manifestè apparet.

Primo: quia semel concesso, quod humanitas Christi est vera, & propria causa miraculorum, salvantur verba Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, attribuentia humanitati Christi efficientiam in miracula, ut constabit ex solutione argumentorum, quæ ab auctoritate contra nostram sententiam objicit Ill. Godoy. Secundo: quia si humanitas Christi non est verè, & propriè causa miraculorum per excessum, & superioritatem ad coeteras creaturas, talis virtus non erit dignitas in Christo, ut constat ex dictis in tertia probatione. Minor verò probatur: causa moralis est verè, & propriè causa, ut fatetur Ill. Godoy num. 113. & à nobis manet ostensum num. 3: ergo semel posita in humanitate Christi virtute morali principali, condignè meritoria per modum imperij omnium miraculorum, & præcisa virtute physica instrumentali, humanitas Christi est vera, & propria causa miraculorum, per excellentiam, excessum, & superioritatem ad omnes alias creaturas, sive rationales, sive irracionales, sive insensibiles.

Hanc quadruplicem rationem proposui, ut inefficacia fundamenti Ill. Godoy innotescat. Quid autem ad primam, & secundam respondere valeat, ignoro, quia ipsas non tetigit. Quod autem respondere possit ad tertiam, videbimus, & impugnabimus, dum ultimum illius argumentum solvamus; & quod ad quartam respondere valet, videbimus, & rejiciemus in solutione primi illius argumenti ab auctoritate.

Quartò.

45
Quintò.

Sextò.

46
Dicta confirmantur.47
Probat. 4.
concl. destructivè
fundamentum
Ill. Godoy.

48

Maior patet i.

Secundò.

Minor probatur.

49

§. III.

Probatur conclusio rationibus destruentibus modum dicendi

Ill. Godoy.

§0
 Probat. 1.
 concl. destruen-
 dum dicendi
 Ill. Godoy.

Prima ratio destructiva modi dicendi Ill. Godoy, sub hac forma proponitur: vt humanitas Christi influat instrumentaliter phisicè in miraculosos effectus, debet in illa constitui forma aliqua intrinsicè illam elevans, quæ forma sit qualitas supernaturalis, à Deo Christi humanitati communicata; atqui qualitas supernaturalis nequit esse forma intrinsicè elevans humanitatem Christi, ad influendum instrumentaliter phisicè in miraculosos effectus: ergo humanitas Christi non influit instrumentaliter phisicè in effectus miraculosos. Consequentia est legitima. Maior pro prima parte est Ill. Godoy numer. 170. in solutione cuiusdam argumenti Patris Bazquez. Pro secunda parte est doctrina eiusdem num. 246.

§1
 Probat. minor.

Minor autem probatur: illa qualitas supernaturalis nequit habere intrinsicam virtutem ad omnes miraculosos effectus producendos: ergo qualitas supernaturalis nequit esse forma intrinsicè elevans humanitatem Christi, ad influendum instrumentaliter phisicè in miraculosos effectus. Probat. antecedens: si qualitas illa supernaturalis haberet intrinsicam virtutem ad omnes miraculosos effectus producendos, illa qualitas esset infinitæ virtutis; sed hoc repugnat: ergo illa qualitas supernaturalis nequit habere intrinsicam virtutem ad omnes effectus miraculosos producendos. Probat. maior: maxima illa Scoti in 2. dist. 3. quest. 10. quam etiam tetigit in 1. dist. 2. quest. 1. scilicet, *vbi pluralitas requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, & virtutem; sed si qualitas illa supernaturalis haberet virtutem intrinsicam ad omnes effectus miraculosos producendos, qualitas illa haberet virtutem intrinsicam ad producendum infinitos effectus specificè distinctos: ergo si qualitas illa supernaturalis haberet intrinsicam virtutem ad omnes miraculosos effectus producendos, illa qualitas esset infinitæ virtutis. Consequentia inferitur. Minor patet: nam si*

qualitas illa haberet virtutem intrinsicam ad omnes miraculosos effectus producendos, qualitas illa haberet virtutem intrinsicam ad producendum, non tot, quin plures effectus specie distinctos, & consequenter infinitos.

Maior autem probatur ab Scoto cit. hoc exemplo: nam si posse ferre decem pondera, arguit maiorem virtutem, & perfectionem, quam posse ferre tantum vnum; posse ferre infinita pondera, arguit infinitam virtutem, & perfectionem: ergo similiter. Probat. etiam ratione prædicta maior: posse producere, quamvis partialiter quatuor effectus specie distinctos, dicit maiorem perfectionem, quam posse duos tantum producere: ergo posse infinitos effectus specie distinctos producere, dicit infinitam perfectionem: ergo vbi pluralitas requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, & virtutem. Vtraque consequentia est legitima. Antecedens vero probatur: activitas ex se dicit perfectionem: ergo, &c. Nec dicas, quod hæc ratio patitur instantiam in actu creato, qui finire virtutis est, & tamen potest successive infinitas intellectiones specie distinctas producere. Nam hæc instantia soluta manet à nobis tom. præced. disp. 34. num. 99. cum seqq.

§2
 Probat. maior.

Quædam instantia.

Solut. illius

§3
 Probat. 2. concl. destruen-
 dum dicendi
 Ill. Godoy.

Probat. minor.

Secunda ratio destructiva modi dicendi Ill. Godoy reducitur ad hanc formam: vt humanitas Christi influat instrumentaliter phisicè in miraculosos effectus, debet in illa constitui forma aliqua, intrinsicè illam elevans, quæ forma sit qualitas supernaturalis, à Deo Christi humanitati communicata; atqui talis qualitas est impossibilis: ergo iuxta modum dicendi Ill. Godoy impossibile est, quod humanitas Christi influat instrumentaliter phisicè in effectus miraculosos. Consequentia tenet. Maior est Ill. Godoy pro vtraque parte, vt diximus num. 50. Minor autem, in qua est difficultas, probatur: nam vel illa qualitas esset materialis, & corporea, vel esset spiritualis? Non corporea; quia non posset attingere spirituales effectus, vt supponit Ill. Godoy tom. 1. disp. 6. num. 30. respondendo ad quodam argumentum, & num. 34. propè finem, nosque cum Doctore docuimus tom. 1. in 1. Sentent. disput. 6. §. 7. per totum.

Non spiritualis; quia non potest recipi in subiecto corporeo: ergo impossibilis est talis qualitas.

§4
Dices pro
Ill. Godoy.

Impugnat.

Dices pro Ill. Godoy: illam qualitatem esse corpoream, quod non obest illi ad hoc, ut concurrat ad miraculosos effectus, ut instrumentum à Deo elevatum; licet illi obitet ad hoc, ut concurrat ad miraculosos effectus, ut causa principalis. Hæc tamen solutio efficaciam nostræ probationis non minuit, cuius ratio, & simul impugnatio est: nam vel illa qualitas corporea elevaretur per aliam qualitatem, seu per aliam virtutem intrinsicè in se receptam; vel non? Si primò: de illa alia qualitate inquiri: an sit corporea, vel spiritualis? & reddit idè argumentum, eritque processus in infinitum. Si secundò: infero: ergo illa qualitas numquam valebit attingere effectus spirituales; cum hoc repugnet qualitati corporeæ, ut ex Ill. Godoy dictum est *num. anteced.* nulla ergo est solutio pro ipso allata.

§5
Declaratur
doctrina ip
sius Ill. God.

Declaratur hoc doctrina ipsius Ill. Godoy: qualitas illa elevans humanitatem Christi ad miracula patranda, est principium quo operandi, seu est forma, à qua humanitas Christi recipit posse per modum actus primi in effectus miraculosos influere: ergo qualitas prædicta habet intrinsicam virtutem, ut quo operandi miracula. Consequentia est legitima, quia nemo dat, quod non habet. Antecedens est Ill. Godoy *num. 246. & 247.* Quæro nunc, quod antea quæsi: vel illa qualitas est corporea, vel spiritualis? Et reddit argumentum factum, ex quo satis convincitur impossibilitas qualitatis prædictæ.

§6
Probat. 3.
concl. des
truendo mo
dum dicendi
Ill. Godoy.

Tertia ratio destructiva modi dicendi Ill. Godoy hac formalitate proponitur: humanitas Christi Domini secundum se non potest attingere effectum supernaturalem adhuc, ut instrumentum: ergo nec qualitas supernaturalis potest secundum se attingere effectum miraculosum. Probatur consequentia: ideo humanitas Christi Domini secundum se non potest attingere effectum supernaturalem, adhuc ut instrumentum, quia est improporcionata cum effectu supernaturali; sed etiam qualitas supernaturalis est improporcionata cum effectu miraculoso: ergo qualitas supernaturalis non potest secundum se attingere ef-

fectum miraculosum. Probatur minor: ideo humanitas Christi Domini est improporcionata cum effectu supernaturali, quia ab isto in perfectione exceditur; sed etiam qualitas supernaturalis in perfectione ab effectu miraculoso exceditur: ergo improporcionata est cum effectu miraculoso. Maior patet primò: quia vel accidens est proportionatum, ut sit immediatè productivum substantiæ, ut asseritur in sententia D. Thomæ; vel non, ut in Scoti opinione affirmatur? Si est proportionatum, ut sit immediatè productivum substantiæ, hoc non habet per vos secundum virtutem propriam, quia hæc est imperfectior substantia; sed vel in virtute alterius æquè perfecti; aut perfectioris ipsa substantia, vel quia in ratione operativi imperfectior substantia non est: ergo ideo humanitas Christi Domini est improporcionata cum effectu supernaturali, quia ab isto in perfectione exceditur. Si non est proportionatum, est, quia imperfectior ipsa substantia est, ut Scoti ratio demonstrat: ergo, &c. Secundò patet eadem maior ex universali doctrina, quod causa non possit attingere aliquem effectum, nisi in perfectione cum ipso adæquetur: ergo, &c.

Si dicas: hoc esse verum de causa principali; falsum tamen de causa instrumentali. Contra primò: ad esse instrumentum non requiritur iuxta solutionem proportio in perfectione inter instrumentum, & effectum: ergo licet humanitas secundum se non sit proportionata cum effectu supernaturali, imò, & cum effectu miraculoso, poterit secundum se independenter à quacumque qualitate esse instrumentum ad hos effectus, quod est falsum apud Ill. Godoy, qualitatem requirentem, & discurrendo per omnes alios modos dicendi contrariorum, apud omnes falsitas etiam apparebit.

Contra secundò: inter causam instrumentalem, & effectum debet dari proportio in perfectione: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: inter causam instrumentalem, & effectum debet dari ordo efficientis, & effecti: ergo pariter: inter causam instrumentalem, & effectum debet dari proportio in perfectione. Consequentia est paritate notoria. Antecedens

§7
Dices.

Contra 1.

§8
Contra 2.

verò est apud Ill. God. concessum *num. 170.* respondendo ad quintum argumentum, quod sibi obiecit *num. 164.* Probatur secundò dictum antecedens: inter causam principalem, & effectum debet dari proportio in perfectione: ergo similiter: inter causam instrumentalem, & effectum debet dari proportio in perfectione. Probatur consequentia: idè inter causam principalem, & effectum debet dari proportio in perfectione, quia effectus exit à causa principali, & hæc agit in effectum; atqui etiam effectus exit ab instrumento, & instrumentum agit in effectum: ergo inter causam instrumentalem, & effectum debet dari proportio in perfectione. Totum est concessum ab Ill. Godoy *num. proxime cit. 6. IV.*

*Fundamentali ratione probatur
nostra conclusio.*

59
Probat. 2.
concl. ratio-
ne principa-
lissima.

Ratio, & principalissima pro nostra conclusione sub hac forma proponitur: eo modo influit humanitas Christi in effectus miraculosos, quo passio Christi influit in gratiam iustificantem; sed passio Christi non influit physicè instrumentalitèr, sed moralitèr tantum in gratiam iustificantem: ergo humanitas Christi præter concursum moralem, non habet physicum instrumentale concursum in effectus miraculosos. Maior constat primò: nam quantum ad concursum respectu miraculorum eo modo philosophandum est, ac respectu gratiæ. Secundò: nam ex eo probat Ill. Godoy (vt ipse fatetur *num. 211.*) humanitatem Christi physicè influere in gratiam, & effectus miraculosos, quia iuxta D. Thom. passio Christi physicè influit in gratiam: ergo eo modo influit humanitas Christi in effectus miraculosos, quo passio Christi influit in gratiam iustificantem. Minor verò, in qua tota est difficultas, probatur: ad influendum physicè, siue principalitèr, siue instrumentalitèr, physica existentia requiritur; sed passio Christi modo non existit physicè: ergo passio Christi non influit physicè instrumentalitèr in gratiam iustificantem, consequenterque moralitèr influit dumtaxat. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est communis Philosophorù consensus, eamq̄ fatetur, & probat Ill. God. *n. 148. & 186*

Ad hanc probationem, omisis varijs solutionibus, quas adducit, & impugnat Ill. Godoy à *num. 212. usque ad 240.* respondet ipse duplicitèr. Primò respondet *num. 241.* subtinendo solutionem Caietani, quam tradidit *num. 231.* his verbis: tertia solutio sumitur ex Caietano in hac 3. part. infra *quest. 59. artic. 1. circa solut. ad 3.* vbi docet, passionem Christi, idè dici causam nostræ iustificationis, quia humanitas, quæ est universale instrumentum coniunctum Divinitatis per ipsam determinata est, vt in nostram iustificationem influeret, quia ex hoc, quod passa est, intelligimus communicatam sibi virtutem remissivam peccatorum, & ex hoc, quod resurrexerit, communicata est sibi virtus resuscitativa mortuorum, quod magis explicans loquendo de resurrectione, addit: sic enim resurrectio Christi dicitur causa nostræ resurrectionis, quoniam per ipsam Christus homo instrumentum efficax constitutus est ad resuscitandos homines in vitam æternam.

Contra quam solutionem (prosequitur Ill. Godoy *numer. 232.*) itatim difficultas insurgit: vt enim verum sit, humanitatem Christi constitui instrumentum efficax nostræ iustificationis, quia passa est, necessariò requiritur, quod passio causalitatem exerceat in formam, per quam humanitas instrumentum nostræ iustificationis constituitur; sed causalitas moralis non sufficit; causalitas autem physica non potest passioni præteritæ, nunc non existenti competere: ergo argumentum factum data solutione non solvitur, sed in suo robore perseverat. Maior constat: nam *ly quia causalitatem importat*: ergo vt humanitas eleuetur ad nostram salutem causandam, quia passa est, debet passio influere in formam elevantem humanitatem; illamque aliqua ratione causare. Minor pro secunda parte constat ex dictis: nam res non existens physicè, non potest physicè influere; sed passio Christi nunc non existit: ergo non potest physicè influere in formam elevantem humanitatem.

Pro prima autem parte aperta videtur. Primò: nam moralitèr causare formam physicè causantem, non sufficit, vt causans illam moralitèr, causet physicè effectum physicè à forma cau-

60
Respond. 1.
Ill. Godoy.

61
Contra.

62

fatum; aliàs Christi meritum efficiens moralitèr gratiam iustificantem, diceretur causans phisicè effectum, qui phisicè à gratia præstatur: ergo moralis influxus passionis in formam elevantem humanitatem, vt sit instrumentum phisicum nostræ iustificationis, non sufficit, vt passioni Christi phisicè attribuatür nostra iustificatio. Secundò probatur: causalitas passionis in nostram iustificationem, quam contendit Caietanus salvare, eadem est cū causalitate resurrectionis Christi in nostram resurrectionem, vt constat ex eius verbis, & ex doctrina Angelici Præceptoris, quam Caietanus explicat, & defendit; sed causalitas resurrectionis Christi in nostram resurrectionem moralis esse non potest; Christus namquè post mortem non meruit in communi Theologorum sententia: ergo causalitas moralis passionis Christi in formam elevantem humanitatem, vt sit instrumentum phisicum nostræ iustificationis, ad intentum præsens, & ad ruendam doctrinam D. Thomæ non sufficit.

63
Respondet
Ill. Godoy.

Ad hanc impugnationem respondet Ill. Godoy *numer. 241.* humanitatem Christi idè constitui instrumentum efficax nostræ iustificationis per passionem, & per resurrectionem instrumentum efficax nostræ resurrectionis, quia Deus destinavit humanitatem ad primum effectum causandum, quia passionem subiit, & ad secundum effectum, quia resurrexit: *ly quia dicente non rationem formalem elevandi humanitatem, nec constituendi illam in ratione substracti elevabilis, sed conditionem ad prædictos effectus.* Sicut enim in causis naturalibus dantur aliqua, solum vt conditiones se habentia; ita in instrumentis obedientialibus, quæ à Deo pro sua voluntate assumuntur ad aliquos effectus causandos, possunt aliqua, vt conditiones se habere.

64

Et ita dicimus (prosequitur ipse) de facto se habuisse passionem, & resurrectionem, vt Deus destinaret humanitatem ad causandum instrumentum nostram iustificationem, & nostram resurrectionem. Vt autem ad illos effectus tamquam conditiones concurrant, non requiritur, quod phisicè illis coexistant, sed sufficit, quod aliquando extiterint, & quod Deus decreverit, humanitatem elevan-

re ad illos effectus causandos, quia passio, & resurrectio extiterunt. Potest enim ens rationis, vt modus, & conditio ad effectum realem concurrere, vt constat in relatione rationis constituente demonstrationem, quæ vt causet realitèr scientiam à prædicta relatione, quæ est obiectum Logicæ, tamquam à modo, & conditione dependet; & consequentèr ens reale, quod aliquando extitit, potest, vt conditio, concurrere ad effectum realem causandum, etsi phisicè non existat, cum talis effectus producitur.

Hæc tamen solutio Ill. Godoy, quæ (vt ex terminis illius apparet) difficilis est intelligentiæ, explicatione indiget, vt solita claritate impugnetur à nobis. Solutio itaque, vt certum supponit id, quod ferè vniversalitèr admissum est à Philosophis, nempe, existentiam actualem esse necessariam in omni causa phisica, siuè principali, siuè instrumentali ad phisicè producendum effectum; idè què tenet solutio: solum Christi humanitatem, quæ de facto existit, esse phisicum instrumentum nostræ iustificationis; passionem autem Christi, quæ de facto non existit, esse tantum conditionem, ad quod sufficit existentia præterita.

Hæc est solutio Ill. Godoy, quæ sic primò impugnatur à nobis: passio Christi iuxta hanc solutionem est conditio, vt humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis: ergo passio Christi debet de facto existere; atqui passio Christi non existit de facto: ergo passio Christi non est conditio, vt humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis: ergo nulla est solutio.

Prima consequentia, in qua tota est difficultas, probatur: vt passio Christi sit conditio, vt humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis, non sufficit, passionem Christi extitisse; sed passio Christi est conditio, vt humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis: ergo passio Christi debet de facto existere. Probatur maior: vt passio Christi sit conditio, vt humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis, non sufficit, passionem Christi esse nihil;

65
Declaratur
solutio Ill.
Godoy.

66
Impugnat.
I. solutio
Ill. Godoy.

67

sed passionem Christi extitisse, est passionem Christi esse nihil: ergo ut passio Christi sit conditio, ut humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis, non sufficit, passionem Christi extitisse.

68

Impugn. 2.

Impugnatur secundò prædicta Ill. Godoy solutio: passio Christi iuxta illius solutionem est conditio, ut humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis: ergo passio Christi debet de facto existeret. Probatur consequentia: existentia humanitatis est conditio, ut humanitas Christi sit de facto phisicum instrumentum nostræ iustificationis; sed existentia humanitatis debet de facto existeret: ergo passio Christi debet de facto existeret. Maior est Ill. Godoy num. 148. eamque probat, tam in nostra, quam in eius opinione. Minor constat ex solutione. Consequentia verò probatur: idè existentia humanitatis debet de facto existeret, ut humanitas Christi sit de facto phisicum instrumentum nostræ iustificationis, quia existentia humanitatis est conditio, ut humanitas Christi sit de facto tale instrumentum; sed passio Christi est conditio, ut humanitas Christi sit de facto instrumentum phisicum nostræ iustificationis: ergo passio Christi debet de facto existeret. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt in solutione ab Ill. Godoy allata concessæ.

69

Instantiam
Ill. Godoy
retorqueo.

Nequè facit ad rem instantia, quam adducit Ill. Godoy de ente rationis, quod ut modus, & conditio, potest ad effectum realem concurrere. Nam quidquid sit de hoc, instantia est contra ipsum. Ratio est: quia si ens rationis de facto non esset, vel existeret existentia tibi proportionata, nullatenus posset, ut modus, & conditio, ad effectum realem concurrere, ut constat in exemplo ab ipso adducto; demonstratio enim, quæ, ut causet realiter scientiam, dependet à relatione rationis, tanquam à modo, & conditione; nullatenus scientiam causaret, si talis relatio de facto non esset, vel existeret, existentia tibi proportionata: ergo similiter de passione Christi, quæ iuxta solutionem allatam est conditio, ut humanitas Christi sit de facto phisicum instrumentum nostræ iustificationis: nulla igitur est instantia Ill. Godoy.

Respondet secundò num. 242. ad nostram prædictam probationem ex ab ipso dictis tom. 1. disput. 3. numer. 59. nempe: ut causa efficiens, sive instrumentalis, sive principalis, phisicè efficienter causet, sufficere, quod existat, quando causat formaliter in se ipsa, aut virtualiter in effectu à se causato; cum in se ipsa existeret, & existente formaliter tempore existentia effectus, qui de præsentis à tali causa procedit, & constat in generante iam mortuo, cui proles genita efficienter attribuitur; quia licet non existat formaliter in se ipso, existit tamen in instanti, in quo factus animatur, virtualiter in semine à se decisso; cuius doctrine alia exempla adduxit ubi proxime: ut ergo passioni Christi, ut causæ phisicè efficienti, gratia nostra iustificans attribuatur, sufficit, quod licet modo non existat in se ipsa formaliter; existat tamen virtualiter in aliquo modo supernaturali ab illa causato phisicè, cum formaliter existeret, & nunc in humanitate perseverante; & in hoc sensu potest accipi doctrina Vincentij asserentis: idè passioni Christi attribui efficienter nostram iustificationem, quia humanitas Christi elevatur ad nostram iustificationem causandam, ut realiter immutata mutatione intrinseca præstita à prædicto modo supernaturali formaliter, & à passione Christi efficienter, quia ab illa fuit modus ille efficienter causatus.

Si autem in ipsum obijcias: quod ut gratia nostra iustificans ratione prædicti modi posset, ut causæ efficienti attribui passioni Christi, opus erat, ut humanitas per talem modum affecta efficeret gratiam iustificantem in virtute passionis Christi præterita; sed quamvis ille modus supernaturalis, à passione Christi causatus, in humanitate admitatur, non tamen potest verificari, humanitatem in virtute passionis influere in gratiam nobis infusam: ergo adhuc admissio prædicto modo, non subsistit phisica efficientia passionis Christi in gratia, quæ modo nobis infunditur. Maior cum consequentia tenet. Minor constat: nam ut vna causa dicatur agere in virtute alterius, debet forma, per quæ agit, esse virtus illius causæ, in cuius virtute agit, ut constat in exemplo seminis à generante decissi; sed modus

70

Respond. 2.
Ill. Godoy.

71

Obijcies.

ille a passione Christi causatus, non est virtus passionis Christi, sed Dei, in cuius virtute fuit a passione causatus; cum passio solum instrumentaliter prædictum modum causaverit; id autem, quod ab instrumento causatur, non est virtus instrumenti, sed agentis principalis, à quo instrumentum elevatur ad agendum: ergo quamvis modus ille à passione causatus, in humanitate admitatur, non potest ratione illius dici, quod humanitas Christi influat in gratiam iustificantem in virtute passionis Christi præterita.

72 Respondet Ill. Godoy numer. 244. concessa maiori, negando minorem; ad cuius probationem concedit maiorem, & negat minorem, nec convincitur probatione ibi facta: non enim est contra rationem instrumenti, quod in virtute illius aliud instrumentum agat, ut constat in Sacramentis influentibus in gratiam, non solum in virtute Dei, ut causæ principalis illius, sed etiam in virtute Christi, ut hominis, ut instrumenti universalis, cui omnia Sacramenta subordinantur, ut instrumento coniuncto Divinitatis.

73 Sicut ergo (prosequitur *num. cit.*) virtus, per quam elevantur Sacramenta ad causandam gratiam in nobis, non solum est virtus Dei, ut causæ principalis, sed etiam humanitatis Christi, ut causæ instrumentalis; quia talis virtus à Deo causatur principaliter, & ab humanitate Christi instrumentaliter; ita modus ille supernaturalis, quem diximus, fuisse ex passione Christi relictum, est virtus Dei, ut causæ principaliter influentis in gratiam iustificantem, & passionis Christi, ut causæ instrumentalis; & consequenter humanitas influit in gratiam iustificantem, non solum in virtute Dei, sed etiam in virtute passionis, non quidem ut instrumenti ab humanitate distincti, sed ut vnum idemque instrumentum cum humanitate constituentis.

74 Sicut enim (concludit Ill. Godoy) actiones humanitatis non sunt instrumenta, ab illa ex æquo distincta, sed simul cum humanitate vnum instrumentum constituunt; ita passio, quam humanitas subjicit, simul cum ipsa vnum constituit instrumentum, passione determinante medio illo modo huma-

nitatem, ut instrumentaliter influeret in gratiam iustificantem; sicut per resurrectionem determinata fuit, ut nostram resurrectionem causaret: unde humanitatem agere in virtute passionis, est agere in virtute sui, ut resurgentis.

Hanc replicam contra responsionem Ill. Godoy proposui, ut totam illius doctrinam manifestarem. Tria itaque docet in hac secunda responsione ad nostram supra positam probationem. Primum est, quod ut causa efficiens, sive instrumentalis, sive principalis, physice efficienter causet, sufficit, quod existat formaliter, seu in se; vel virtualiter, seu in effectu, pro quo adducit paritatem de generante iam mortuo, & alia, quæ adduxit *tom. 1. cit.* Secundum est, quod passio Christi, licet nunc non existat in se ipsa formaliter; existit tamen virtualiter in effectu ab ipsa causato, qui est quidam modus supernaturalis, nunc in humanitate perseverans. Tertium est, quod passio Christi simul cum humanitate vnum, idemque instrumentum constituit, per quod distinguitur à prima responsione, quam sumpsit ex Caetano, in qua passionem Christi, non instrumentum, sed conditionem tantum esse, statuit.

Hæc est tota doctrinam Ill. Godoy pro solutione nostræ supra dictæ probationis, quam nullatenus fundat in D. Thoma, quod est valde mirum. Coeterum, quod hæc doctrina non sit ex ab ipso dictis *tom. 1. disp. 3. num. 59.* ut ipse testatur, patet evidenter: nam tomus iste primus, ad quem se citat Ill. Godoy, vel est primus primæ partis, vel tertiæ partis: Vtrumque vidi, & in nullo disputatione, & numero citato aliquid de hoc inveni, ut legenti apparebit. Hoc ita præmiro, ut omnibus constet, quod satisfacere non tenemur exemplis, quæ (ait Ill. Godoy) se loco citato adduxisse. Hoc itaque præmissio.

Reijcitur primò solutio Ill. Godoy: passio Christi de facto non existit formaliter in se; sed neque existit virtualiter in effectu: ergo nequit esse physicum instrumentum physice influens in gratiam iustificantem. Hæc consequentia est manifesta iuxta solutionem ipsius. Maior est apud omnes nota. Minor, in qua vnicè stat difficultas, probatur existere virtualiter in

75
Quid dicat Ill. Godoy in hac responsione explicatur.

76
Error Ill. God. in cit.

77
Reijcitur I. solutio Ill. Godoy.

effectu, est proprium causæ principalis efficientis phisicæ; sed passio Christi non est causa principalis efficiens phisica respectu gratiæ iustificantis, vt apud omnes est certum: ergo passio Christi non existit virtualiter in effectu. Probat. 1. maior. Probatur maior primò: nam in hoc distinguitur causa phisica efficiens principalis ab instrumentali, quod principalis in effectu existit; non verò instrumentalis: ergo, &c. Probatur secundò eadem maior: exemplum namquè ab Ill. Godoy traditum probat, quod causa phisica efficiens principalis vnice existit in effectu: ergo, &c. Probatur antecedens: exemplum traditum ab ipso est de generante iam mortuo, qui existit virtualiter in semine à se deciso; sed generans est causa efficiens phisica principalis: ergo exemplum ab Ill. Godoy traditum probat, quod causa phisica efficiens principalis vnice existit.

Reijcitur secundò solutio Ill. Godoy: si passio Christi, vt instrumentum phisicum agit, agit per actionem præuiam; quæ est dispositio; sed hæc dispositio non remanet in effectu, miraculo facto: ergo passio Christi non remanet in effectu: ergo passio Christi non existit virtualiter in effectu, & consequenter ruit solutio Ill. Godoy. Minor cum consequentijs tenet. Maior autem est D. Thomæ 1. part. quæ est. 45. artic. 5. dicentis: *Causa secunda instrumentalis non participat actionem cause superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis.* Et rationem assignans, subdit: *Si igitur nihil ageret secundum illud, quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum.* Deniquè ponit exemplum his verbis: *Sic enim videmus, quod securi sciendens lignum, quod habet ex proprietate sue forme, producit scanni formam, quæ est effectus proprius principalis agentis:* ergo iuxta Div. Thomam si passio Christi, vt instrumentum phisicum agit, agit per actionem præuiam, quæ est dispositio.

Reijcitur tertio solutio prædicta: nam modus ille supernaturalis ex passione Christi in humanitate causatus, & virtute cuius passio Christi phisice instrumentaliter influit in gratiam iustificantem, sine vilo prorsus funda-

mento adstruitur: ergo passio Christi non existit virtualiter in effectu ab ipsa causato, qui sit modus quidam supernaturalis: nulla ergo est illius solutio. Respondet ipse Ill. Godoy num. 244. negando antecedens: vt enim prædictus modus adstruatur, sufficit pro fundamento talis modi possibilitas, & decentia, quæ invenitur, vt passioni Christi efficientia gratiæ nos iustificantis attribuat; adiuncto, quod sine illo non potest efficientia passionis Christi saluari. Hæc tamen solutio impugnata manet per dicta s. 2. per totum, vbi latè probavimus: non esse dignitatem Christi, imò esse illius indecentiam, quod eius humanitas sit phisicum instrumentum miraculorum. Vltra quod.

Insurgo contra Ill. Godoy: possibilitas, & decentia, quæ invenitur, vt passioni Christi attribuat efficientia gratiæ nos iustificantis, non iubat, vt Ill. Godoy recurrat ad illum modum supernaturalem: ergo omnino voluntarius, & sine vilo prorsus fundamento, est talis recursus. Probatur antecedens: possibilitas, & decentia, quæ invenitur, vt passioni Christi attribuat efficientia gratiæ nos iustificantis, non iubat, vt ipse recurrat ad id, ad quod D. Thom. non recurrit; sed D. Thom. non recurrit ad illum modum supernaturalem: ergo nec Ill. Godoy debet recurrere. Consequentia est legitima. Maior patet: nam Ill. Godoy recurrere debet ad id, quod recurrit D. Thom. Minor patet ex eo, quod Ill. Godoy in D. Thoma non fundet recursum ad modum illum supernaturalem, vt constat ex tota illius doctrina, & nos notavimus numer. 75.

Reijcitur quarto solutio principalis Ill. Godoy: modus ille supernaturalis, ex passione Christi in humanitate causatus, non existit in triduo in humanitate Christi: ergo humanitas Christi in triduo non habuit virtutem ad esse phisicum instrumentum miraculorum. Consequentia patet: nam modus ille supernaturalis est virtus passionis, media qua humanitas influit in gratiam iustificantem, vt fatetur Ill. Godoy num. 244. cuius verba nos retulimus num. 73. Antecedens verò probatur: humanitas Christi non exitebat in triduo: ergo nec modus ille supernaturalis existit in triduo in

Respondet
Ill. Godoy.

Solutio im-
pugnata
manet.

80

Vltra im-
pugnatur.

81

Reijcitur
4. solutio
Ill. Godoy.

Christi humanitate. Antecedens est certum; alioquin humanitas Christi, vel Christus, ut homo, non esset vere mortuus, quod est omnino falsum. Consequentia probatur: modus ille supernaturalis, ex passione Christi in humanitate causatus, erat in humanitate, iuxta solutionem Ill. Godoy; sed humanitas Christi non existerat in triduo secundum concessa: ergo modus ille supernaturalis, ex passione Christi causatus in humanitate, non existit in triduo in humanitate Christi.

82
Reijcitur
5. solutio
Ill. Godoy.

Ex his reijcitur quintò solutio principalis Ill. Godoy: passio Christi non existit virtualiter in effectu: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: effectus passionis Christi est modus quidam supernaturalis; sed in hoc non existit virtualiter passio Christi: ergo passio Christi non existit virtualiter in effectu. Maior est ipse in solutione. Probatur minor: ut passio Christi existat virtualiter in modo illo supernaturali, debet hic modus formaliter existere; sed hic modus formaliter non existit: ergo in hoc modo non existit virtualiter passio Christi. Consequentia tenet. Maior est certa: nam ut causa existat virtualiter in effectu, debet effectus formaliter existere. Minor verò probatur: si hic modus formaliter existit, existit in humanitate; sed in humanitate Christi non existit: ergo formaliter non existit. Probatur minor: non existente humanitate Christi, non existit in humanitate modus ille; sed humanitas Christi non existerat in triduo: ergo saltem in triduo modus ille non existit in humanitate, & consequenter passio Christi in triduo non fuit causa physica instrumentalis gratiæ nos iustificantis.

83
Reijcitur
ultimò.

Denique reijcitur prædicta Ill. Godoy solutio omnibus illis rationibus, quibus §. 3. per totum, probabimus conclusionem, destruendo modum dicendi Ill. Godoy; omnes namque, terminis servatis, efformari valent contra solutionem prædictam; in ipsa enim declarat suum dicendi modum.

§. V.

*Triplici alia ratione stabilitur
nostra conclusio.*

84
Alia ratio
pro nostra
conclus.

PRO nostra conclusione stabilien-
da triplex alia restat ratio, qua-
rum prima fundatur in clara Scoti

doctrina, attenta opinione D. Thomæ, quam in præsentem amplectitur Ill. Godoy, & ad hanc formam reducitur: humanitas Christi nequit esse physicum instrumentum creationis; sed gratia nos iustificans habet esse per creationem: ergo nequit humanitas Christi esse physicum instrumentum talis gratiæ. Atqui, quod dicitur de gratia, dicitur etiam de effectibus miraculosis: ergo humanitas Christi nequit esse physicum instrumentum miraculorum. Maior est expressa D. Thomæ 1. part. quest. 45. artic. 5. & 3. part. quest. 13. artic. 2. eamque fateatur Ill. Godoy num. 25. & 26. Minor est clara Subtilis Magistri sententia in 1. dist. 17. & in 2. dist. 7. §. de secundo, & in 4. dist. 1. quest. 4. & 5. §. contra istam opinionem, & dist. 16. quest. 2. §. respon-
deo. Consequentia est legitima, & sumpta vera.

Secunda ratio pro nostra conclusione formatur in hunc modum: humanitatem Christi esse physicum instrumentum miraculorum, non conducit per se ad finem aliquem Incarnationis: ergo humanitas Christi non est physicum instrumentum miraculorum. Probatur antecedens: humanitatem Christi esse physicum instrumentum miraculorum, non conducit per se ad redemptionem generis humani, nec ad manifestationem gloriæ Dei: ergo humanitatem Christi esse physicum instrumentum miraculorum, non conducit per se ad finem aliquem Incarnationis. Antecedens quoad primam partem probatur primo: ablata physica instrumentali causalitate in miraculosos effectus ab humanitate Christi, genus humanum esset per mortem Christi perfectissimè redemptum: ergo humanitatem Christi esse physicum instrumentum miraculorum, non conducit per se ad redemptionem generis humani. Probatur secundo eadem pars antecedens: humanitatem Christi esse causam moralem condignè meritoriam, & satisfactoriam, est quod per se solum conducit ad redemptionem generis humani: ergo, &c. Tertio probatur: Patres Antiqui ante adventum Christi, quorum iustificatio non fuit physice instrumentaliter causata ab humanitate Christi, ut fateatur Ill. Godoy num. 186. & est ferè apud omnes certum, æquè perfectè fuerunt redemp-

85
Ratione
positiva
probatur 2.
conclus.

Antecedens
quoad 1. p.
prob. 1.

Probatur 2.

Probatur 3.

ti, ac cœteri homines post adventum Christi; atqui hoc esset falsum, si per se conduceret ad redemptionem generis humani, humanitatem Christi esse phisicum instrumentum miraculorum: ergo, &c.

86

*Antecedens
quoad 2. p.
probat.*

Primò.

Antecedens autem, quoad secundam partem probatur primò: manifestatio gloriæ Dei dirigitur ad creaturas rationales, ut per eam veniant in notitiam alicuius perfectionis Divinæ; sed per hoc, quod humanitas Christi sit phisicum instrumentum miraculorum, non veniunt creaturæ rationales in notitiam alicuius perfectionis Divinæ: ergo humanitatem Christi esse phisicum instrumentum miraculorum, non conducit per se ad manifestationem gloriæ Dei. Probatur minor: phisica instrumentalis causalitas in effectus miraculosos, non ostendit, cuius attributi Divini sit talis causalitas: ergo, &c. Imò quando aliquod attributum ostenderet, melius valemus per alia Divina opera illud cognoscere, quam per illam causalitatem: ergo superfluit ad hoc causalitas prædicta, & consequenter non conducit per se ad notitiam alicuius attributi. Probatur secundò antecedens quoad secundam partem: phisica instrumentalis causalitas miraculorum est occulta: ergo humanitatem Christi esse phisicum instrumentum miraculorum, non conducit per se ad manifestationem gloriæ Dei.

Secundò.

87

*Tertia ratio
probat
conclusionē.*

Tertia ratio pro nostra conclusione proponitur sub hac forma: caput phisicum, seu naturale, phisicè influit in membra: ergo caput non phisicum, seu naturale, sed tantum morale, non phisicè, sed tantum moralitèr, influit in membra. Atqui Christus, ut homo, non est caput naturale, seu phisicum, sed tantum morale Ecclesiæ: ergo Christus, ut Ecclesiæ caput, non phisicè, sed tantum moralitèr in Ecclesiæ membra influit: ergo humanitas Christi non influit phisicè instrumentalitèr in miraculosos effectus. Antecedens est notorium. Consequentia est paritate legitima, quia ratio, qua verum est antecedens, veram facit consequentiam. Sussumpta est Ill. Godoy tom. præcedent. disput. 28. numer. 4. & nos etiam docuimus tom. præcedent. disp. 28. numer. 6. Consequentia infertur.

§. VI.

Argumentum Ill. Godoy, ex Scriptura deductum, solvitur.

Ill. Godoy num. 8. ex autoritatibus suam tuentibus sententiam obijcit primò verba illa Lucæ cap. 6. *Virtus ex illo exibat, & sanabat.* Et cap. 8. Christus de se ipso loquens dixit: *Novi virtutem de me exire.* Quæ verba plus significare, quam causalitatem moralem; ac proindè phisicam causalitatem, probant aliqui Recentiores, nam meritum, oratio, & similia, quæ solum causant moralitèr, non exeunt à merente, nisi tantum secundum effectum meriti, non autem secundum virtutem, quæ sit illius effectus causa; at Evangelista de Christo, Christusque fatetur, virtutem de se ipso exisse, quæ erat miraculorum causa: ergo intelligi non potest de virtute meritorie, aut moralitèr causante, sed de virtute efficientèr phisicè in miracula influente.

Respondeo ad hoc argumentum: nomine virtutis non intelligi in prædictis testimonijs qualitatem aliquam, quæ sit miraculorum principium, sed ipsum miraculosum effectum, quem Christus appellavit virtutem, iuxta phrasim Scripturæ Matth. 11. & Lucæ 10. ubi dicitur: *Quia si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, &c.* Hoc est, miracula, & signa. Et Marc. cap. 6. *Non poterat ibi virtutes facere.* Et Actor. 19. *ibi: Virtutes quæ non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli.* Quibus locis nomine virtutis intelliguntur ipsi effectus miraculosi. Paritèr ergo in testimonijs adductis nomine virtutis, quæ à se Christus exisse fatetur, miraculum intelligitur. Et quidem ita esse prædicta verba accipienda, probo ad hominem: Nam omnes adversarij docent: Christum loqui de se ipso, non ut Deo, sed ut homine; aliter non probarent influxum phisicum humanitatis in effectus miraculosos; at virtus, qua humanitas Christi influit, non exit à Christo, ut homine; sed ut Deo; nam mediante illa virtute elevatur humanitas, potensque constituitur ad miracula patranda, non autem elevatur à se, sed à Deo, qui est causa principalis illorum: ergo nomine virtutis non intelligitur forma, quæ est miraculi principium, sed miraculosus

88

*Arguit. I.
Ill. Godoy.*

89

Respondeo.

effectus, iuxta frarum Scripturæ relatum.

90
Confirm. 1.

Deinde confirmatur primò: nam quando dicitur *virtus exire*, non intelligitur in bona Philosophia, quod aliquid virtutis exeat ab efficiente, quia virtus, & actio manent in agente: ergo solum intelligitur, quod producat effectus in rerum natura. Atqui hoc æquè bene intelligi potest de causâ morali, ac de phisica; cum ex communi acceptione causa moralis proprie operari dicatur: ergo verba Scripturæ adducta nostræ non officiant conclusioni. Vnde *virtutem de Christo exisse*; nihil aliud est, quam Christum operatum fuisse illud miraculum, quod verificatur per hoc, quod moralitèr Christus eam contulerit sanitatè.

91
Confirm. 2.

Confirmatur secundò: nam estò nomine virtutis intelligeretur aliquid, quod esset principium miraculi, non indè colligeretur, non posse accipi prædicta verba de merito causante moralitèr: ergo etiam ex hac parte ponderatio adversariorum non vrget. Probat antecedens: nam meritum exit à merente, tanquam à principio sui: ergo etiam virtus meriti à merente dicitur exire; & consequenter, quamvis verba supra adducta accipiantur, non de effectu miraculoso, sed de virtute, quæ est illius principium, non colligitur ex illis virtus effectiva phisicè.

92
Alitèr format argum
Ill. Godoy.

Hac responsione convictus Ill. Godoy fatetur *numer. 11.* verba adducta ex ea ratione non vrgerè, & ex alia consideratione argumentum contra nos sic efformat: exitus namquè effectus ab aliqua causâ absolutè sumptus importat exitum phisicum; sed in prædictis testimonijs asseritur absolutè, virtutem, id est, miraculosum effectum, à Christo, ut hominè, exisse: ergo ineptè de exitu morali explicantur; & consequenter attribuendus est Christo, ut hominè præter influxum moralem, influxus phisicus instrumentalis in effectus miraculosos. Consequentia tenet. Minor ex verbis adductis constat: non enim asseritur in prædictis testimonijs, virtutem, id est, miraculum, moralitèr à Christo, ut hominè, exisse, sed absolutè asseruit Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et Christus de se loquens ait: *Novi virtutem de me exisse.* Maior

autem probatur: effectus namquè non exijt à causâ morali, sed à causâ phisica, à causâ morali inducta; in hoc enim causa moralis à phisica causa distinguitur, quod hæc causat influendo in effectum, & illum extra causas ponendo: causa autem moralis non ita, sed movendo voluntatem alterius, ut aliquid efficiat; intuitu tamen causæ moralis merentis, vel impetrantis, mandantis, vel consiliantis: ergo exitus effectus à causâ absolutè, & sine aliqua limitatione prolatus, denotat exitum phisicum.

93
Confirm. 1.

Confirmat primò *num. 12.* effectum à causâ efficiente exire, idem est, quod effici ab illa; sed effectum effici ab aliqua causâ absolutè, & sine limitatione dictum, importat phisicam efficientiam: ergo effectum à causâ efficiente exire absolutè, & sine limitatione dictum, phisicam efficientiam importat. Maior cum consequentia tenet. Minor autè, præterquam quod videtur ex ipsis terminis constans, probatur: ut enim docent Sylvester *Verbo Excommunicatio ultimo; quest. 4. dicto 3.* Caietanus *Verbo Excommunicatio paulo post principium. Armilla numer. 2.* Tabiena *Excommunicat. 5. casu 49.* Navarra *in Sum. cap. 27. numer. 51.* Medina *lib. 1. Summa, cap. 11. §. 2.* Enriquez *lib. 13. de Excommunicat. cap. 17. numer. 2.* Ledesma *de Excommunicat. dubio 6.* & alij, quos lato calamo referunt, & sequuntur Layman *in Summa, lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 6. numer. 6.* & Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, disput. 49. numer. 2.* excommunicatio lata contra aliquid facientes, non comprehendit mandantes, vel consiliantes, nisi in ipsa exprimantur; ideòquè, cum Iudex intendit, mandantes, & consiliantes sua excommunicatione ligare, illos expræsè nominat, cum tamen mandans, & consilians furtum peccato furti teneantur, utpotè in furtum moralitèr influentes; & causæ morales illius; at si effectum effici ab aliqua causâ, absolutè, & sine limitatione dictum, influxum efficiemem non importaret, hæc doctrina, quam Sanchez asserit, esse communem, vera non esset: ergo effectum effici ab aliqua causâ absolutè, & sine limitatione dictum, denotat influxum phisicum.

Probat minorem: censura contra facientes furtum comprehendit omnes, de quibus absolutè verificatur fa-

cere furtum; sed si effectum effici ab aliqua causa dictum absolute, non importat physicum influxum, sed vel physicum, vel moralem, mandans, & consilians furtum, absolute dicerentur furantes, & furtum facientes; cum verè sint causæ morales in furtum moraliter influentes: ergo comprehenderentur sub excommunicatione lata contra furantes, vel quod idem est, contra facientes furtum.

94
Confirm. 2.

Confirmat secundò num. 13. nam estò cum proprietate esset verum, effectum exire à causa morali, non tamen est ita proprium, ac exire à causa physica; sicut nec causa moralis, ita propriè, ac physica, obtinet rationem causæ, vt omnibus debet esse inconfesso; sed Scripturæ verba sunt cum maxima proprietate accipienda, cum ex tali acceptione aliquid absurdum nõ sequitur: ergo testimonia adducta sunt de exitu physico, & non tantùm de morali accipienda. Patet consequentia: quia ex ista explicatione nullum inconueniens sequitur, vt ex dicendis constabit. Sicque illa accepit D. Thomàs *infra quæst. 43. artic. 4.* illis verbis: *Secundò propter modum miracula faciendi, quia, scilicet, quasi propria potestate miracula faciebat, non autem orando, sicut alij, vnde dicitur Luca 6. Quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Vbi D. Thomàs duplicem modum faciendi miracula agnoscit, nempe, orando, quod est moraliter influere in effectus miraculosos, & propria potestate operando, qui modus patrandi miracula non potest à primo distinguui, nisi per influxum physicum, quem probat ex verbis *Lucæ 6. capit. Et virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Sentit ergo D. Thomàs, verba illa non de influxu morali, sed de physico in effectus miraculosos esse explicanda.

95
Respond. 1.
ad argum.
Ill. Godoy.

Respondeo primò ad argumentum negando maiorem, vel illam distinguendo: exitus ab aliqua causa absolute sumptus, & immediatus importat exitum physicum concedo maiorem; absolute sumptus præcisè nego maiorem; distinguoque minorem: in prædictis testimonijs asseritur absolute tantum, virtutem, idest, miraculosum effectum, à Christo, vt homine, exisse concedo minorem; absolute, & immediatè nego minorem, & consequentiam. Solutio patet ex dictis num. 3. vbi differentiam causæ mo-

ralis à physica statuimus in eo, quod physica immediatè attingit effectum; moralis verò mediatè.

Ex hisque ad probationem maioris nego antecedens; nam etiam effectus exit à causa morali, & propriè, cū causa moralis etiam propriè sit vera causa, vt diximus, & probavimus num. 3. alioquin Christus, vt homo, non fecisset vera miracula, vt causa moralis principalis, quod est contrarium. Godoy *disput. 39. num. 5.* Vel distinguo antecedens: effectus non exit immediatè à causa morali concedo antecedens; mediatè nego antecedens. Nec contra hoc facit imbibita probatio; quia licet causa moralis à physica distinguatur per hoc, quod physica effectum ponat extra causas; moralis verò moveat causam physicam ad effectum extra causas ponendum; vtraque tamen conuenit in hoc, quod est influere, & propriè influere, ne dicatur, causam moralem non esse veram causam.

Retorqueo primò argumentum Ill. Godoy: exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus, non importat exitum physicum: ergo falsa est maior. Probatur antecedens: de alijs quoque Sanctis præter Christum, asseritur absolute, virtutem, idest, miraculosum effectum, ab illis exisse; sed hic exitus non est physicus: ergo exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus, non importat exitum physicum. Consequentia est legitima. Minor est doctrina omnium generalis; nemo enim contendit, quod alijs Sanctis præter Christum attribuat physicum influxum, adhuc instrumentalis, in miraculosos effectus.

Maior autem, in qua poterat esse difficultas, traditur à Maltrio *in 3. disp. 2. quæst. 8. num. 198.* Sed quia illam nullo modo probat, & in probatione illius consistit tota ruina argumenti Ill. Godoy, illam efficacitè, & ad hominem contra ipsum probo: effectum à causa efficiente exire, idem est, quod effici ab illa; sed de alijs quoque Sanctis præter Christum absolute asseritur, miraculosum effectum ab illis effici: ergo, &c. Consequentia est notoria. Maior est Ill. Godoy num. 12. Minor autem probatur: nam D. Stephanus est alius Sanctus præter Christum; sed de Div. Stephano asserit absolute Scriptura, miraculosos effectus ab illo

96
Ad probat.
maior. resp.

97
Retorqueo
argum. 1.

98
Probatur
maior ad
hom. contra
Ill. Godoy.

effici, vt claret ex illo *Actor. 6. Stephanus autem plenus gratia, & fortissime faciebat prodigia, & signa magna in populo*: ergo de alijs Sanctis præter Christum asseritur absolute, miraculolum effectum ab illis effici.

Retorqueo secundo: nam exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus, importat exitum absolute sumptum, & sine aliqua limitatione, aut determinatione: ergo exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus non importat exitum phisicum. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia verò probatur primò: exitus phisicus non est exitus absolute sumptus, sine aliqua limitatione, aut determinatione; sed iuxta concessa, exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus, importat exitum absolute sumptum, & sine aliqua limitatione, & determinatione: ergo exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus non importat exitum phisicum. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior probatur: exitus phisicus est exitus limitatus, & determinatus ad genus phisicum: ergo, &c. Probatur secundo dicta consequentia: exitus absolute sumptus, & sine aliqua limitatione, & determinatione, est exitus in communi, seu non limitatus, aut determinatus ad hunc, vel illum exitum; sed exitus phisicus non est exitus in communi, sine aliqua limitatione, aut determinatione, vt claret ex probatione antecedentis: ergo, &c.

Firmatur retorsio paritatibus: ens absolute sumptum, est ens in communi, seu non limitatum, aut determinatum ad hoc, vel illud ens. Item: animal absolute sumptum, est animal in communi, seu non limitatum, aut determinatum ad hoc, vel illud animal. Deinde: homo absolute sumptus, est homo in communi, seu non limitatus, aut determinatus ad hunc, vel illum hominem: ergo pariter: exitus absolute sumptus, est exitus in communi, seu non limitatus, aut determinatus ad hunc, vel illum exitum. Et ratio paritatum est: nam sicut ens absolute sumptum, est indifferens ad hoc, vel illud ens; animal ad hoc, vel illud animal, & homo ad hunc, vel illum hominem; ita causa efficiens est indifferens ad causam phisicam, & moralem: ergo sicut ens absolute sumptum non importat determina-

tum ens (& idem de animali, & homine) ita causa efficiens absolute sumpta non importat determinatam efficientiam, & consequenter non importat phisicam efficientiam.

Retorqueo etiam probationem maioris: effectus verè, & propriè exit à causa morali: nulla igitur est probatio Ill. Godoy. Probatur antecedens: effectus verè, & propriè exit à causa vera, & propria; sed causa moralis est vera, & propria causa: ergo effectus verè, & propriè exit à causa morali. Maior cum consequentia tenet. Minor, præter quàm quod omnibus debet esse in confesso, ob à nobis dicta n. 3. probatur ad hominem contra Ill. Godoy: Christus, vt homo, fecit verà, & propria miracula, vt causa moralis principalis, vt ipse fatetur *disp. 93. numer. 5.* sed verum, & proprium miraculum nequit effici à causa non vera, & propria: ergo causa moralis est vera, & propria causa.

Retorqueo tertio argumentum Ill. Godoy: effectum à causa efficiente exire, idem est, quod effici ab illa; sed effectum effici ab aliqua causa, non importat phisicam efficientiam: ergo effectum à causa efficiente exire, non importat phisicam efficientiam. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *numer. 12.* Minor ita certa est, vt absque illius veritate defendi nequeat, quod Christus, vt homo, fecerit miracula, vt causa principalis moralis, cuius oppositum tenet Ill. Godoy, vt diximus. Imò in effectu moraliter causato vitur Ill. Godoy hoc termino: *effici*; nam hunc titulum ponit in *disp. 39. An Christus, vt homo, fecerit miracula, vt causa principalis moralis?* Ad quod affirmativè respondet *num. 5.* Deinde *num. 6.* termino *effecerit* vitur per hæc verba: *Quod illa effecerit, vt causa principalis moralis, vt asserit nostra conclusio*: ergo vera est minor argumenti, scilicet, quod effectum effici ab aliqua causa, non importat phisicam efficientiam.

Hac itaque veritate declarata, quæro nunc: Quid intendit Ill. Godoy per *ly absolute, & sine limitatione*, in quo totam vim argumenti, & confirmationum ponit? Nam vel intendit: effectum non exire, aut effici à causa morali? Et hoc est contra ipsum *disp. 39.* Vel intendit effectum non exire, aut effici verè, & propriè à causa mo-

101

Retorqueo prob. mai.

102

Retorq. 3. argument.

103

rali? Et hoc etiam est contra ipsum eadem disput. 39. num. 3. ubi asserit: miracula à Christo facta esse vera miracula, in quæ, ut causa moralis principalis influxit, ut statuit, & probat num. 5. & 6. Vel denique intendit: effectum physicè non exire, aut effici à causa morali? Et in hoc ab illo non dissentimus; sed vel negamus, vel distinguimus, & retorsiones contra ipsum facimus, ut constat ex hac prima responsione.

104
Respond. 2.
ad argum.
Ill. Godoy.

Cœterum adhuc libenter dato, quod exitus effectus ab aliqua causa absolute sumptus importet exitum physicum. Respondeo secundo ad argumentum Ill. Godoy: data gratis maiori, negando minorem; nam in prædictis testimonijs, scilicet: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Novi virtutem de me exisse*, nec absolute, nec non absolute asseritur, virtutem, id est, miraculosum effectum, à Christo, ut homine, exisse; hanc enim reduplicationem, ut homine, addit Ill. Godoy ad prædicta testimonia, ut constans ex ipsis terminis videtur; unde, ut formalior procedat responsio, nego suppositum minoris, scilicet, quod in prædictis testimonijs asseratur: virtutem exisse à Christo, ut homine. Qua responsione omnino ruit argumentum, quod satis efficax appellavit Ill. God.

105
Respond. 3.

Abiata igitur reduplicatione, ut auferri debet, si argumentum fideliter ab autoritate desumitur. Respondeo tertio explicando minorem: in prædictis testimonijs asseritur absolute, & iuxta intentum Evangeliste, virtutem, id est, miraculosum effectum, à Christo exisse concedo minorem; asseritur absolute, & ultra intentum Evangeliste nego minorem, & consequentiam. Cum itaque Evangelista, imò & ipse Christus, intenderent excludere errores Iudæorum, negantium Deitatem in Christo, ex miraculis asserentibus physicam potestatem, non instrumentalem humanitatis, quia hæc eorum intento nullatenus deserviebat, sed principalem Divinitatis, quam in Christo contra Iudæos ostendere nitebantur. Imò; hanc physicam Divinitatis potestatem fatebantur turbæ, & infirmi à Christo sanati, ut fecit Cæcus ille Ioan. 9. qui in signum Divinitatis Caristi, quod ab ipso fuerit illuminatus, prociens adoravit eum, ut filium Dei. Unde ex locis

prædictis potestas physica miraculorum in Christo, ut homine, argui nequit, quia hoc est ultra intentum Evangelitarum.

Denique permittà reduplicatione minoris. Respondeo quarto ad argumentum distinguendo maiorem: exitus effectus ab aliqua causa, absolute sumptus, & sine explicatione importat exitum physicum omitto maiorem; absolute sumptus, & cum explicatione nego maiorem; distinguoque minorem: sed in prædictis testimonijs asseritur absolute, & cum explicatione, virtutem, id est, miraculosum effectum, à Christo, ut homine, exisse concedo minorem; asseritur absolute, & sine explicatione nego minorem, & consequentiam. Cum ergo evidenter cognoscatur, Evangelistas docere, Christum, ut hominem, miracula fecisse, quin modus faciendi, scilicet, physicè, vel moraliter, illis ad suum intentum deserviret, asserunt absolute cum explicatione à Theologis danda, Christum, ut hominem, fecisse miracula.

Et iuxta hanc responsionem retorqueo primo argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: quod Scriptura asserat absolute, miraculum à Christo, ut homine, exisse, non impedit explicationem circa hunc, vel illum modum exiendi, nempe, an physicè, an moraliter: ergo non ineptè de exitu morali explicantur verba Scripture. Probatur antecedens: quod Scriptura absolute asserat, Christum non ascensurum ad diem festum, ut patet ex Ioan. 9. Vbi Christus ait: *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam*, non impedit explicationem circa hunc, vel illum modum ascendendi, nempe, manifestè, vel occultè, ergo, &c.

Hæc retorsio efficax apparet, & confirmatur doctrina Ill. Godoy: sicut enim in testimonijs ab ipso adductis, non asseritur (ut loquitur ipse num. 11.) virtutem, id est, miraculum, moraliter à Christo, ut homine, exisse, sed absolute asserit Evangelista *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, & Christus de se loquens ait: *Novi virtutem de me exisse*; ita in testimonio à nobis tradito non asseritur, Christum ascensurum occultè; sed absolute asseruit Evangelista, Christum non ascensurum, ut dixit ipse Christus: *Ego*

106
Respond. 4.

107
Retorq. 1.
argum. ad
hom. contra
Ill. Godoy.

108
Confirmat.
efficacia
retorsionis
doctrina
Ill. Godoy.

non ascendam: ergo sicut, quod Scriptura absolute asserat, Christum non ascensurum, non impedit explicationem circa hunc, vel illum modum ascendendi, nempe, manifeste, vel occulte: ita quod Scriptura asserat absolute, miraculum à Christo, ut homine, exisse, non impedit explicationem circa hunc, vel illum modum exiendi, nempe, an philice, an moraliter.

Ab opposito etiam formatur retorsio contra Ill. Godoy: quod Scriptura asserat absolute, miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali: ergo quod Scriptura asserat absolute, Christum non ascensurum ad diem festum, impedit explicationem de ascensu occulto. Atqui hoc est contra fidem; constat enim ex Evangelio *cit.* Christum ascendisse non manifeste, sed occulte: ergo fidem fatendo, falsum est argumentum Ill. Godoy. Sufsumpta cum consequentia tenet. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia vero probatur: ideò, quod Scriptura asserat absolute, miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali, quia Scriptura absolute asseruit: *Virtus de illo exibat*; atqui Scriptura absolute asserit: *Ego non ascendam*: ergo quod Scriptura asserat absolute, Christum non ascensurum ad diem festum, impedit explicationem de ascensu occulto.

Retorqueo secundo argumentum, etiam ad hominem contra Ill. Godoy: quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, ut homine, exisse, non impedit explicationem: ergo explicari valet de exitu morali. Probatur antecedens: quod Scriptura absolute asserat: Deum esse incomprehensibilem, non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia est paritate notoria. Antecedens pro prima parte claret ex pluribus locis Scripturæ, pro quibus sufficiat illud Hieremix *cap. 32. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Imò conceditur ab Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disp. 25. num. 18.* Quoad secundam vero partem est evidens; alioquin nec ab intellectu Divino Deus esset comprehensibilis, quod est contra omnes catholicos.

Confirmatur efficacia retorsionis doctrina Ill. Godoy: nam sicut testimonijs ab ipso adductis non asseritur

(ait ipse *num. 11.*) virtutem, id est, miraculum, moraliter à Christo, ut homine, exisse, sed absolute asseruit Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes, & Christus loquens de se ait: Novi virtutem de me exisse*; ita in testimonio à nobis tradito non asseritur, Deum esse incomprehensibilem ab intellectu creato, sed absolute asseruit Propheta: Deum esse incomprehensibilem, ut ex terminis patet, ait namque: *Incomprehensibilis cogitatu*: ergo sicut quod Scriptura absolute asserat: Deum esse incomprehensibilem, non impedit explicationem circa hunc, vel illum intellectum; ita, quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, ut homine, exisse, non impedit explicationem circa hunc, vel illum modum exiendi.

Ab opposito etiam formatur retorsio contra Ill. Godoy: quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali: ergo quod Scriptura asserat absolute: Deum esse incomprehensibilem, impedit explicationem de intellectu Divino. Atqui hoc est contra fidem: ergo fidem fatendo, falsum est argumentum Ill. Godoy. Sufsumpta, & consequentia tenent. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia vero probatur: ideò juxta ipsum, quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali, quia Scriptura absolute asseruit: *Virtus de illo exibat*; atqui Scriptura absolute asserit: Deum esse incomprehensibilem: ergo quod Scriptura asserat absolute: Deum esse incomprehensibilem, impedit explicationem de intellectu Divino.

Ex hac retorsione manifeste apparet falsitas argumenti Ill. Godoy: nam sicut ipse *tom. disput. & num. citat.* respondet: Scripturam absolute affirmare, Deum esse incomprehensibilem, esse ad declarandum elevationem, & excessum Dei ad creaturas; quin absoluta affirmatio obstat, ut Deus sit à se comprehensibilis; ita nos dicere valeamus, Scripturam absolute affirmare: miraculum à Christo exisse, ad declarandam Divinitatem in Christo iuxta dicta *num. 105.* Item: à Christo, ut homine, exisse, ad declarandum influxum Christi in vera miracula conformiter ad dicta *num. 96.* Denique: à

doctrina
Ill. Godoy.

112

Formatur
ab opposito
retorsio.

113

109

Ab opposito
formatur
retorsio.

110

Retorq. 2.
argum. etiã
ad homin.

111

Confirmat.
retorsio

Chris-

Christo, vt homine, exisse, ad ostendendum exitum mediatum, & moralem iuxta dicta num. 95. & 106.

114
Retorq. 3.
argum. ad
hom. contra
Ill. Godoy.

Retorqueo tertio argumentum, ad hominem etiam contrall. Godoy: quod Scriptura absolute asserat, miraculum à Christo, vt homine, exisse, non tollit explicationem: ergo explicari potest de exitu morali. Probat antecedens: Scriptura, Concilia, & Patres absolute asserunt: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis; sed hæc absoluta assertio Scripturæ, Conciliorum, & Patrum non tollit explicationem: ergo quod Scriptura absolute asserat, miraculum à Christo, vt homine, exisse, non tollit explicationem. Consequentia est legitima. Maior est certa, & constabit auctoritatibus, quas §. sequenti ostendemus. Minor est Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 8. num. 122. Quod vt appareat, verba illius transcribo.

115
Doctrina
Ill. Godoy.

Ex dictis in discursu disputationis (ait Ill. Godoy cit.) colligo primò: verba Patrum asserentium, nullam causam fuisse veniendi Christum, nisi peccatores salvos facere, que in confirmationem primæ conclusionis adduximus, sic esse accipienda, vt excludant causam adventus Christi à remedio peccati distinctam, & cum illo non connexam; non autem causam, vel motivum distinctum à remedio peccati, connexam tamen cum illo. Quod patet primò: nã hoc sufficit ad intentum Patrum, quod erat, non venturum Christum, non existente peccato; hoc enim ipso, quod alia motiva fuerint cum remedio peccati connexa, non mandabitur executioni Incarnatio, peccato non existente: ergo ita accipienda sunt. Secundò: nam decretum intentivum Incarnationis, cum fuerit actus liberalitatis Divinae, debuit moveri à Divina bonitate; motivum namque liberalitatis est bonitas operantis: ergo verba Patrum non ita sunt accipienda, vt excludant à prædicto Incarnationis decreto omne motivum distinctum à remedio peccati; sed solum, vt excludant motivum distinctum, & cum remedio peccati inconnexam.

116
Confirm. re-
torfio doc-
trina ipsius

Confirmatur retorfio doctrina Ill. Godoy: nam sicut in testimonijs ab ipso adductis non asseritur, (vt inquit num. 11.) virtutem, id est, miraculum à Christo, vt homine, exisse, sed absolute asserunt Evangelista: Virtus de illo exibat, & sanabat omnes, & Christus loquens de se ait: Novi virtutem de

me exisse; ita in testimonijs à nobis §. sequent. tradendis, non asseritur, esse alia motiva Incarnationis, sive connexa, sive non connexa cum remedio peccati, sed absolute asserunt Scriptura, Concilia, & Patres: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis: ergo sicut hæc absoluta assertio Scripturæ, Conciliorum, & Patrum non tollit explicationem; ita illa absoluta Scripturæ assertio explicationem non tollit.

117
Ab opposita
formatur
retorfio.

Formatur etiam ab opposito retorfio contra ipsum: quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, vt homine, exisse, tollit explicationem de exitu morali: ergo quod Scriptura, Concilia, & Patres asserant absolute: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis, tollit explicationem de alio motivo, sive connexo, sive inconnexo cum remedio peccati. Atqui hoc est contra Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. citat. ergo in illius doctrina falsum est argumentum Ill. Godoy. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens est ipsius Ill. Godoy. Consequentia verò probatur: idem iuxta ipsum, quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, vt homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali, quia Scriptura absolute asserit: Virtus de illo exibat; atqui Scriptura, Concilia, & Patres absolute asserunt: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis: ergo, &c.

118
Retorq. 4.
argum. ad
hom. contra
Ill. Godoy.

Retorqueo quartò argumentum, ad hominem etiam contra Ill. Godoy: Scripturam absolute asserere: miraculum à Christo, vt homine, exisse, admitit explicationem: ergo explicari valet de exitu morali. Probat antecedens: Concilia, & Patres absolute asserunt: Spiritum Sanctum per se non petere, procedere à duabus personis; sed hæc absoluta assertio Conciliorum, & Patrum admitit explicationem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est certa, & patebit auctoritatibus, quas §. sequent. declarabimus. Minor est Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disput. 93. numer. 3. vbi pro conclusione statuit: Spiritum Sanctum per se petere, procedere à duabus personis. Hæc retorfio ab opposito valet etiam formari, & semper resultabit contra Ill. Godoy proxime citatum.

119
Retorq. 5.
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

Retorqueo quintò argumentum, etiam ad hominem contra Ill. Godoy: quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, vt homine, exisse, non tollit explicationem: ergo explicari potest de exitu morali. Probatur antecedens: Patres absolute asserunt: Deum non esse debitorem nobis; sed hæc absoluta Patrum assertio non tollit explicationem: ergo, &c. Maior est certa, & constabit autoritatibus, quas *§. sequent.* ostendemus. Minor est Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disput. 7. vbi docet: quod Dei ad creaturam est iustitia. Ab opposito etiam potest hæc retorsio formalizari, & contra ipsum proximè citatum resultabit.

120
Retorq. 6.
etiam ad
homin.

Retorqueo sextò argumentum, etiam ad hominem contra ipsum: quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, vt homine, exisse, explicationem non impedit: ergo de exitu morali valet explicari. Probatur antecedens: D. Thomàs absolute asserit: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se; sed hæc absoluta Div. Thomæ assertio, non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia legitime inferitur. Maior est ipsius tom. 3. in 1. part. disp. 77. num. 5. vbi pro probatione suæ conclusionis adducit hæc verba D. Thomæ: *Vnde, sicut est per se ista: Pater est Deus; ita est ista: Deus est Pater, & nullo modo per accidens*, quod est omninò absolute asserere: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se. Minor est etiam Ill. Godoy tom. citat. disp. 76. num. 24. asserentis: prædictam propositionem non esse per se, perseitate constitutionis, quod est aliquomodo non esse per se, & consequenter D. Thom. explicare in verbis ab ipso absolute prolatis, tenetur Ill. Godoy.

121
Declaratur
efficacia re
torsionis.

Confirmatur, & declaratur efficacia huius retorsionis doctrina Ill. Godoy: nam sicut in testimonijs ab ipso adductis non asseritur (ait ipse numer. 11.) virtutem, idest, miraculum, moraliter à Christo, vt homine, exisse, sed absolute asseruit Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et loquens de se Christus ait: *Novi virtutem de me exisse*; ita in testimonio D. Thomæ à nobis tradito, non asseritur: hanc propositionem: *Deus est Pater* esse per se perseitate formali per essentialem inclusionem Paternitatis in Deitate, sed absolute asseruit Doc-

tor Angelicus: hanc propositionem: *Deus est Pater* esse per se: ergo sicut, quod Div. Thomàs asserat absolute: hanc propositionem: *Deus est Pater* esse per se, explicationem non impedit de hac, vel illa perseitate; ita quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, vt homine, exisse, non impedit explicationem de hoc, vel illo exitu.

Ab opposito etiam formatur retorsio ad hominem contra Ill. Godoy: quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, vt homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali: ergo quod D. Thomàs absolute asserat: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se, impedit explicationem de perseitate constitutionis, vel perseitate formali per essentialem inclusionem Paternitatis in Deitate. Atqui hoc est contra Ill. Godoy tom. 3. citat. disput. 76. num. 24. asserentem: prædictam propositionem non esse per se perseitate constitutionis: ergo in ipsius doctrina falsum est illius argumentum. Suffumpta, & consequentia tenent. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia autem probatur: ideò iuxta Ill. Godoy, quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, vt homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali, quia Scriptura absolute asseruit: *Virtus de illo exibat*; atqui Div. Thomàs absolute asseruit: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se: ergo, &c.

Retorqueo septimò argumentum, ad hominem contra Ill. Godoy: quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, vt homine, exisse, explicationem non impedit: ergo explicari valet de exitu morali. Probatur antecedens: D. Thomàs absolute asserit: quod Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum; sed hæc absoluta D. Thomæ assertio, non impedit explicationem: ergo quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, vt homine, exisse, explicationem non impedit. Consequentia est legitima. Maior est D. Thom. qui in 1. part. quest. 34. artic. 1. ad 3. hæc habet: *Sic ergo vni soli personæ convenit dici, eo modo, quo dicitur Verbum, eo vero modo, quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet personæ convenit dici, Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, que eius in*

122
Ab opposito
formatur
retorsio.

123
Retorq. 7.
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

Scientia continetur, concipit Verbum, & sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Que verba adducit Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disput. 89. num. 36. ad probandum ex Doctore Angelico: Verbum Divinum procedere per se ex cognitione Spiritus Sancti, ex ipsisque constat, D. Thom. affirmare absolute: quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum, quod est supra posita maior. Minor est Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disp. 91. afferentis: Verbum Divinum non procedere per se ex cognitione futurorum, quod est explicare verba Div. Thomæ absolute prolata.

Ex hac doctrina Ill. Godoy ostenditur efficacia huius retorsionis: nam sicut in testimonijs ab ipso adductis non asseritur, virtutem, id est, miraculum, moraliter à Christo, ut homine, exisse, sed absolute asseruit Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes, & Christus loquens de se ait: Novi virtutem de me exisse;* ita in testimonio à nobis tradito non asseritur, quod Pater, intelligendo creaturas posibles, concipiat Verbum, sed absolute asserit Doctor Angelicus, quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum; atqui, quod Div. Thomæ asserat absolute, quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum, non impedit explicationem de his, vel illis creaturis, scilicet, de possibiliibus, vel de futuris: ergo quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, ut homine, exisse, non impedit explicationem de hoc, vel illo exitu, scilicet, de phisico, vel de morali.

Formatur etiam ab opposito retorsio ad hominem contra ipsum: quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali: ergo quod Div. Thomæ asserat absolute: quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum, impedit explicationem de creaturis possibiliibus, & futuris. Atqui hoc est contra Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disput. 91. numer. 2. afferentem: Verbum Divinum non procedere per se ex cognitione futurorum: ergo in doctrina Ill. Godoy falsum est illius argumentum. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia verò probatur:

ideo iuxta ipsum quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali, quia Scriptura absolute asseruit: *Virtus de illo exibat;* atqui Div. Thomæ absolute asserit: quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum: ergo, &c.

Retorqueo octavò argumentum etiam contra ipsum: quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, ut homine, exisse, explicationem non impedit: ergo explicari valet de exitu morali. Probatur antecedens: Scriptura absolute asserit: gratiam habitualemente creati; sed hæc absoluta Scripturæ assertio non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia inferitur. Maior est certa, & constat ex Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus.* Ad Ephes. cap. 2. *Creati in operibus bonis.* Ad Galat. cap. 5. & alibi sæpè. Minor est Ill. Godoy, negantis cum omnibus Thomistis: gratiam habitualemente creati, quod negare non poterat absque Scripturæ explicatione.

Et ex hac doctrina Ill. Godoy declaratur efficacia retorsionis: nam sicut in testimonijs ab ipso adductis non asseritur, miraculum moraliter à Christo, ut homine, exisse, sed absolute asseruit Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes, & Christus de se: Novi virtutem de me exisse;* ita in testimonijs à nobis traditis non asseritur, quod gratia habitualis creetur, creatione largè, seu improprie sumpta, sed absolute asserit Scriptura, quod gratia habitualis creetur; atqui quod Scriptura absolute asserat: gratiam habitualemente creati, non impedit explicationem de creatione, hoc, vel illo modo capta: ergo quod Scriptura absolute asserat: miraculum à Christo, ut homine, exisse, non impedit explicationem de hoc, vel illo exitu.

Ab opposito etiam formatur retorsio ad hominem contra ipsum: quod Scriptura asserat absolute: miraculum à Christo, ut homine, exisse, impedit explicationem de exitu morali: ergo quod Scriptura absolute asserat: gratiam habitualemente creati, impedit explicationem de creatione, hoc, vel illo modo sumpta. Atqui hoc est contra Ill. Godoy, sentientem cum omnibus Thomistis, gratiam habitualemente non creati: ergo falsum est illius argumentum. Sussumpta, &

126

Retorq. 8.
argum. ad
hom. etiam.

124

Efficacia re-
torsionis of-
tenditur.

127

Retorsio de-
claratur.

125

Ab opposito
formatur
retorsio.

128

Ab opposito
formatur
retorsio.

consequentia tenent. Antecedens est ipfius. Consequentia autem probatur: ideo iuxta ipfium, quod Scriptura afferat absolute: miraculum à Christo, vt homine, exiffe, impedit explicationem de exitu morali, quia Scriptura absolute afferuit: *Virtus de illo exibat*; atqui Scriptura absolute afferit: gratiam habitualem creari: ergo, &c.

129
Retorq. 9.

Retorqueo nonò argumentum ad litteram argumenti Ill. Godoy: exitus namquè effectus ab aliqua causa, absolute sumptus, importat exitum phificum; sed de alijs quoque Sanctis præter Christum absolute afferitur, virtutem, idest, miraculosum effectum, ab illis exiffe: ergo ineptè de exitu morali explicatur, & consequenter attribuendus est alijs Sanctis præter Christum ultra influxum moralem influxus phificus instrumentalis in effectus miraculosos, quod nemo asseruit. Consequentia tenet. Maior autem probatur eadem ratione, qua Ill. Godoy dictam maiorem probat *numer. 11. & 12.* Minor verò, in qua poterat esse difficultas, efficaciter ad hominem contra ipfium probatur: nam effectum à causa efficiente exire, idem est, quod effici ab illa; sed de alijs quoque Sanctis præter Christum absolute afferitur, miraculosum effectum ab illis effici: ergo, &c. Consequentia est manifesta. Maior est Ill. Godoy *numer. 12.* Minor autem probatur evidentè per illa verba Actor. 6. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.* Nam in hoc textu absolute afferit Scriptura: Stephanum miraculosos effectus efficere: ergo, &c.

130
Retorq. 10.
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

Retorqueo decimo argumentum, etiam ad hominem contra Ill. Godoy: exitus gratiæ, & Redemptionis ab aliqua causa, absolute sumptus, importat exitum phificum: ergo exitus gratiæ, & Redemptionis à Christo, vt homine, absolute sumptus, importat exitum phificum: ergo Christus, vt homo, est causa phifica, licet instrumentalis, gratiæ, & Redemptionis. Totum est verum apud ipfium. Sufsumò nunc: atqui in Scriptura ita absolute afferitur: gratiam, & Redemptionem hominum subsequentiū incarnationem, à Christo, vt homine, exiffe, ac à Christo, vt homine, exiffe gratiam, & Redemptionem

hominum præcedentiū Incarnationem: ergo ita Christus, vt homo, est phifica causa, etii instrumentalis, gratiæ, & Redemptionis hominum præcedentiū Incarnationem, ac hominum Incarnationem subsequentiū. Consequentia est legitima. Sufsumpta autem probatur: nam in Scriptura eodem tenore Verborum dicitur Christus causa gratiæ, & Redemptionis hominum subsequentiū, & præcedentiū Incarnationem, vt concedit Ill. God. *numer. 206.* ergo, &c.

Retorqueo deniquè, detruendo totum argumentum Ill. Godoy ad hominem etiam contra ipfium: exitus virtutis absolute sumptus ab aliqua causa importat exitum principij effectivis; sed in prædictis testimonijs absolute afferitur: virtutem à Christo exiffe: ergo in prædictis testimonijs intelligitur, exiffe principium effectivum: ergo ineptè de effectū miraculoso explicatur, quod est contra ipfium *numer. 12.* Secunda consequentia ex prima inferitur. Prima autem ex præmissis. Ex his autem maior est certa: nam virtus causæ idem est, ac principium effectivum, in quo convenit Ill. Godoy *numer. 11.* Minor ex verbis adductis in argumento constat; non enim afferitur in prædictis testimonijs, effectum exiffe, sed absolute asseruit Evangelista: virtutem exiffe; ait namquè: *Virtus de illo exibat. Novi virtutem de me exiffe.*

131
Retorqueo
deniquè ar-
gum. ad ho-
minem.

Ex his itaque retorffionibus clariffimè manet oitensum, argumentum, quod Ill. Godoy ex Scriptura deducit, nullius esse momenti; tenetur namquè omnibus explicationem tribuere, stante adhuc absoluta assertione Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & D. Thomæ. Si autem absoluta locutione non obitante, ipsi licet tot explicationes dare, quot retorffiones sunt contra ipfium factæ; cur nobis non licebit, textum ab ipso contra nos adductum explicare, præcipuè cum explicationes assignatæ *numer. 113.* sint textui conformiores, & maxime cum nos non teneamur ad aliquam explicationem, si maiorem argumenti negamus, vt negatam habemus *numer. 95.* cuius rationes, & etiam retorffiones tradidimus vsque ad *numer. 104.*

132

Soluto iam, & sic retorffo argumento Ill. Godoy. Ad primam illius confirmationem positam *numer. 93.*

133
Ad 1. con-
firmationem.

respond. 1.

concessa maiori, nego minorem; quia Verbum effici, non solum amplectitur causalitatem physicam, sed etiam moralem, ut diximus num. 99. & 100. Et patet: nam verè Romulus dicitur Romam edificasse, etiam si lapides non portaverit. Ad illius autem probationem respondeo primò negando maiorem, qua negata, tota ruit confirmatio. Ratio negationis est: nam quod excommunicatio lata contra aliquid facientes comprehendat etiam mandantes, vel consiliantes, est opinio, quam tuentur plures authores, nempe, Rosella *excommunicat. 1. casu 43. num. ultim.* Sylvest. *excommunicat. 9. casu 41. dub. 8. numer. 79.* Et multi alij, quos refert Dacianus *tract. Criminali, lib. 9. cap. 32. num. 1.* dicentes: mandantem verè facere, atque ita comprehendendi sub statuto puniente delinquentem. Et Abb. *d. c. Mulieres, num. 10.* Angel verb. *Mandatum, num. 1.* vbi Sylvest. *quest. 4.* dicunt generalitèr pœnam latam iure communi contra facientem afficere mandantem. Sicut ergo Ill. Godoy pro opinione sibi favente citat authores, quos refert Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 49. numer. 2.* potuit pro opinione opposita, & nobis favente, citare authores, quos nos citamus, & refert idem Sanchez *cit. numer. 1.*

134
Respond. 2.

Respondeo secundò datà maiori, scilicèt, quod excommunicatio lata contra aliquid facientes non comprehendat mandantes, vel consiliantes, negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: censura contra facientes furtum comprehendit omnes, de quibus absolute, & immediatè, vel physicè verificatur facere furtum concedo maiorem; absolute tantum nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ratio est: nam cum excommunicatio, & cœteræ pœnæ sint odiosæ, non debent extendi de casu ad casum, ut ait Sanchez *cit. num. 2.* in probatione suæ opinionis, idèòquè excommunicatio lata contra aliquid facientes non extenditur ad absolute facientes, sed restringitur ad immediatè, vel physicè facientes, qui pro famosiori dicuntur facere, seu quod idem est, restringitur ad executivè facientes, quod est proprium causæ physicæ. Et in hoc sensu debet intelligi prædicta opinio; alioquin tolleret

à causa morali veram, & propriam rationem causæ, quod est falsum; cum omnes fateantur, & Ill. Godoy cum ipsis, quod mandans, & consilians furtum peccato furti tenentur, utpotè, in furtum moralitèr influentes, & causæ morales illius.

Deniquè: hæc prima Ill. Godoy confirmatio patitur omnes retorsiones, inter quas ad destructionem confirmationis præcipua, & efficacior est retorsio posita *numer. 129.* per ipsam namquè tenetur negare, quod effectum effici ab aliqua causa absolute, & sine limitatione, importet physicam efficientiam, & consequentèr, si adheret opinioni, quam Sanchez refert, esse communem, scilicèt, quod excommunicatio lata contra aliquid facientes non comprehendit mandantes, vel consiliantes, nisi in ipsa exprimantur; ipsam debet explicare, ut evidentèr constet ex prædicta retorsione. Ad secundam confirmationem respondimus infra, solvendo argumentum Ill. Godoy, ex Concilio, & Patribus deductum.

Cœterum non prætermitam retorsionem, quam argumentum, & prima confirmatio patiatur. Vtrumque itaquè retorqueo: Exitus effectus ab aliqua causa, absolute sumptus, importat exitum physicum causæ principalis; sed in prædictis testimonijs asseritur absolute, virtutem, idest, miraculosum effectum, à Christo, ut homine, exisse: ergo ineptè de exitu causæ instrumentalis explicantur, & consequentèr attribuendus est Christo, ut homini, præter influxum moralem, influxus physicus principalis in effectus miraculosos. Minor ex verbis adductis constat; non enim asseritur in prædictis testimonijs, virtutem, idest, miraculum, instrumentalitèr à Christo, ut homine, exisse, sed absolute asseruit Evangelista: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes,* & Christus de se loquens ait: *Novi virtutem de me exisse.* Maior autem probatur: effectum à causa efficiente exire, idem est, quod effici ab illa; sed effectum effici ab aliqua causa, absolute, & sine limitatione dictum, importat physicam efficientiam principalem: ergo effectum à causa efficiente exire absolute, & sine limitatione dictum, physicam efficientiam principalem importat. Probatur minor: effectum effici ab aliqua

135
Retorque.

Ad 2. confirm. respondimus infra.

136
Retorqueo argum. & 1. confirm.

causa absolutè, & sine limitatione dictum, importat physicam efficientiam absolutè, & sine limitatione dictam; sed physica efficientia absolutè, & sine limitatione dicta, est physica efficientia principalis: ergo effectum effici ab aliqua causa, absolutè, & sine limitatione dictum, importat physicam efficientiam principalem.

§. VII.

Argumentum Ill. Godoy, ex Concilio, & Patribus deductum, diluitur.

137
Arguit. 2.
Ill. Godoy,
ex Concilio
Ephesin. &
Patrum.

ARguit secundò Ill. Godoy numer. 14. ex Concilio Ephesino Canone 11. ubi asseritur: *Carnem Christi esse vivificatricem*, eo quod facta sit propria Verbi. Et Sophronius in Epistola Synodica, quæ habetur in 6. Synodo actione 11. dicit: *Verbum per carnem suam effecisse opera, quæ erant Divinitatis inditia*. Et Cyrillus lib. 4. in Ioann. sic ait: *Hac de causa in excitandis mortuis, non solum Verbo, atque imperio, ut Deus utebatur, verum etiam carnem suam, quasi cooperatricem, non nunquam adhibebat, ut re ipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, vivificam esse*. Et intra de filia Principis Synagogæ à Christo suscitata, sic ait: *Ut Deus, & Verbo, & carnis sine contactu eam excitavit, unam ab uno se Christo, Deo videlicet, atque homine, operationem producentis*. Ac deniquè Euthymius cap. 19. in Lucam, de Christi carne, sic loquitur: *Quemadmodum ferrum, quod in igne aliquo tempore permansit, habet ignis operationes, ita quoque Sancta ipsius caro Divinitati unita, quæ Divinitatis sunt, operabatur; at hæc non possunt cum proprietate accipi, ut debent, nisi humanitati Christi concursus, & influxus physicus in miracula attribuantur: ergo asserendum est, instrumentaliter physicè miraculosos effectus causasse*.

138
Prob. min.
per singulas
partes.

Minorem per singulas partes probat: nam carnem Christi esse vivificantem, idem est, quod esse effectricem vitæ; sed hoc soli causæ physice convenit propriè, non autem causæ morali; sicut esse homicidam, quod idem est, ac esse causam effectivam homicidij, soli causæ physice in homicidium influenti convenit propriè, non autem mandanti, vel consulenti homicidium, quæ causæ mora-

les sunt, & ideo de homicidio tenentur, ut latè probat Thomàs Sanchez lib. 3. de Matrimonio, disput. 49. numer. 2. plures referens, & asserens, esse sententiam communem: ergo verba ex Concilio Ephesino relata, quibus asseritur: *Carnem Christi esse vivificatricem*, quod etiam docet Cyrillus, non possunt accipi cum proprietate, nisi humanitati Christi influxus physicus effectivus in effectus miraculosos concedatur.

Verba Concilij ponderantur.

Deindè: nam causa moralitè solum influens, non dicitur cum proprietate facere id, quod solum moralitè causat, quo circa mandantem, vel consulentem, non dici cum proprietate facere, pluribus relatis docet Sanchez, ubi supra, aliterens communem sententiam esse, cum tamen mandans, & consulens, ut causæ morales influant; vndè mandans, & consulens homicidium subsecuto effectum homicidij reatu tenentur, ut docent communiter Theologi; sed Sophronius in Epistola citata, docet: *Verbum per carnem suam effecisse opera, quæ erant Divinitatis inditia, idest, opera miraculosa, quibus Christus se Deum esse monstrabat, ut docet D. Thomàs infrà quest. 43. art. 4. Et Cyrillus: Carnem suam, ut operatricem talium operum adhibuisse: ergo ut hæc cum proprietate verificentur, ut debent, concedendus est carni, & humanitati Christi influxus, physicus effectivus.*

139
Verba Sophronij.

Præterea: nam de causa morali non propriè dicitur, cooperari cum causa physica; benè tamen, quod illa moralitè ad operandum moveat, & excitet; vndè cooperantes ad furtum à mandante, & consulente, & alio quovis modò moralitè concurrente distinguuntur, iuxta communem Theologorum sententiam; & consequenter propriè cooperantes non dicuntur; sed iuxta Cyrillum: *Verbum carnem suam, ut cooperatricem in miraculorum patrione, quandoque adhibebat: ergo non solum moralitè, sed etiam physicè prædictos effectus causabat*. Nec obitat Cyrillum uti particula *quasi*, quæ diminutiva est: nam ideo illa particula est vñs, ut excluderet æqualitatem, quæ in cooperando insinuat, & quia caro Christi, quamvis cooperaretur Divinitati, illi non adæquabatur, dixit, fuisse cooperatricem non absolutè, sed addendo par-

140
Verba Cyrilli.

ticulam quasi diminuentem ab æqualitate in concurrente, non à concursu phisico extrahentem.

141
Verba Euthimij
expenduntur.

Uterius: nam solum de instrumento phisico est cum proprietate verum, vnam & eandem operationem cum causa principali producere; sed vt docet Cyrillus: *Caro Christi, & illius Divinitas vnam, & eandem producebant operationem*: ergo verba Cyrilli non possunt accipicim proprietate, nisi asseratur, humanitatem Christi esse phisicum instrumentum in miraculorum patratiōe. Denique: quod docet Euthimius, nempe, sicut ferrum candens, quæ propria sunt ignis, operatur, ita quoque caro Christi propertè coniunctionem cum Verbo operari, quæ sunt propria Dei, non potest cum proprietate esse verum, si tantum moralitè in prædicta opera Dei propria influat, & licet vtrumque salvari posset per influxum moralem, aptius tamen, & melius absque dubio salvatur, concessio carni Christi influxu phisico instrumentali in effectus miraculosos, qui ex mente Euthimij sunt Deo proprii, quia nempe, ab illo solum principalitèr possunt causari: ergo ite influxus concedendus est carni Christi, & eius humanitati.

142
Notatio ad
verba Concilij
Ephes.

Ante solutionem argumenti notandum est: Concilium Ephesinum ibi non diffinire, carnem Christi habere virtutem phisicam instrumentalem vivificandi, nec ex verbis Concilij potest deduci talis virtus; nam intentum Concilij non erat asserere, carnem Christi esse effectricem vitæ; sed esse tantum carnem Verbi vivificantis, & non puri hominis. Ratio est: nam Concilium illud celebratum est contra Nestorium, vt notat Beccanus, negantem carnem Christi esse hypostaticè vnitam Divinitati, vt patet ex verbis Concilij apud ipsum Beccanum videndis. Vnde sinistrè ad intentum Concilij verba illius adduxit Ill. Godoy, volendo ex illis inferre, carnem Christi esse causam phisicam instrumentalem vitæ.

143
Notatio ad
verba Euthimij.

Similitèr etiam notandum est: ad rem non esse verba, quæ ex Euthimio adducit Ill. Godoy in argumento; Euthimius namquè loquebatur de communicatione Divinitatis cum humanitate, & suadere intendebat, hominem in Mysterio Incarnationis esse Deum, & Deum hominem, per illap-

sum Divinitatis cum humanitate, & per communicationem idiomatum, quemadmodum ferrum fit ignis, ideòque dicebat: carnem supposito Divino subsistentem, seu Deum hominem, operari, quæ Divinitatis sunt; non autem Christum, vt hominem, seu humanitatem. Patet igitur, quod ex verbis Euthimij inferre non licet, humanitatem Christi habere phisicam causalitatem in opera miraculosa ab eo elicita. Hæc notata sunt pro declaratione intenti Concilij, & Euthimij, quæ licet sint pro illis genuina responsio, ab illis autem præscindendo.

Respondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius primam probationem omissa maiori, nego minorem; nam carnem Christi esse effectricem vitæ salvatur optimè, & propriè per causalitatem moralem, sicut esse homicidam salvatur propriè per dictam causalitatem, vt clarissimè patet ex dictis à num. 96. usque ad 103. ex quibus retorsiones ibi factæ contra Ill. Godoy, hic etiam formentur. Et præcipuè, quam fecimus numer. 129. quæ meo videri evidentèr convincit: *Effectum effici* non soli causæ phisicæ convenire propriè, sed etiam morali, ne dicatur: D. Stephanum fuisse causam phisicam instrumentalem miraculorum ab ipso factorum, quod nemo asseruit. Vnde non obest huic solutioni paritas de homicida; negamus namquè: esse causam effectivam homicidij, soli causæ phisicæ in homicidium influenti convenire propriè, vt dictum habemus. Quomodo autem Pater Sanchez cit. ab Ill. Godoy sit intelligendus, declaravimus, & ostendimus num. 134. Ex quo constat solutio ad secundam probationem ex Sophronio.

Ad tertiam probationem ex Cyrillo nego antecedens; & distinguo probationem imbibitam: cooperantes ad furtum, à mandante, consulente, & quovis alio modo moralitèr concurrente, distinguntur in modo cooperationis concedo; in cooperatione nego. Itaque licet inter cooperantes ad furtum, & moralitèr ad illud concurrentes, detur distinctio in modo cooperationis, quia cooperantes phisicè concurrunt ad furtum; moralitèr vero concurrentes non cooperantur phisicè; tamen in cooperatio-

144
Respondeo
ad argum.
ex Concilio.

Retorque.

Ad probat.
ex Sophronio.
respondet.

145
Respondeo
ad 3. prob.
ex Cyrillo.

ne non diiunguntur, quia omnes hoc, vel illo modo cooperantur, & sicut omnes verè, & propriè peccant in furto; ita omnes verè, & propriè in furtum cooperantur; alioquin moralitèr ad furtum cooperantes non essent verè, & propriè causæ morales furti, quod apud omnes, vt falsum, reputatur. Ex quo resurgunt retorsiones relatæ *num. anteced.*

146
Respondeo
ad 4. prob.
ex Cyrillo.

Ad quartam probationem, sumptam etiam ex Cyrillo, respondeo negando maiorem; nam etiam de causa morali est cum proprietate verum, vnam, & eandem operationem cum causa phisica principali producere; alioquin Christus, vt homo, vt causa moralis principalis, non produceret cum proprietate eadem miracula, quæ Deus, vt causa phisica principalis patrauit; quod est falsum; alioquin Christus, vt homo, non esset vera, & propria causa moralis miraculorum, quod apud omnes est falsum; ex quo etiam contra Ill. Godoy resurgunt retorsiones enumeratæ dicto *n. 144.*

147
Respondeo
ad probat.
ex Euthim.

Ad vltimam deniquè probationem, ex Euthimio deductam, vltra dicta *numer. 143.* respondeo negando verba Euthimij non saluari cum proprietate per influxum moralem, ob dicta, & relatæ *num. 144.* Nego etiam aptius, & melius saluari, carnem Christi propter coniunctionem cum Verbo operari, quæ sunt propria Dei, concessio carni Christi influxu phisico instrumentali in effectus miraculosos. Ratio huius negationis est multiplex, à nobisque assignabitur infra. Pro nunc autem sufficiat pro solutione retorsio ad hominem contra Ill. Godoy: aptius, & melius saluatur, carnem Christi propter coniunctionem cum Verbo operari, quæ sunt propria Dei: atqui creatio est propria Dei: ergo aptius, & melius saluabitur: carnem Christi propter coniunctionem cum Verbo operari, quæ sunt propria Dei, concessio carni Christi influxu phisico instrumentali in effectus creatos. Tunc sic: sed hoc est contra Div. Thomam *in 1. part. quest. 45. artic. 5. vt fatetur Ill. Godoy num. 101:* ergo exemplo Euthimij, vel probat Ill. Godoy: carnem Christi phisicè instrumentalitèr influere in creationem; vel non probat, influere in effectus miraculosos, quorum vtrumque est contra ipsum.

Retorq. ad
hom. contra
Ill. Godoy.

Hanc solutionem prævidit Ill. Godoy, eiusque sufficientiam ad propriè salvanda testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, ferè expressè fatetur *num. 18.* ob quod illam non impugnat, sed illa supposita argumentum restaurat *num. 19.* sic contra nos arguendò: nam verba Scripturæ, & Patrum non solum sunt accipienda propriè, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis, non sequitur contradictio in Scriptura, vel in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; sed datò, quod testimonia adducta possint explicari propriè per causalitatem solum moralem, aptius tamen, meliusque, & cum maiori proprietate accipiuntur, concessio carni, & humanitati Christi influxu phisico, & instrumentali, quod saltim probationes factæ videntur manifestè convincere; & aliàs ex eo, quod sic accipiantur, non sequitur contradictio in Scriptura, vel Patribus; cum nullibi influxus iste in Scriptura negetur, nec à PP. reijciatur, nullumque inconueniens sequitur contra rationem naturalem, vt ex argumentorum solutione manifestè constabit: ergo attribuendus est carni Christi, & illius humanitati influxus phisicus instrumentalis in effectus miraculosos.

Ad argumentum hoc, sic ab Ill. Godoy efformatum, respondeo primò concessio maiori, negando minorem quoad secundam partem; nam concessio carni, & humanitati Christi, influxu phisico instrumentali in effectus miraculosos, hæc secuntur absurda, & inconuenientia. Primò: quod talis phisicus influxus est contra Concilium Tridentinum, ob à nobis dicta *num. 12. & seqq.* Secundò: est expressè contra Ecclesiæ Patres, vt constat ex dictis *num. 18. & seqq.* Tertiò: quod talis influxus, vltra hoc, quod non esset dignitas Christi, ob dicta *num. 37. & seqq.* adferret Christo indignitatem, & indecentiam, vt ostendimus *num. 33. & 34.* Quartò: quod forma illa, per quam humanitas Christi elevaretur, ad influendum phisicè instrumentalitèr in effectus miraculosos, esset infinita, & impossibilis, vt probatum reliquimus *num. 50. & seqq.* Quintò: quod causa efficiens phisicè causaret sine eo, quod phisicè

148
Alitèr for-
mat argum
Ill. Godoy.

149
Respond. I.
ad argum.
sic efforma-
tum.

existeret, quod est contra communem Philosophorum consensum, & nos docuimus à num. 59. usque ad 83. Sextò: quod humanitas Christi esset phisicum instrumentum creationis, quod negat D. Thomàs, & nos cum Scoto deduximus num. 84. Septimò deniquè sequeretur: Christum esse capud phisicum Ecclesiæ, quod est contra Ill. Godoy, & omnes Theologos, vt diximus num. 87.

Respondeo secundò ad idem argumentum, distinguendo maiorem: verba Scripturæ, & Patrum, non solum sunt propriè accipienda, sed etiã cum maxima proprietate iuxta intentum Scripturæ, & Patrum concedo maiorem; vltra intentum illorum nego maiorem; distinguoque minorem: sed concessò carnì, & humanitati Christi, influxo phisico instrumentali, testimonia adducta cum maiori proprietate accipiuntur, vltra intentum Scripturæ, & Patrum concedo minorem; iuxta intentum illorum nego minorem, & consequentiam. Cum itaque Scriptura intenderet, excludere errores Iudæorum, negantium Deitatem in Christo, hocque esset intentum Patrum contra Arrianos, ex miraculis asseriebant phisicam potestatem, non instrumentalem humanitatis, quia hæc eorum intento nullatenus deserviebat, sed principalem Divinitatis, quam in Christo contra Iudæos, & Arrianos ostendere nitentantur. Imò hanc phisicam Divinitatis potestatem fatebantur turbæ, & infirmi à Christo sanati, vt fecit cæcus i. Ioann. 9. qui in signum Divinitatis Christi, quod ab ipso fuerit illuminatus, prociens adoravit eum, vt filium Dei. Vnde ex locis prædictis potestas phisica miraculorum in Christo, vt homine, argui nequit, quia hoc est vltra intentum Scripturæ, & Patrum. Et hæc est solutio promissa num. 135 ad confirmationem positam num. 94. contra quam militant proximè faciendæ.

Sed quia hic est frequentissimus modus, quo multoties, multisque in locis, vtitur Ill. Godoy ad arguendum ex Scriptura, Concilijs, & Patribus, eodem modo observato, plures in ipsum retorsiones faciam, vt prædicto modo arguendi non fidat. Retorqueo itaque primò, & si reperendo: Verba Patrum non solum sunt pro-

priè accipienda, sed etiã cum maxima proprietate, quando ex illis, sic acceptis, non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui verba Patrum duplicem dumtaxat actionem phisicam statuunt in miraculis à Christo factis, & aliàs ex hoc non sequitur contradictio in Patribus; cum aliam actionem phisicam non statuunt, nullumque inconueniens sequitur contra rationem naturalem, vt constans est: ergo hanc duplicem dumtaxat actionem phisicam statuere debemus in miraculis à Christo factis. Consequentia etiã legitima. Minor manifestè apparet in Verbis Patrum. Maior est Ill. Godoy numer. 19. vbi illa vtitur in probationem suæ conclusionis.

Sussumo nunc: atqui ex hac duplici actione phisica, quam Patres statuunt in miraculis à Christo factis, nulla est actio phisica instrumentalis, qua humanitas Christi attingat miracula: ergo humanitas Christi non habuit concursum phisicum instrumentalem in effectus miraculosos. Consequentia legitimè infertur. Susumpta verò conitat ex verbis PP. ipsamque fatetur Ill. Godoy in solutione, & vltra ostenditur: actio phisica, qua humanitas Christi miracula attingebat, erat extensio manus, corporis tactus, Verborum prolatio, & aliæ similes; sed nulla ex his actionibus humanitatis est instrumentalis, quin potius principalis, vt etiã fatetur Ill. Godoy in responsione: ergo, &c.

Retorqueo secundò: Verba Conciliorum non solum sunt propriè accipienda, sed etiã cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui Concilium Tridentinum enumerans omnes causas nostræ iustificationis, asserit absolute: humanitatem Christi esse causam moralem dumtaxat, vt claret ex verbis Concilij relatis num. 9. & aliàs ex eo, quod verba Concilij sic accipiantur, non sequitur contradictio in Scriptura, vel in Patribus; cum nullibi alius influxus præter moralem in Scriptura, aut in Patribus expressetur, nullumque inconueniens sequa-

150
Respond. 2.
ad idem
argum.

152

153
Retorq. 2.

Retorq. 1.
argum.

tur contra rationem naturalem, ut manifestum est: ergo attribuendus est humanitati Christi influxus dumtaxat moralis in gratiam iustificantem, & consequenter in effectus miraculosos.

154
Retorq. 3.

Retorqueo tertio: Verba Scripturæ non solum sunt proprie accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui Scriptura asserit absolutè: Deum esse incomprehensibilem, ut patet ex illo Hyeremiæ 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*: ergo cum maxima proprietate hæc verba Scripturæ sunt accipienda. Atqui sic accepta inferunt: Deum nec à se ipso comprehensibilem esse: ergo sic debent accipi, quod est contra fidem.

155
Retorq. 4.

Retorqueo quarto: Verba Scripturæ non solum sunt proprie accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui Scriptura asserit: gratiam habituales creati, ut constat ex Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus*. Ad Ephes. 2. *Creati in bonis operibus*. Ad Galatas 5. & alibi sæpè; & aliàs ex eo, quod verba Scripturæ sic accipiuntur, non sequitur contradictio in Scriptura, vel in Patribus, cum nullibi creatio gratiæ habitualis in Scriptura negetur, nec à PP. rejiciatur, nullumque inconueniens sequatur contra rationem naturalem: ergo dicendum est: gratiam habituales creati, quod est contra Ill. Godoy, & omnes Thomistas.

156
Retorq. 5.

Retorqueo quinto: Verba Scripturæ non solum sunt proprie accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui Scriptura asserit absolutè: D. Stephanum fecisse miracula, ut constat ex illis verbis: *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo*; & aliàs ex eo, quod sic hæc verba accipiuntur, non sequitur contradictio in Scriptura, & Patribus;

cum nullibi in Scriptura hæc miracula negetur, nec à Patribus rejiciantur, nullumque inconueniens sequatur contra rationem naturalem: ergo prædicta Scripturæ verba sunt cum maxima proprietate accipienda. Suffumo nunc: sed verba sic accepta legitime inferunt iuxta Ill. Godoy numer. 12. influxum phisicum, saltim instrumentalem in miracula: ergo hic influxus attribuendus est Div. Stephano, quod est contra ipsum, & omnes.

157
Retorq. 6.

Retorqueo sexto: Verba Scripturæ non solum sunt proprie accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui in Scriptura eodem tenore verborum dicitur Christus causa gratiæ omnium hominum, & omnium Redemptor; & aliàs ex eo, quod verba Scripturæ sic accipiuntur, non sequitur contradictio in Scriptura, vel Patribus; cum nullibi hoc in Scriptura negetur, nec à Patribus rejiciatur, nullumque inconueniens sequatur contra rationem naturalem: ergo eadem proprietate est causa gratiæ, & Redemptionis hominum Incarnationem præcedentium, ac hominum subsequendum Incarnationem. Suffumo nunc: sed Christus cum tali proprietate est causa gratiæ, & Redemptionis hominum Incarnationem subsequendum, quod sit causa phisica instrumentalis: ergo etiam erit phisica causa instrumentalis gratiæ, & Redemptionis hominum Incarnationem præcedentium, quod est contra Ill. Godoy num. 206.

158
Retorq. 7.

Retorqueo septimo: Verba Scripturæ non solum sunt proprie accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui Scriptura asserit absolutè: Virtutem de Christo existere, ut claret ex illis verbis Lucae capit. 6. *Virtus de illo exibat*. Et capit. 8. Christus de se loquens, ait: *Novi virtutem de me existere*; & aliàs ex eo, quod sic accipiatur, non sequitur contradictio in Scriptura, vel Patribus; cum nullibi exitus iste virtutis in Scriptura negetur, nec à Patribus rejiciatur;

nullumque inconueniens sequitur contra rationem naturalem: ergo sunt cum maxima proprietate accipienda. Tunc sic: sed virtus cum maxima proprietate accepta, non significat effectum, sed principium effectuum, vt est manifestum: ergo ineptè prædicta verba explicantur de effectu, quod est contrall. Godoy num. 11. & contra omnes, sic verba illa explicantes.

159
Retorq. 8.

Retorqueo octavò, supposito, quod verba prædicta explicentur de effectu: verba Scripturæ non solum sunt propriè accipienda, sed etiam cum maxima proprietate, quando ex illis sic acceptis non sequitur contradictio in Patribus, nec aliquod absurdum contra rationem naturalem, in quo nullus poterit inficiari; atqui Scriptura asserit absolutè: virtutem, seu miraculosum effectum à Christo, vt homine, exisse, vt claret ex illis verbis Lucæ cap. 6. *Virtus de illo exibat.* Et cap. 8. Christus de se loquens, ait: *Novi virtutem de me exisse;* & aliàs ex eo, quod sic accipiuntur, non sequitur contradictio in Scriptura, & Patribus cum nullibi exitus iste virtutis in Scriptura negetur, nec à Patribus reijciatur; nullumque inconueniens sequitur contra rationem naturalem: ergo sunt cum maxima proprietate accipienda. Tunc sic: sed exitus effectus ab aliqua causa absolutè sumptus, importat exitum phisicum causæ principalis: ergo ineptè explicantur de exitu causæ instrumentalis, & consequentè Christo, vt homini, attribuendus est præter influxum moralem, influxus phisicus principalis in effectus miraculosos, quod est contra Ill. Godoy. Sussumpta, in qua vnice potest esse difficultas, probata manet num. 136.

160
Retorq. 9.

Retorqueo nonò: Spiritum Sanctum non petere per se puritatem suppositorum in principio Spirante, statuit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi, vt refertur in cap. *Fideli de Summa Trinitat. & fide Catholica in Sess. decretali*, his verbis: *Fideli, ac debota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus Æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno; non duabus Spirationibus, sed vnica Spiratione procedit;* Et hoc idem postea rursus deffinivit Concil. Florent. in litteris unionis. Sta-

tuit etiam hoc D. Anselmus *Epist. de Process. Spiritus Sancti, contra Græcos cap. 11.* vbi de Spiritu Sancto, ait: *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo, in quo vnum sunt.* Et cap. 16. concludit his verbis: *Stat Spiritum Sanctum esse de Filio, sicut est de Patre, nec tamen de duobus, sed ex vno, ex eo, scilicet, quod Pater, & Filius vnum sunt, non ex eo, unde alij sunt ab invicem.* Deniquè hoc statuit D. Augustin. 5. de *Trinitat. cap. 14.* sub hac expressione: *Fatendum est, Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relativam vnus creator, & vnus Dominus, sic relativè ad Spiritum Sanctum vnum principium. Ad creaturam verò Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnum principium, sicut vnus creator, est vnus Dominus.* Atqui verba ista cum proprietate sunt accipienda: ergo Spiritus Sanctus non petit per se pluralitatem suppositorum in principio spirante, quod est contra Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disput. 39. num. 2.

Retorqueo decimò: Scriptura, & Concilia absolutè docent: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis. Ita habet Lucæ cap. 19. illis verbis: *Filius hominis venit salvare, quod perierat.* Et 1. ad Thimot. 1. *Christus Iesus venit peccatores salvos facere.* Et 1. Ioann. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissolvat opera Diaboli.* Ac tandem in Symbolo Nicæna de Christo loquendo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Cælis, & Incarnatus est, &c.* Atqui verba ista cum proprietate sunt accipienda: ergo remedium peccati fuit vnicum motivum Incarnationis, quod est contrall. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 8. num. 222.

Aliter formo retorsionem: Patres absolutè docent: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis. Ita D. Augustin. in *Psal. 36. Concione 2.* ad illa verba: *A Domino gresus hominis dirigentur,* vbi sic ait: *Si tu ò homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Serm. 8. de *Verb. Apostol.* super illud: *Venit enim Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat,* sic habet: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Et ad Thimot. ad illa verba: *Christus Iesus venit peccatores salvos facere,* glossa Augus-

161
Retorq. 10.

162
Aliter formatur retorsio.

hini, sic dicit: *Nulla causa fuit Christo Iesu veniendi, nisi peccatores salvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinae.* Id ipsum expræsis verbis testatur Hyrineus lib. 5. *Adversus hæreses, cap. 14.* Athanas. *Serm. 3. contra Arrianos, column. 212.* Leo Magnus *Serm. 3. in Penthecost.* Cyrillus lib. 5. *de Trinitat. ante medium, & super Ioann. lib. 2. cap. 3.* Gregorius Magnus in 4. *Reg. cap. 1. quorum verba adducit Vazquez disp. 10. cap. 4.* Atqui ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiant, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis, quod est contra Ill. Godoy citat.

163
Retorqueo
deniquè.

Retorqueo deniquè: Patres absolutè docent: Deum non esse nobis debitorem. Dicunt enim: *Deum nihil nobis debere redere, debita nulli debentem, non habere debitum ex iure, debere solum suæ bonitati, & misericordiae præmium, quod nobis tribuit pro bonis operibus, amicitiarum nobis præmia repromittere, idèque debitum Dei erga nos promissionis debitum esse.* Ita Div. Anselm. *Prolog. cap. 10. Iustus es (inquit) non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summè bonum.* Et cap. 11. *Illud solum est iustum, quod vis, non iustum, quod non vis.* Augustin. 1. *Confess. cap. 4. Reddis debita, nulli debens.* D. Bernard. *Serm. 1. de Anunciat. Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeat ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Et *Serm. 61. in Cantic. Meritum meum miseratio Domini.* Gregorius 9. *Moral. cap. 14. Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* Basilius in *Psal. 114. Manet sempiterna requies illis, qui in hac vita legitimè certaverint, non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi.*

164

Rursum Augustin. *Sermon. 13. de Verbo Domini. O magna benignitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, ut servi Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia Redemptoris amicitiarum nobis præmia repromittit.* Et *Serm. 16. de Verb. Apostol. Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi, & aliter dicimus, debes mihi, qui promissisti mihi. Deo igitur*

quid dicimus, redde mihi quia dedi tibi? Quid dicimus Deo, quando quod sumus, & habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum: illo ergo possumus exigere Dominum nostrum, redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti, & hoc tu fecisti, qui laborantes iussisti. Et *Serm. 151. de Tempore. Laudemus fratres dominum, quia promissorem tenemus, ut iam debitum exigamus.* Idem de promissione, & debito fidelitatis docet Concil. Trident. *Sess. 6. cap. ultim. Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita Æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fidelitè reddenda.* Atqui ea, quæ PP. non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiant, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est: Dei ad creaturam non esse veram, & propriam iustitiam, quod est contra Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 7. num. 4.

Atque hinc se se aperit: argumentum Ill. Godoy ex Concilio, & Patribus deductum, nullam vim habere contra nostram conclusionem; patitur namquè omnes retorsiones factas, & plures alias, quas in ipsum facere poteram. Si ergo ipse tenetur ad tot explicationes, quot sunt retorsiones formatæ, quam efficaciam habebit contra nos argumentum? Optima ergo est responsio data num. 149. Optima etiam est explicatio assignata num. 150. Et si hæc non placent, respondeat ipse ad retorsiones, & erit ad suum argumentum nostra solutio. Deniquè ad solvendum hoc, & præcedens argumentum, cæteraque, quæ ab autoritate adduci valent, recolantur dicta num. 113.

§. VIII.

Diluitur tertium argumentum Ill. Godoy.

Omissis autoritatibus Div. Thomæ, quas in favorem suæ conclusionis adducit Ill. Godoy à num. 20. usque ad 43. Arguit tertio contra nos num. 44. humanitas Christi, ut instrumentum Verbi, influit in effectus miraculosos; sed non ut instrumentum morale: ergo ut instrumentum phisicum. Consequentia tenet; non enim

166
Arguit. 3.
Ill. Godoy.

datur medium inter instrumentum phisicum, & morale: ergo si humanitas Christi est instrumentum respectu miraculorum, & non est instrumentum morale, erit necessario instrumentum phisicum. Maiorem concedit Vazquez, saltem respectu aliquorum, quæ Christus, vt homo, effecit mediante contactu phisico, estque expressa D. Thomæ in *presenti art. 2.* & pluribus alijs in locis, & videtur non obscure colligi ex communi Patrum loquutione, nempe, humanitatem Christi esse organum Divinitatis in ordine ad dona gratiæ, quæ hominibus Divina largitate tribuuntur; esse namque organum Divinitatis, si propriè accipiatur, vt debet, denotat, esse instrumentum in ordine ad illa dona, cumque eadem ratio sit respectu miraculorum, asserendum est, etiam in ordine ad illa fuisse humanitatem Christi instrumentum.

167

*Minorem
probat. 1.*

Minor autem, ad quam tota difficultas reducitur, ostenditur primò: nam sicut instrumentum phisicum dicitur per respectum ad causam phisicam principalem, ita instrumentum morale dicitur per comparisonem ad causam principalem moralem; sed Divinitas comparatione cuius humanitas est instrumentum, non est causa principalis moralis, sed phisica respectu miraculorum: ergo humanitas in ordine ad illa non est instrumentum morale. Secundò probatur: nam instrumentum mediat inter effectum, & causam principalem, in cuius virtute operatur, vt constat discurrendo per instrumenta, sive artis, sive naturæ; calamus autem pennicillus, ferra, & alia instrumenta artificialia, mediant inter causas principales artificiales, & artificiosos effectus; calor, frigiditas, & alia instrumenta naturalia, mediant inter effectus, & causas principales naturales, quorum instrumenta, aut virtutes instrumentariæ dicuntur, & sic de alijs instrumentis; sed humanitas Christi, prout moraliter influens in effectus miraculosos, non mediat inter illos, & Deum, vt illos causantem, influit namque moraliter, orando, impetrando, & merendo, meritum autem non mediat inter effectum, & Deum, sed potius Deus prout causans phisicè præmium, & meritum: ergo prout moraliter influens in effectus miraculo-

Secundò.

fos, non influit instrumentaliter.

Confirmat primò Ill. Godoy *num. 46.* ad hominem contra Vazquez, qui asserit, quod quia instrumentum morale dicitur ad instar instrumenti artificialis, in quo actio aliqua prævia datur erga rem, in qua inducendus est artificialis effectus, idè non salvatur ratio instrumenti moralis, nisi phisicus interveniat contactus rei, in qua effectus est inducendus; sed non minus est de ratione instrumenti artificialis, quod mediet inter effectum, & causam principalem agentem, quam quod aliquid præviè operetur; ergo non salvatur ratio instrumenti moralis, nisi mediet inter effectum, & causam principalem; cuius comparatione dicitur, & est instrumentum; & consequenter, cum humanitas Christi, quatenus moraliter influens, non mediet inter Deum, vt phisicè patratem miracula; non erit vt sic instrumentum respectu Dei, vt phisicè principaliter operantis; sed non reperitur in Deo alia consideratio causæ, sub qua respectu illius instrumentum dici possit: ergo humanitas, prout moraliter influens, instrumentum morale non est.

Confirmat secundò *num. 47.* nam instrumentum agit, vt motum à causa principali, & in virtute illius, vt constat discurrendo per omnia instrumentorum genera, quo circa Div. Thomàs pluribus in locis docet, causam secundam principalem esse aliquam ratione instrumentum, causæ primæ comparatam; quia, nempe, ab illa movetur, applicaturque ad operandum, nec potest sine illius motione operari; sed humanitas prout moraliter influens in effectus miraculosos, non movetur à Deo, vt phisicè efficiente miracula, sed potius Deum movet ad miracula efficienda: ergo humanitas Christi, vt moraliter influens, non est instrumentum Dei, vt phisicè efficientis miracula.

Tertiò principaliter probat minorem argumenti *num. 49.* idem secundum eandem rationem non potest esse causa efficiens moralis principalis, & in eodem genere instrumentalis; sed Christus, in quantum homo, est causa efficiens principalis moralis respectu miraculorum: ergo non influit in illa, vt instrumentum morale. Consequentia est bona. Maior vide-

168

Confirm. 1.

169

Confirm. 2.

170

*Probat. 3.
minorem ar-
gum.*

tur certa: non enim minus distinguntur intra genus causæ moralis, causæ principalis, & causæ instrumentalis, quam intra genus causæ physice; sed non potest eadem causæ secundum eandem rationem principaliter, & instrumentaliter physice in vnum, & eundem effectum secundum eandem rationem influere: ergo pariter intra genus causæ moralis non potest ratio instrumenti cum ratione causæ principalis moralis in vna, & eadem causæ coincidere. Minor autem loquendo de donis gratiæ, de quibus est eadem ratio, ac de effectibus miraculosis, ut nos fatemur, est expressa D. Thomæ 4. contra Gentes, cap. 74. & in 4. dist. 5. quest. 2. artic. 2. quest. unc. 2. in corpore. Et colligitur ex solut. ad 2. vbi docet, quod orans in oratione est sicut principale agens; Christus autem oratione dona gratiæ hominibus meruit, & consequenter, sicut agens principale.

Deinde probatur: nam Christus, in quantum homo, meruit nobis merito condigno; imò & superabundanti, omnes miraculosos effectus, ut vidimus *disput. 39. num. 5. & sequentibus*, nec à nobis negatur; sed merens, saltem merito condigno, est causa principalis præmij, quod meretur condignè: ergo Christus, ut homo, est causa principalis moralis respectu miraculorum. Probatur minor: intra genus causæ moralis datur causa principalis, ut omnes fatentur; sed huiusmodi principalitas nulli alteri potest melius convenire, quam merito condigno merenti: ergo merens merito condigno, est causa principalis moralis. Secundo: nam causa physica ratione propriæ virtutis continens sufficienter effectum, est causa principalis in genere physico: ergo causa moralis ratione propriæ virtutis sufficienter continens effectum, quem moraliter causat, est causa principalis moralis; sed merens condignè præmij, sufficienter moraliter illud in se continet ratione propriæ virtutis: ergo est causa principalis moralis præmij, quod condignè meretur.

Quod amplius vrget *num. 51.* ex eo namque Sacramenta sunt instrumenta physica, vel moralia gratiæ nos iustificantis; quia illam ratione propriæ virtutis non continent sufficienter, nec physice, nec moraliter; sed Christus, quatenus homo, ratione

propriæ virtutis continet sufficienter moraliter dona gratiæ, & effectus miraculosos: ergo est causa efficiens principalis moralis illorum. Confirmatur, & vrgetur secundo ex Concilio Tridentin. *Sess. 6. decreto de Iustificat. cap. 7.* vbi enumerans causas nostræ iustificationis, docet, causam efficientem esse Deum; causam meritoriam Christum, ut hominem, & instrumentalem Sacramentum Baptismi: ergo ex mente Concilij causa meritoria, ut talis, causa instrumentalis non est; quandoquidem inter causam instrumentalem, & meritoriam distinguens, hanc attribuit Christo, ut homini, & illam Sacramento Baptismi; & consequenter Christus de condigno merens miraculosos effectus, est causa principalis moralis, non autem in hoc genere instrumentalis.

Ad hoc argumentum, ita late propositum, duplicem solutionem adducit Ill. Godoy. Primam tradit *num. 52.* ex doctrina Patris Vazquez. Secundam tradit *num. 55.* ex doctrina ab ipso adducta *disput. 39. num. 13. & seqq.* Vtranque solutionem vsque ad *num. 58.* impugnat. Sed quidquid sit de his solutionibus, de quo non curo, aliter à nobis iuxta dicta *disput. 39. numer. 12. & seqq.* est argumento occurrendum.

Respondeo itaque primò concessa maiori, negando minorem, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: sicut instrumentum physicum dicitur per respectum ad causam physicam principalem, ita instrumentum morale in genere causæ moralis dicitur per comparisonem ad causam principalem moralem concedo maiorem; ita instrumentum morale comparative ad causam physicam principalem dicitur per comparisonem ad causam principalem moralem nego maiorem; & concessa minori distinguo consequens: ergo humanitas in ordine ad miracula non est instrumentum morale in genere causæ moralis concedo consequentiam; comparative ad causam physicam principalem nego consequentiam. Ad secundam probationem distinguo maiorem: instrumentum, quod est eiusdem generis cum causa principali, mediat inter effectum, & causam principalem, in cuius virtute operatur, concedo maiorem; instru-

371

171

Probat. 4.

180

Probat. 4.

172

Confirm. 1.

173

174

Respond. 1.
ad argum.
& ad 1. probat. minor.

Ad 2.

mentum, quod est diversi generis à causa principali, mediat inter effectum, & causam principalem, nego maiorem. Et hoc tantum probant exempla ab Ill. Godoy tradita; nam tam instrumenta artificialia, quam naturalia, sunt eiusdem generis, scilicet, phisici, cum causa principali. Unde omissa minori, distinguo consequens: ergo humanitas Christi, provt moralitèr influit in effectus miraculosos, non influit instrumentalitèr phisicè concedo consequentiam; moralitèr, subdistinguo: in genere causæ moralis concedo consequentiam; comparativè ad causam phisicam principalem nego consequentiam.

Ad primam confirmationem, quæ ad hominem contra Vazquez procedebat, quidquid sit in doctrina illius, respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quam assignavimus *num. antecedent.* inter instrumentum artificiale, & instrumentum morale, non in genere causæ moralis, sed comparativè ad causam phisicam principalem. Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo maiorem: instrumentum, quod est eiusdem generis cum causa principali, agit, vt motum à causa principali, & in virtute illius concedo maiorem; instrumentum, quod est diversi generis à causa principali, agit, vt motum à causa principali, & in virtute illius nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens distinctione data, vel distinctione assignata ad secundam probationem.

Ad tertiam probationem, concessis præmissis, distinguo consequens: ergo Christus, in quantum homo, influit in miracula, vt instrumentum morale in genere moris concedo consequentiam; comparativè ad causam phisicam principalem nego consequentiam. Et hoc est, quod convincit argumentum, vt patet ex præmissis, quibus concessis, vt à nobis conceduntur, superfluum probationes, quas adducit Ill. Godoy *num. 50. & 51.*

Itaque in hoc argumento magnam patitur æquivocationem Ill. Godoy, quia per hoc, quod dicatur, humanitatem Christi esse instrumentum morale miraculorum, intelligit, esse instrumentum morale in genere causæ moralis, quod si ita esset, evidentèr convinceret argumentum. Cæterum,

cum hoc nos non dicamus, nihil valet argumentum, vt constat ex responsionibus assignatis. Vt autem æquivocatio tollatur, recollenda sunt, quæ diximus *disput. preced. num. 11. & seqq.* ex quibus aliqua hic dicemus pro æquivocatione tollenda.

Concedimus itaque, causam moralem principalem non posse esse instrumentum in eodem genere, quia in tali genere non supponit aliam causam principalem, & hoc est, quod vincit argumentum Ill. Godoy. Negamus tamen, quod causa moralis principalis non possit esse instrumentum morale comparativè ad causam phisicam principalem, ob dicta *disput. preced. numer. 12. & 13.* pro cuius veritate stabilienda stat ratio posita *num. 14.* quam hic repetere liceat pro clara argumenti retorsione.

Causa phisica principalis est phisicum instrumentum comparativè ad causam phisicam principalem: ergo multo melius causa moralis principalis potest esse morale instrumentum comparativè ad causam phisicam principalem. Consequentia est manifesta: nam magis repugnat, quod causa principalis in genere phisico sit instrumentalis comparativè ad causam eiusdem generis, scilicet, ad causam phisicam, quam quod causa principalis in genere moris sit instrumentalis comparativè ad causam diversi generis, nempe, ad causam phisicam.

Antecedens autem probatur: causa materialis, & formalis in genere phisico est causa phisica principalis; sed causa materialis, & formalis in genere phisico est phisicum instrumentum comparativè ad causam phisicam efficientem, quæ principalis est: ergo causa phisica principalis est phisicum instrumentum comparativè ad causam phisicam principalem. Maior, & consequentia tenent. Minor probatur: id, quod aliquid phisicè recipiendo, deseruit causæ principali ad assequendum effectum, est causa materialis in genere phisico, & simul phisicum instrumentum comparativè ad causam phisicam efficientem, quæ principalis est: similiter etiam: id, quod per phisicam expulsionem alterius corporis deseruit causæ principali ad assequendum effectum, est causa formalis in genere phisico, & simul phisicum instrumentum com-

178

179
Retorqueo
argum.180
Probatur
anteced.175
Ad 1. confir-
mat.

Ad 2.

176
Ad 3. prob.
minoris.177
Declaratur
æquivoca-
tis argum.

parativè ad causam phisicam efficien-
tem, quæ principalis est; atqui aliqua
sunt, quæ aliquid phisicè recipiendo,
& aliquid phisicè expellendo, deser-
viunt causæ principalis ad assequen-
dum effectum: ergo causa materialis,
& formalis in genere phisico sunt phi-
sicum instrumentum comparativè
ad causam phisicam efficientem.
Consequentia ex præmissis inferitur.
Præmissæ autem sunt probandæ.

181
Probatur
maior.

Probatur itaque maior: nam id,
quod aliquid phisicè recipit, est causa
materialis in genere phisico, & id,
quod phisicè aliud expellit, est causa
formalis in genere phisico; sed si
vnum recipiendo, & aliud expellen-
do, deservunt causæ principalis ad as-
sequendum effectum, vtrumque est
phisicum instrumentum comparati-
vè ad causam phisicam efficientem:
ergo id, quod aliquid phisicè reci-
piendo, deservit causæ principalis ad
assequendum effectum, est causa ma-
terialis in genere phisico, & simul
phisicum instrumentum comparati-
vè ad causam phisicam efficientem.
Consequentia est legitima. Maior est
manifesta: nam id, quod aliquid effi-
cit phisicè, est causa efficiens in ge-
nere phisico: ergo similiter. Minor est
notoria: nam instrumentum est,
quod deservit causæ principalis ad as-
sequendum effectum. Consequentia
legitima apparet.

182
Minor pro-
batur.

Probatur iam minor: nam serra,
recipiendo phisicè motum localem,
deservit ad conficiendam Arcam, de
quo Scotus in 4. dist. 1. quæst. 4. & dist.
13. quæst. 1. Sygillum autem expellen-
do phisicè aliud corpus, attingit for-
mam impressam in cera: ergo aliqua
sunt, quæ aliquid phisicè recipiendo,
& aliquid phisicè expellendo, deser-
viunt causæ principalis ad assequen-
dum effectum. Omitto alia exempla
pro probatione minoris; tum, quia
in phisica videri possunt; tum etiam,
quia hæc est expressa Scoti doctrina
in 4. dist. 1. quæst. 5.

183

Ex his denique habetur: argumen-
tum Ill. Godoy concludere, humani-
tatem Christi, quæ est causa moralis
principalis miraculorum, non posse
esse in genere causæ moralis morale
instrumentum miraculorum, ob ab
ipso dicta in argumento, quod nos
concedimus. Nullatenus verò proba-
re, humanitatem Christi non esse ins-

trumentum morale miraculorum,
comparativè ad causam phisicam
principalem; quia hoc compati opti-
mè valer cum causa morali principa-
li, vt dictum, & ostentum manet. Et
licet aliud non sit pro solutione ar-
gumenti necessarium.

Respondeo secundo ad argumen-
tum, distinguendo maiorem: humani-
tas Christi, vt instrumentum Verbi
latè sumptum, seu in communi mo-
do loquendi, influit in effectus mira-
culosos concedo maiorem; vt instru-
mentum Verbi in rigore acceptum
nego maiorem; distinguoque mino-
rem: sed non vt instrumentum mora-
le in rigore acceptum concedo mi-
nores; latè sumptum, seu in com-
muni modo loquendi nego mino-
rem, & consequentiam, per quod pa-
ter ad probationem maioris; quando
enim Patres humanitatem Christi
vocant organum Divinitatis, quod
idem est, ac instrumentum, accipiunt
instrumentum latè sumptum, seu in
communi modo loquendi; non verò
locuntur de instrumento in rigore
accepto. Et hac brevi solutione ruit
totum argumentum Ill. Godoy.

Declaratur solutio: nam instru-
mentum dividitur in phisicum, &
morale. Phisicum est, quod phisico, &
reali influxu operatur effectum, mo-
tum tamen à causa principali. Dici-
turque per respectum ad causam phi-
sicam principalem, & mediat inter
effectum, & causam principalem. Mo-
rale subdividitur in instrumentum
morale in rigore acceptum, & latè
sumptum, seu in communi modo lo-
quendi. Instrumentum morale strictè
acceptum est, quod operatur effec-
tum, movendo, & excitando alium, vt
illum phisicè operetur, diciturque
per respectum ad causam principalem
moralem, & mediat inter effectum, &
causam principalem moralem. Instru-
mentum morale latè acceptum, seu
in communi modo loquendi, est,
quod operatur effectum, excitando
alium, vt illum phisicè operetur, quin
dicatur per respectum ad causam
principalem moralem, & quin me-
diat inter effectum, & causam princi-
palem phisicam.

Instrumentum morale sic latè
sumptum, seu in communi modo lo-
quendi, dicitur tale per respectum ad
causam phisicam principalem, etiam

184

Respond. 2.
ad argum.

185

Declaratur
solutio.

Instrumen-
tum dividi-
tur in phis-
icum, & mo-
rale, & quid
sunt.

Subdivisio
instrumenti
moralis.

186

Instrumen-
tum morale

latè sumptum declaratur.

si sit causa moralis principalis ; nam cum causa moralis etiam principalis causet per modum impetrantis effectum à causa phisica principali, dici potest morale instrumentum, quo causa phisica principalis utitur ad effectus phisicè causandos ; hac enim ratione causa moralis etiam principalis dicitur instrumentalis respectu phisicæ, quatenus causa phisica per tale medium impetratorium, ut per instrumentum, dicitur operari, & in hoc sensu humanitatem Christi appellant Patres organum, seu instrumentum Divinitatis, per quod sufficienter manet explicata solutio, quin obstant probationes minoris.

187

Respondet ad 1. prob.

Ad primam namquè probationem (in solutione data nitendo) respondeo distinguendo maiorem: sicut instrumentum phisicum dicitur per respectum ad causam phisicam principalem, ita instrumentum morale strictè sumptum, dicitur per comparisonem ad causam principalem moralem concedo maiorem ; ita instrumentum morale latè, seu in communi modo loquendi, nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens : ergo humanitas in ordine ad miracula non est instrumentum morale strictè acceptum concedo consequentiam; latè sumptum, seu in communi modo loquendi nego consequentiam. Ad secundam probationem distinguo maiorem: instrumentum in rigore sumptum mediat inter effectum, & causam principalem concedo maiorem ; largè acceptum, seu in communi modo loquendi nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione data.

Ad 2.

188

Ad 1. confirmat.

Ad primam confirmationem (quidquid sit de doctrina Vazquez) distinguo consequens : ergo non salvatur ratio instrumenti moralis strictè accepti, nisi mediet inter effectum, & causam principalem concedo consequentiam; largè sumpti, seu in communi modo loquendi, nego consequentiam. Ad secundam confirmationem distinguo maiorem : instrumentum strictè sumptum agit, ut motum à causa principali, & in virtute illius concedo maiorem ; instrumentum latè acceptum, seu in communi modo loquendi nego maiorem; & concessa minori, distinguo similiter consequens. Ad tertiam de-

Ad 2.

Ad 3. pro minoris.

niquè distinguo maiorem : idem secundum eandem rationem non potest esse causa efficiens principalis moralis, & in eodem genere instrumentalis strictè accepta concedo maiorem ; largè sumpta, seu in communi modo loquendi nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione data. Solutio satis apparet ex dictis numer. 185. & 186. quin verbum contra hoc adducat Ill. Godoy.

Soluto iam duplici allata responsione hoc argumento Ill. Godoy, refutat nunc retorsiones in ipsum facere. Retorqueo itaque primo ad litteram argumentum transcribendo : humanitas Christi, ut instrumentum Verbi, influit in effectus miraculosos ; sed non ut instrumentum morale : ergo ut instrumentum phisicum. Consequentia tenet ; non enim datur medium inter instrumentum phisicum, & morale : ergo si humanitas Christi est instrumentum respectu miraculorum, & non est instrumentum morale, erit necessario instrumentum phisicum. Maior est expressa D. Thomæ in presenti artic. 2. & pluribus alijs in locis, & videtur non obscure colligi ex communi Patrum locutione, nempe, humanitatem Christi esse organum Divinitatis in ordine ad dona gratiæ, quæ hominibus Divina largitate tribuuntur ; esse namquè organum Divinitatis, si propriè accipiatur, ut debet, denotat, esse instrumentum in ordine ad illa dona, cumque eadem ratio sit respectu miraculorum, asserendum est, etiam in ordine ad illa fuisse humanitatem Christi instrumentum. Minorem probat numer. 45. & sequentibus.

Infero nunc contra ipsum : ergo humanitas Christi, ut instrumentum phisicum Verbi, influit in gratiam, & Redemptionem hominum, Incarnationem precedentium, quod est contra Ill. Godoy num. 206. Probat hęc consequentia : humanitas Christi, ut instrumentum Verbi, influit in gratiam, & Redemptionem hominum, Incarnationem precedentium ; sed non ut instrumentum morale : ergo ut instrumentum phisicum. Consequentia tenet ; non enim iuxta Ill. Godoy datur medium inter instrumentum phisicum, & morale : ergo si humanitas Christi est instrumentum

189

Retorq. 1. argum. ad hom. contra Ill. Godoy.

190

respectu gratiæ, & Redemptionis hominum, Incarnationem præcedentium, & non est instrumentum morale, erit necessario instrumentum phisicum. Maior patet: alioquin humanitas Christi non esset organum Divinitatis in ordine ad dona gratiæ, quæ hominibus Divina largitate tribuuntur, vel esse organum Divinitatis non denotaret, esse instrumentum in ordine ad illa dona, quorum vtrumque est contra ipsum in argumento, quod contra nos facit. Minor autem, ad quam tota difficultas reducitur, ostenditur eisdem probationibus, & confirmationibus, quibus minorem probat Ill. Godoy contra nos, & relatæ manent *num. 167. & seqq.*

191
Retorq. 2.
etiam ad
homin.

Retorqueo secundo argumentum, ad hominem etiam contra Ill. Godoy: humanitas Christi, vt instrumentum Verbi, influit in dona gratiæ; sed non vt instrumentum morale: ergo vt instrumentum phisicum. Totum est Ill. Godoy. Sussumo: atqui creatio est donum gratiæ: ergo humanitas Christi, vt instrumentum phisicum Verbi, influit in creationem. Sussumpta est notoria, & consequentia legitima. Tunc sic; sed hoc est contra D. Thom. 1. part. *quest. 45. artic. 5.* vt fatetur Ill. Godoy *numer. 101*: ergo contra ipsum est argumentum, quod contra nos facit.

192
Dices cum
Ill. Godoy.

Nec valet, si dicat Ill. Godoy, quod dicit *numer. 107.* scilicet, D. Thomam intelligendum esse de omnibus, quæ possunt supernaturaliter fieri circa creaturas existentes; non autem de omnibus absolute, vt ipse clarè docuit in *presenti artic. 2.* vbi ait: potuisse animam Christi, vt instrumentum Verbi, in illas miraculosas immutationes, quæ ad finem Redemptionis conducunt, non tamen in omnes posibles: non enim potuit etiam, vt instrumentum Verbi, ad anihilationem concurrere. Non, inquam, valet: nam Div. Thom. *cit. at.* solum negat: humanitatem Christi, vt phisicum instrumentum Verbi, ad anihilationem, & ad creationem concurrere posse; non autem, quod non sit instrumentum morale, vt patet ex ipso Ill. Godoy *numer. 107. citat.* dicente: *Quod autem etiam loco in argumento adducto de phisica virtute loquatur, patet ex proxime dictis: docet namque virtutem miraculorum, posse per modum*

transeuntis, non autem permanentèr creatura communicari; at virtus moralitèr solum concurrens, non est undè repugnet communicari permanentèr creaturæ: ergo non loquitur de virtute moralitèr, sed phisicè effectiva miraculorum. Nulla ergo est solutio.

Deniquè vtramque retorsionem alitèr formo: humanitas Christi, vt instrumentum Verbi, influit in gratiam, & Redemptionem hominum, Incarnationem præcedentium, & in creationem: ergo vel vt instrumentum phisicum, vel morale. Consequentia tenet, vt enim ait Ill. Godoy, non datur medium inter instrumentum phisicum, & morale. Antecedens est certum: nam gratia, Redemptio, & creatio, sunt dona gratiæ, in ordine ad quæ humanitas Christi est organum Divinitatis, & consequentèr instrumentum, iuxta ipsum in argumento. Sussumo nunc: atqui vtrumque est contra Ill. Godoy: ergo nihil contra nos valet illius argumentum. Probatur minor: humanitas Christi non est phisicum instrumentum gratiæ, & Redemptionis hominum, Incarnationem præcedentium, vt habet *num. 206.* nec creationis, vt habet *numer. 107.* atqui nec est instrumentum morale: ergo vtrumque est contra Ill. Godoy. Minor probatur eisdem probationibus, & confirmationibus, quibus minorem suæ probationis ostendit contra nos, & relatæ manent *numer. 167. & seqq.*

§. IX.

Solvitur vltimum argumentum

Ill. Godoy.

193
Alitèr formo vtramq
retorsionem

Arguit deniquè Ill. Godoy *numer. 59*: Christo, vt homini, de facto attribuenda est omnis dignitas, & perfectio non implicans, aut cum statu Redemptionis non pugnans, nisi oppositum sit revelatum; sed virtus effectiva instrumentalitèr phisicè miraculorum, est dignitas, & perfectio non implicans, nec statui Redemptionis pugnans, nec ab illo per revelationem exclusa: ergo est Christo, vt homini, de facto attribuenda; & consequentèr phisicè, vt homo, in miracula influxit, influxu phisico instrumentali.

Ad hoc argumentum respondet Amicus *disput. 22. num. 34.* & partim cum ipso *Mastrius disput. 2. quest. 8.*

194
Arguit de-
niquè.

195
Aliquorum
solutio.

numer. 191. distinguendo maiorem, illam concedendo de dignitate, & perfectione, non involuente imperfectionem in modo operandi; illam tamen negando de dignitate, & perfectione, involuente imperfectionem in modo operandi. Concurfus autem phisicus in instrumentalis in actionem miraculosam importat ex parte rei assumptæ imperfectionem in modo operandi. Imperfectio est, quod non operetur connaturaliter per intrinsecum principium completum operandi; sed per extrinsecum dumtaxat principium assistens, elevans, & complens extrinsecè tantum ad effectus, naturam excedentes.

196
Solutio parificatur.

Quod dupliciter parificat: ideo enim non conceditur Christo fides, quia hæc in modo operandi imperfectionem importat. Secundo: nam ideo non conceditur humanitati Christi actus supernaturalis, quo omnes habitus infusos sibi promeruerit, quia talis actus non fuisset elicitus connaturaliter à principio intrinseco supernaturaliter completo. Cum ergo concurfus phisicus instrumentalis in effectus miraculosos importet imperfectionem in modo operandi, scilicet, inconnaturalitatem, à Christo est relegandus.

197
Solutio extenso.

Addit etiam Amicus citat. quod concurfus phisicus instrumentalis in effectus miraculosos importat innaturalitatem ex parte effectus producendi. Innaturalitas est: nam omnis effectus miraculosus sua natura postulat fieri à Deo, vt à propria causa: ergo hoc ipso, quod fieret media causa extranea, innaturaliter fieret. Sicut quia risibilitas sua natura postulat produci ab homine; vt proprietates à suo connaturali principio, hoc ipso, quod produceretur media alia causa, innaturaliter produceretur, cum vnusquisque effectus, cum sit quædam suæ causæ proprietates, naturaliter postulet fieri à sua propria causa.

198
Impugnat solutionem Ill. Godoy.

Hanc solutionem prævidit Ill. Godoy, ipsamque impugnat num. 62: dignitas namque, & perfectio positiva propter solam negativam imperfectionem, quæ in eius convenientia invenitur, humanitati Christi neganda non est; sed phisicè instrumentaliter influere in effectus miraculosos, dignitas est, & positiva perfectio, inconnaturaliter autem influere, solum est imperfectio negativa: ergo excludendus non est ab humanitate Christi phisicus in miracula influxus, eo, quod in illa inconnaturaliter influat. Consequentia est bona. Minor constat: nam carentia perfectionis repugnantis, solum est negativa imperfectio; at connaturaliter in miracula influere, est perfectio repugnans creaturæ; aliàs non negaretur humanitati Christi: ergo inconnaturalitas influxus in miraculosos effectus est tantum negativa imperfectio. Maior autem non minus aperta videtur: nam in Christo, vt homine, plures admittuntur negativæ imperfectiones: nam habitus virtutum in ipso non sunt in summo intensiōis gradu possibili de potentia absoluta; & consequenter sunt negativè imperfecti, caruit etiam comprehensione Dei per intellectum creatum, quæ carentia etiam est imperfectio negativa: ergo positiva dignitas, seu positiva perfectio non est ab humanitate Christi excludenda ob solam negativam imperfectionem, quæ in eius convenientia invenitur.

Et ex his (ait Ill. Godoy num. 63.) constat disparitas ad paritatem secundam: nam actus supernaturales, vt connaturaliter eliciantur, petunt à principio permanente procedere, vt tract. de Gratia Christi, disp. 23. docuit, & probavit; ac proinde illos elicere media qualitate fluida est inconnaturalitas, imperfectionem privativam importans, ideoque humanitati Christi negandum; influxus autem phisicus in effectus miraculosos non petit à creatura procedere media qualitate permanente, elevante: imò, quod ab illa procedat, repugnat; si namque non repugnaret, sic deberet ab humanitate Christi procedere, & idcirco inconnaturaliter in miracula influere, non est privativa, sed tantum negativa imperfectio, ob quam vitandam, non debet positiva dignitas, & perfectio, quæ in tali influxu invenitur, humanitati Christi negari.

Ex quibus sic argumentum roborat: si actibus honestis ordinis supernaturalis repugnaret procedere à gratia inhaerente, permanente, aut transiente: non ideo relegandi essent ab humanitate Christi; & tamen tali repugnantia supposita, non elicerentur ab illa connaturaliter, sed per auxili-

199
Respondet ad 2. paritatem.

200
Roborat argumentum.

lium extrinsecum: ergo pariter: quamvis effectibus miraculosis repugnet a principio iatriaseco permanente procedere, & ideo non possit ab humanitate causari, ut a principio connaturaliter influente, non ideo negandum est instrumentaliter ab illa causari. Patet consequentia: primum namque ideo contingeret, quia elicere actus supernaturales, perfectio, & dignitas est, illos autem non elicere ratione principij permanentis, esset tantum negativa imperfectio; sed id ipsum contingit in influxu physico instrumentali respectu miraculorum: ergo est humanitati Christi attribuendus.

201
Argument.
confirmat.

Explicat, & vrget *num. 65*: etenim Authores docentes, effectus miraculosos ab humanitate Christi causari per potentiam activam obedientialem, adiutam auxilio tantum extrinsecum, id asserunt, quia censent implicatoriam qualitatem supernaturalem, etiam transeuntem, quæ sit virtus ut quo, respectu talium effectuum; & qui docent, ab humanitate causari, media motione intrinseca, aut qualitate facile transeunte, non autem media qualitate supernaturali permanente, id docent, quia censent implicatoriam huiusmodi qualitatem, quod si huiusmodi qualitates implicatoriam non sint, absque fundamento negabitur, illis humanitatem Christi elevari; sed inconnaturalitas consistens in negatione concursus per qualitatem repugnantem respectu alicuius effectus, solum est negativa imperfectio: ergo ratione talis inconnaturalitatis, negandus non est humanitati Christi influxus physico instrumentalis in effectus miraculosos.

202
Impugnatio
Ill. God. inf-
tatur cõtra
ipsum.

Hæc tamen Ill. Godoy impugnatio rejici, & instari potest paritate fidei: dignitas namque, & perfectio positiva propter solam negativam imperfectionem, quæ in eius convenientia invenitur; humanitati Christi neganda non est; sed habitus fidei dignitas est, & positiva perfectio, obscure autem cognoscere, solum est imperfectio negativa: ergo excludendus non est a Christo Domino habitus fidei, eo, quod per illum Deum obscure cognosceret, quod est contra Ill. Godoy *tom. præced. disp. 24*. Consequentia est bona. Minor constat: nam carentia perfectionis repugnantis solum est negativa imperfec-

tiõ; at Deum obscure cognoscere est perfectio repugnans Christo; alias non negaretur Christo, ut fatetur ipse *citatur*: ergo obscure cognoscere est tantum negativa imperfectio. Maior autem non minus aperta videtur: nam in Christo, ut homine, plures admittuntur negativæ imperfectiones: nam habitus virtutum in ipso non sunt in summo intensiõis gradu possibili de potentia absoluta; & consequenter sunt negativè imperfecti, caruit etiam comprehensione Dei per intellectum creatum, quæ carentia etiam est imperfectio negativa: ergo positiva dignitas, seu positiva perfectio non est ab humanitate Christi excludenda ob solam negativam imperfectionem, quæ in eius convenientia invenitur.

Hæc tamen solutione in sua probabilitate relicta, respondeo primò ad argumentum, distinguendo maiorem: Christo, ut homini, attribuenda est omnis dignitas, quæ dignitas Christi sit concedo maiorem; quæ dignitas Christi non sit nego maiorem; distinguo minorem: sed virtus effectiva instrumentalis physice miraculorum secundum se, seu præcisè sumpta, est dignitas omni minorem; contracta, seu determinata ad Christum nego minorem, & consequentiam. Solutio patet ex dictis *num. 37. cum sequentibus*, ubi latè ostendimus: virtutem physicam instrumentalem miraculorum non esse dignitatem in Christo.

Hanc solutionem rejicit Ill. Godoy *num. 66*. quadrupliciter. Primò: nam influere physice in effectus miraculosos, aliqua perfectio est: ergo etiam est aliqua dignitas. Secundo: nam sublimitas Verbi potuit cum natura irrationali uniri in communi Theologorum sententia; & tamen quod humanitas Christi ei fuerit unita, dignitas maxima est: ergo ex eo, quod influxus physico instrumentalis in effectus miraculosos possit naturæ irrationali competere, non probatur, dignitatem non esse in humanitate Christi. Tertio: nam Ministrum Sacramenti in illius effectum influere, dignitas est, & talis censetur ab omnibus; & tamen talis influxus potest a Ministro peccato infecto exerceri: ergo quod influxus physico instrumentalis convenire possit creaturæ peccato infec-

203
Prima ve-
ra solutio
argum.

204
Reijcit so-
lutionem
Ill. Godoy.

Primò.
Secundò.

Tertio.

Quartò.

tæ, non probat dignitatem non esse. Quartò: nam quod Sacramenta novæ legis phisicè, aut moralitèr, vel utroque modo, in gratiam iustificantem influant, dignitas illorum præ Sacramentis antiquis censetur ab omnibus Theologis; & tamen uterque influxus, tam phisicus, quam moralis, potest creaturæ irrationali competere, & de facto convenit aquæ in Baptismo, quæ irrationalis est, & ut instrumentum phisicum, vel morale, vel utroque modo, influit in gratiam regenerantem: ergo ex eo, quod influxus phisicus instrumentalis in miraculosos effectus possit convenire irrationali creaturæ, non probatur, dignitatem non esse.

205
Respond. I.
ad I.

Hæc tamen non obstant. Ad primum namquè respondeo primò distinguendo antecedens: influere phisicè in effectus miraculosos, præcisivè, seu secundum se, aliqua perfectio est omitto antecedens; contractum, seu determinatum ad Christum nego antecedens, & distinguo similiter consequens. Respondeo secundò: omisso antecedenti, negando consequentiam: non enim valet: *Est perfectio: ergo est dignitas*; cuius ratio evidens est: nam dignitas ex nominis significatione addit supra perfectionem, excessum, superioritatem, & excellentiam, ut diximus, & probavimus *num. 38. & 39.*

206
Ad 2.

Ad secundum respondeo negando suppositum consequentis; supponit namquè: nos probare, quod influxus phisicus instrumentalis in effectus miraculosos non sit dignitas in Christo, ex eo, quod possit tantum naturæ irrationali competere, quod est omnino falsum; nam ex eo, quod talis influxus possit naturæ irrationali competere, probamus: non esse Christi dignitatem, posse influere phisicè instrumentalitèr in miraculosos effectus. Et ex eo, quod talis influxus conveniat de facto naturæ irrationali, probamus: non esse Christi dignitatem, influere phisicè instrumentalitèr in illos, ut claret ex dictis *numer. 40. 41. & sequentibus.*

207
Replica Ill.
Godoy non
est iuxta
leges bonæ
argumentationis.

Vndè, ut replica Ill. Godoy esset iuxta leges bonæ argumentationis, sic debebat formari: subsistentia Verbi potuit cum natura irrationali uniri; & tamen quod humanitas Christi potuerit uniri cum illa, dignitas maxima est: ergo ex eo, quod influxus

phisicus instrumentalis in effectus miraculosos possit naturæ irrationali competere, non probatur, dignitatem non esse in humanitate Christi, posse influere phisicè instrumentalitèr in illos. Sic enim formata replica, procederet de potentia ad potentiam, quod est bona argumentatio; modo autem, quo ab Ill. Godoy formatur, procedit de potentia ad actum; nam maior est de possibili, & minor est de facto, ex quibus consequentia est de potentia ad actum, quod bona argumentatio non est, ut docet Dialectici.

Si autem replica facta esset, vel formata iuxta regulas bonæ argumentationis, ut nos formavimus, tunc ad replicam responsio erat negando minorem; quia dignitas Christi non est, quod illius humanitas possit uniri cum subsistentia Verbi, quia hæc potentia ita æqualitèr, ac humanitati Christi, convenit omnibus creaturis, & consequentèr hæc potentia non dicit in humanitate Christi excessum, & superioritatem ad cæteras creaturas, ut dictum est *numer. 40.* & in quo sita est ratio dignitatis ex dictis *num. 38. & 39.*

Ex his enim retorqueo argumentum contra Ill. Godoy: quod Subsistentiæ Verbi fuerit unita humanitas Christi, dignitas maxima est: ergo quod humanitas Christi phisicè instrumentalitèr influat in effectus miraculosos, dignitas nulla est. Probatur consequentia: ideò, quod Subsistentiæ Verbi fuerit unita humanitas Christi, dignitas maxima est, quia nullæ alteræ creaturæ de facto unita est Subsistentia Verbi; atqui plures aliæ creaturæ, etiam irrationales, & insensibiles, phisicè instrumentalitèr influant in effectus miraculosos: ergo quod humanitas Christi phisicè instrumentalitèr influat in effectus miraculosos, nulla dignitas est. Maior est manifesta; non enim alia ratio assignari potest, ut humanitas Christi ratione unionis hypostaticæ dicat excessum, & superioritatem ad omnes alias creaturas, in quo, ut dictum est, dignitas statueda est. Minor probata manet *num. 42.* illamque fatetur Ill. Godoy *num. 66.* Accedunt etiam retorsiones plures, quæ fieri possunt ex dictis *numer. 43. & sequentibus.*

Ad tertium respondeo, concessis præmissis, distinguendo consequens:

208

Replica bene formata respondetur.

209

Retorqueo contra Ill. Godoy.

210

Ad 3.

ergo

ergo quod influxus phisicus instrumentalis convenire possit creaturae, peccato infectae, non probat dignitatem non esse in Ministro Sacramenti concedo consequentiam; in Christo nego consequentiam. Disparitas est: nam Ministrum Sacramenti in illius effectum alium influxum non habet præter instrumentalem moralem, vel phisicum; at Christus, vt homo, habet influxum moralem principalem, condignè meritorium per modum Imperij omnium miraculorum, qui modus operandi miracula longè perfectior est, quam modus illa phisicè instrumentalitèr operandi, in illoque consistit tota dignitas humanitatis Christi in ordine ad miracula patranda, vt diximus num. 47. Et per hoc patet ad quartum.

Ad 4.

211

Secunda
Solutio vera

Respondeo secundò ad prædictum argumentum, concessa maiori, negando minorem; quia virtus effectiva instrumentalitèr phisicè miraculorum, tam longè abest, vt sit dignitas

Christi, quod illi affert indignitatem, & indecentiam. Ex quo potest sic maior distingui: Christo, vt homini, de facto attribuenda est omnis dignitas, non inferens in illo indignitatem, & indecentiam concedo maiorem; inferens in illo indecentiam, & indignitatem nego maiorem; distingo similiter minorem, & nego consequentiam; quia semel supposita in Christo, vt homine, virtute morali principali, condignè meritoria per modum Imperij omnium miraculorum, quæ possunt à Deo fieri, indecentiam, & indignitatem affert Christo virtus effectiva phisica instrumentalis ad miracula patranda, vt diximus, & probavimus num. 33. & 34. ex quo potest argumentum retorqueri, simul cum ratione, quam ad hominem contra Ill. Godoy declaravimus num. 35. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri, vbi duæ præcedentes.

Retorque.

TRACTATUS UNDECIMUS.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI, ET
illius morali perfectione.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA.

An Christus de potentia absoluta peccare potuerit, aut esse
in peccato?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1
Christum
nunquam
peccasse de
facto, est
veritas si-
dei.

Christum nunquam de facto peccasse, nec in peccato fuisse, veritas catholica est, & in primis de peccato actuali constat ex illo Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et 1. Petri cap. 2. illis verbis: *Qui (scilicet Christus) peccatum non*

fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Ex quibus testimonijs habetur, Christum in se nullum admisisse actuale peccatum. Hinc Sponsa Canticorum. 5. de Sponso loquens, aiebat: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Quæ verba Ricardus Victo-

ri-

rinus, & alij, quos refert Ill. Araujo *ubi infra*, interpretantur de Christo, & candidus appellatur, quia innocens, & electus ex millibus, quia solus fuit sine dolo peccati inventus, iuxta illud Petri iam relatū, quod est etiā Isaie *cap. 53*. Quod etiā diffinitū fuisse à Damasco *Epist. 1*. quę est ad Paulū in professione fidei, refert Vazq. *ubi infra*.

2
Non contra
xis peccatū
originale.

Deindē de peccato originali constat ex illis verbis Lucę 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Quę verba accipienda esse de nativitate in vtero, qua primo humanitas fuit formata, & personę Verbi vnita: patet primò ex alijs verbis Angeli ad Sanctum Iosephum: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Etenim de eadem nativitate vtrobiq̄ fit sermo; hęc autem verba accipiuntur de nativitate in vtero: ergo etiam verba priora. Secundò: nam Angelus eo tendebat, vt Mariam non amittendę Virginitatis redderet certam, & Iosephum securum illius integritatis; sed neutrum consequeretur, loquendo de nativitate ex vtero; nam Baptista ex vtero natus fuit Sanctus, & non idē illius Mater ipsum sine corruptione concepit: vt ergo Angelus Mariam redderet de Virginitate in Christi conceptione conservanda securam, & S. Iosephum de integritate non amissa certiore, oportuit, vt loqueretur de nativitate in vtero, & non solum de nativitate ex vtero.

3
Nullum omnino peccatum commisit.

Et de quovis genere peccati patet ex D. Paulo ad Hebręos 4. vbi de Christo loquens, sic ait: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Et *cap. 7*. ibi: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, Impolutus, Segregatus à peccatoribus, &c.* Quibus in locis, & passim alibi, omne genus peccati removetur à Christo; quod insuper probatur ratione Div. Thomę *quęst. 15. artic. 1*. Christus namquē nostros defectus assumpsit ex fine satisfaciendi pro nobis, & vt veritatem humanę naturę ostenderet; ac deniquē, vt nobis virtutis exemplum daret; sed ad nihil horum potest peccatum conducere: ergo nullum assumpsit peccatum. Maior cum consequentia tenet. Minor autem per singulas partes probatur: peccatum namquē non potest ad

satisfactionem conducere; cum potius satisfactionis virtutem impediatur; nec ex illo demonstratur veritas humanę naturę, non enim est naturę humanę conformis, sed potius contra eius inclinationem; ac deniquē nequit esse virtutis exemplum, cum potius virtuti contrarietur: ergo peccatum conducere non potest ad illos fines, propter quos Christus nostros defectus assumpsit.

Secundò certum est apud omnes non potuisse Christum de lege ordinaria peccare. Quod patet primò: id namquē est de lege ordinaria, vel ordinata, possibile, quod Deus statuit aliquando efficere, vel permittere; at Deus non statuit, aliquando permittere peccatum in Christo, sed potius oppositum; aliās aliquando peccasset, quod est contra fidem: ergo Christum peccare non est de lege ordinaria, vel ordinata, possibile. Secundò: nam Christus fuit beatus ab instanti Conceptionis, & carentia beatitudinis non fuit de lege ordinaria possibilis; sed cum beatitudine non potest vllum peccatum componi: ergo peccatum non fuit Christo de lege ordinaria possibile.

Deniquē: nam cum gratię plenitudine nullum peccatum componitur; sed Christus fuit gratia plenus ab instanti Conceptionis, iuxta illud Ioannis 1. *Plenum gratię, & veritatis*, nec de lege ordinaria potuit plenitudine gratię carere; cum illius animę debita sit omnis gratię plenitudo propter coniunctionem ad Verbum: ergo hac potentia inspecta, non potuit vllum peccatum admittere.

Supposita igitur catholica sententia docente: Christum nunquam peccasse, nec de lege ordinaria peccare potuisse, sub alijs terminis ab Scotistis hęc difficultas proponitur, scilicet, *An causa impeccabilitatis Christi sit gratia, an gloria, vel potius vnio hypostatica, vel omnia hæc simul?* Vndē disidium non est de re; ab omnibus namquē supponitur Christi impeccabilitas; sed tantum est in assignanda causa, & radice huius impeccabilitatis. Vndē iuxta hunc modum proponendi difficultatem, sensus illius est: quęnam sit causa impeccabilitatis Christi? In qua duplex ē regione versatur sententia.

Prima est Thomistarum omnium, pro radice impeccabilitatis Christi

4
Christum
de lege or-
dinaria, pec-
care nõ po-
tuisse, pro-
batur.

Primò.

Secundò.

5
Tertiò.

6
Sub alijs
terminis
proponitur
difficultas.

7
1. Sententia.

Thomistæ
omnes.

utramque assignantium unionem, sed præcipuè hypostaticam, ad quam, dicunt, ita necessario consequi gratiam, & gloriam, ut non potuerit Deus, etiam de potentia absoluta, stante tali unionem, ea illi denegare; unde deducunt, esse, simpliciter, & absolute loquendo, impossibilem unionem hypostaticam cum aliquo peccato, ac etiam proxima peccandi potentia, & hanc proinde esse præcipuam radicem impeccabilitatis Christi.

8

2. Sententia.

Scotus.

Secunda sententia, & primæ contradictoriè opposita, est Scoti, qui in 3. dist. 2. quest. 1. & dist. 12. quest. 1. Impeccabilitatem Christi refert in gloriam, qua beati de lege ordinaria sunt impeccabiles; quod in 4. dist. 49. quest. 6. refert in Divinam præventionem, qua ab omni peccato præservantur. Secundò refert in gratiæ plenitudinem, qua Christus confirmatus est, ne omninò peccaret. Nec refert causam in unionem hypostaticam, nisi ut in rationem de congruo, propter quam gratiæ, & gloriæ plenitudo deberetur Christo; unde consequenter adstruit de potentia absoluta potuisse Verbum assumere naturam humanam absque eo, quod concederet summam fruitionem, & illam in puris naturalibus relinquere, etiam cum concursu ad utrumlibet parato, & consequenter cum potentia proxima ad peccandum, quæ adhuc exire posset in actum peccaminosum.

9

Div. Thom.
cum Scoto
convenit.

Nec parum est, quod D. Thomàs in hoc cum Scoto conveniat, ut convenire videtur; nam 3. part. quest. 15. artic. 1. reddens rationem, propter quam necessario debemus ponere gratiam in Christo, ait: quod est ipsa unio ad Verbum: deinde reddens rationem huius necessitatis, inquit: quanto aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis participat de influentia ipsius, influxus autem gratiæ est à Deo, & ideo maximè conveniens fuit, ut anima illa reciperet influxum Dei gratiæ. Ecce D. Thom. dicit, quod fuit conveniens, ut anima Christi reciperet influxum gratiæ; non verò ait, quod fuerit simpliciter, & absolute necessarium, ita, quod implicaret contradictionem, illam naturam unitam non habere gratiam. Similiter D. Thom.: ergo natura humana fuit impeccabilis ex debito congruentiæ de factò, &

de potentia ordinaria, non de potentia absoluta Dei, quia aliquando illam assignasset, & dixisset, impossibile fuisse, animam illam unitam non habere gratiam.

Præterea D. Thomàs in 3. Sentent. dist. 12. quest. 2. artic. 1. ubi dicit, quod Christus, ut viator, non potuit peccare, non assignat pro causa unionem hypostaticam, sed quia voluntas humana Christi non potuit velle peccatum, non potuit autem velle, ait ipse, quia habuit tantam plenitudinem gratiæ, ut peccare non potuerit, unde habet ibi hæc verba, ut refert Capreolus: Tamen sub conditione potest concedi, quod Christus potuit peccare, scilicet, si voluisset, quamvis hoc antecedens sit impossibile, quia ad veritatem conditionalis non requiritur, neque veritas antecedentis, neque veritas consequentis, sed necessaria habitudo unius ad alteram. Concedit ergo D. Thomàs, quod si voluntas humana Christi voluisset peccare, potuisset, sed non potuit velle, non potuit autem, quia erat plena gratia, & propter directionem Divinæ voluntatis, at plenitudo gratiæ, & directio Divinæ voluntatis non pertinent ad unionem hypostaticam, sed subsequuntur: ergo ex vi unionis hypostaticæ præcisè non erat impeccabilis Christus, secundum quod homo.

Iuxta modum autem, quo proposita est disputatio, sensus difficultatis (ait Ill. God num. 20.) est: an casu, in quo Verbum humanitatem assumeret sine aliquo dono gratiæ, præter gratiam substantialem unionis, posset illius humanitas esse in peccato habituali, vel actuale peccatum committere in sensu composito unionis, hoc est, peccato cum unione composito, vel in sensu diviso, divisione sumpta positivè, hoc est, unione per peccatum destructa, vel præcisivè, hoc est, à peccato, ut terminante potentiam antecedentem unione præcisà, ad modum, quo homo iustus potest peccare, non peccato cum gratia composito, sed gratia per peccatum destructa, & homo physice præmotus ad actum, habet potentiam antecedentem ad illius negationem, non ut coniungendam cum physica præmotione, nec præmotione per actum destructa, sed ad negationem actus secundum se præcisivè à physica præmotione?

Qua in re duplex etiam opposita

10

11

12

1. Sententia.
Ill. Godoy.

versatur sententia. Prima defendit: in eo casu humanitatem Verbo unitam non posse etiam de potentia Dei absoluta esse in peccato habituali, nec actuale committere, nedum in sensu composito, nimirum, unione cum peccato retenta, sed nec etiam in sensu diviso, unione per peccatum destructa. Sic Ill. Godoy *num. 23.* cum omnibus Antiquioribus, & Recentioribus, quos ibi citat.

13

2. Sententia:

Scotus.

Secunda sententia, & verior, docet: posse humanitatem Christi de potentia Dei absoluta esse in peccato habituali, & actuale committere in sensu composito unionis, non solum cum potentia ad peccandum, sed etiam cum actuali peccato, unione non dissoluta, sed cum peccato retenta; consequenterque multo melius in sensu diviso, unione per peccatum destructa. Sic Scotus expressè in 3. dist. 2. quest. 1. §. ad argumenta principalia, & dist. 12. quest. 1. Hæc est sententia tuenda ordine ab Ill. Godoy in illa servato. Advertendo tamen, quod prima, secunda, & tertia conclusio, posita ab ipso, non est punctus huius controversiæ præcipuus, quia controversia præcipua non est de compossibilitate peccati cum hypostatice unione, sed de potentia proxima peccandi. Unde disputatio melius ab Scotis, quam ab Ill. Godoy proponitur.

§. II.

De peccato habituali gravi.

14

1. Conclus.

1. Pars probatur 1.

Sit prima conclusio: Peccatum grave habituale non pugnat cum unione hypostatice, ab omni dono accidentali præcissa, nedum ex natura rei, verum nec de potentia absoluta. Conclusio est contra Ill. Godoy *num. 24.* & pro prima parte suaderetur primò per oppositum ad fundamentum illius: gratia namque habitualis ex natura rei non pugnat cum peccato habituali gravi: ergo multo minus gratia substantialis unionis, quæ formaliter non sanctificat ex dictis *tom. præced. disput. 21.* Antecedens autem, cuius contradictorium est fundamentum Ill. Godoy, expressè docet Scotus in 1. dist. 17. in solutione questionis primæ. Et in 2. dist. 28. & 35. quest. 1. Et in 4. dist. 1. quest. 1. artic. 5. & quest. 6. Et dist. 14. quest. 2. ab initio. Et dist. 16. & alibi frequenter, ubi docet: gratiam, & peccatum,

non opponi physicè, & ex natura rei, sed demeritorie solum, & oppositione morali, seu ex ordinatione Divina. Quam opinionem secuntur omnes illi, qui dicunt: Iustificationem non esse effectum physicum gratiæ, & ex natura rei, sed moralem duntaxat, & ex ordinatione Divina.

Ultrà quod tamen probatur antecedens: si gratia, & peccatum ex natura rei pugnant, maximè ratione effectuum, quos causant; scilicet, reddendo hominem iustum, vel iniustum, Amicum Deo, vel inimicum, dignum gloria, vel indignum; sed hos effectus, & similes non causant gratia, & peccatum ex natura rei, sed solum moraliter, & dependentè à lege Dei, ac ordinatione Divina: ergo gratia habitualis ex natura rei non pugnat cum peccato habituali gravi. Maior autem est Scoti in 4. dist. 1. quest. 2. in solutione ad 5. & probatur primò specialiter de gratia; quo probato, manebit etiam de peccato probatum: gratia nihil habet ex natura sua, ratione cuius vita æterna debeat habenti illam, & Deus necessario debeat, illum habere pro amico, aut hærede: ergo hos effectus, & similes non causat gratia ex natura rei. Probatur antecedens: gratia ex natura sua (adhuc à Charitate indistincta, ut nos asserimus) non potest habere aliam rationem in ratione principij activi, quam quod sit principium diligendi Deum supernaturaliter; sed ex hoc capite nullam habet exigentiam connaturalem, saltem proximam, ob quam Deus dare debeat, ut connaturaliter agat, vitam æternam habenti talem habitum, illumque acceptare, ut filium, & hæredem: ergo, &c.

Probatur minor hæc paritate: ex eo enim, quod Petrus, v. g. potentiam habeat amandi Paulum, & habitum inclinantem ad eius amorem, non ob id naturaliter exigitur, ut Paulus redamet Petrum, & multo minus tali amore, ut velit ipsum eligere in filium adoptivum, illique hæreditatem suam dare: ergo pariter in proposito: ex eo, quod homo habeat principium diligendi Deum, non ob id exigitur connaturaliter, Deum quoque ipsum amare debere, & tanquam filium, & hæredem acceptare.

Probatur secundo supra posita

Gratia, & peccatum non pugnant ex natura rei.

15

Probatur antecedens:

Minor probatur 1.

16

Probatur minor:

17

Probat. 2.
minor su-
pra posita.

minor: nam potius actus perfectæ dilectionis deberet ex natura sua Sanctificare, & naturaliter exigere amicitiam Dei, ac vitam æternam, quam habitus gratiæ, qui est tantum principium talis actus, vel inclinatio in ipsum; atqui tales effectus convenire nequeunt actui perfectæ dilectionis ex natura rei: ergo multo minus habitui. Minor est certa adhuc in adversariorum sententia. Consequentia patet: nam si id, quod est maius, non Sanctificat ex natura sua, neque sic Sanctificabit id, quod est minus. Maior verò probatur: quia etiam in humanis potius quis deberet aliquem redamare, & pro amico habere ratione amoris actualis erga se ipsum, quam ratione principij, quo posset amari: ergo similiter. Sed quidquid sit de hac duplici minoris probatione, de qua *disp. 52. num. 32. & seqq.*

18

Probat. 3.

Probat. tertio minor prædicta: quia non desunt aliæ formæ supernaturalis, quæ aliquos præstant effectus, non ex natura intrinseca talis qualitatis, sed ex impositione Christi, & ordinatione Divina: ergo idem de gratia, servata proportione, est dicendum, præcipue, cum nec ratio vrgens, nec autoritas sit ad oppositum sentiendum. Antecedens constat, etiam in opinione adversariorum; nam Character baptismalis hominem formaliter constituit Christianum, non ex natura rei, sed ex impositione Christi. Sic pariter Character ordinis confert potestatem consecrandi, non ex phisica natura talis qualitatis, sed ex ordinatione Divina.

Character
baptisma-
lis, & ordi-
nis consti-
tuit Chris-
tianum ex
ordinatione
Divina.

19

Prob. deni-
què minor.

Quartò deniquè probatur minor: nam Concilium Tridentinum, quod adversarij valdè contra nos exagerrant, dicentes: expræssè stare contra nostram sententiam, nullibi, nec levitèr insinuat: gratiam vim habere iustificandi, & sanctificandi ex natura sua, imò potius oppositum; etenim *Sess. 6. cap. 7.* expræssè distinguit remissionem peccati ab infusione gratiæ, tanquam duas actiones ex natura sua distinctas, indicans, remissionem peccati esse peculiare Dei beneficium, & actum distinctum ab infusione gratiæ; inquit enim ab initio, quod iustificatio: *Non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio*, & circa medium capitis subdit: *Vndè in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum*

hæc omnia simul infusa accipit homo. Et rursus *Canone 11.* docet, nostram Iustificationem: *Non consistere in sola remissione peccatorum, exclusa gratia infusione, quo rursus apertè indicat, remissionem peccatorum esse actionem ex natura sua distinctam ab infusione gratiæ; addit: Gratiam, qua iustificamur, non esse tantum favorem Dei extrinsecum.*

Quibus verbis expræssè fatetur, in gratia, qua iustificamur, includi planè aliquem Dei favorem præter nudam eius entitatem; alias malè diceret, eam non esse tantum Dei favorem; sicut quando dicimus: hominem non esse tantum animal, utiquè non intendimus, excludere animalitatem ab homine, sed solum indicare volumus, eius quidditatem non in sola animalitate consistere, sed vltra eam aliquid aliud adhuc includere: ergo per eum loquendi modum re vera Concilium intendit, in ratione gratiæ includi aliquem Dei favorem, ac extrinsecam voluntatem, à qua dependentèr habeat virtutem sanctificandi, & iustificandi.

Probat. secundò prima pars nostræ conclusionis: nam estò gratia habitualis ex natura rei pugnaret cum peccato, non ob hoc vnio hypostatica cum peccato pugnaret ex natura rei: ergo vnio hypostatica non pugnat ex natura rei cum peccato gravi. Probat. antecedens: nam estò gratia habitualis esset ex natura rei forma sanctificans, non ob hoc vnio hypostatica esset talis forma: ergo estò gratia habitualis ex natura rei cum peccato pugnaret, non ob hoc cum peccato pugnaret ex natura rei vnio hypostatica. Probat. antecedens: estò gratia habitualis sit de facto forma formalitèr sanctificans, sive ex natura rei, sive ex Divina ordinatione; non ob hoc vnio hypostatica est forma formalitèr sanctificans de facto, sive ex natura rei, sive ex ordinatione Divina: ergo estò gratia habitualis esset ex natura rei forma sanctificans, non ob hoc vnio hypostatica esset talis forma. Consequentia est legitima. Antecedens autem est verior opinio, quam docuimus *tom. præced. disp. 21. per totam.*

Probat. tertio eadem pars conclusionis: idèo namquè iuxta Ill. Godoy gratia habitualis gaudet vi con-

20

21

Probat. 2.
1. pars con-
clus.

22

Probat. 3.
eadem pars
conclus.

naturali expulsiua peccati, quia ex natura rei est forma formaliter sanctificans; sed unio hypostatica non est forma formaliter sanctificans: ergo unio hypostatica non gaudet vi connaturali expulsiua peccati: ergo unio hypostatica, ab omni dono accidentali præcisa, non pugnat ex natura rei cum peccato gravi habituali. Totum est verum, si vera est minor. Minor autem, ut certa in nostra opinione supponitur, sicut oppositum supponit Ill. Godoy in sua doctrina.

23
Advertentia quædam.

Nec ob hoc intelligatur, quod unio hypostatica poterit naturaliter, seu de lege ordinaria, compati cum peccato gravi habituali; quia ex hoc, quod unio hypostatica non gaudeat vi connaturali expulsiua peccati, nullatenus sequitur, quod possit naturaliter, seu de lege ordinaria, compati cum peccato, ut est in gratia habituali manifestum; gratia namque habitualis non gaudet vi connaturali expulsiua peccati, & tamen naturaliter, seu de lege ordinaria, compati nequit cum peccato gravi habituali.

24
2. Pars conclusus. prob. 1.

Secunda pars conclusionis probatur primo: si unio hypostatica, ab omni dono accidentali præcisa, pugnet de potentia Dei absoluta cum peccato gravi habituali, ellet ob oppositionem, quæ reperiretur inter unionem hypostaticam, & habituale peccatum; sed oppositio reperta inter unionem hypostaticam, ab omni dono accidentali præcissam, & peccatum grave habituale, non est talis, ut pugnet de potentia Dei absoluta: ergo unio hypostatica, ab omni dono accidentali præcisa, non pugnat de potentia Dei absoluta cum peccato gravi habituali. Maior, & consequentia tenent. Minor autem probatur: oppositio reperta inter unionem hypostaticam, & peccatum habituale, non est physica, & ex natura rei, sed tantum moralis, & ex ordinatione Divina: ergo oppositio reperta inter unionem hypostaticam, ab omni dono accidentali præcissam, & peccatum grave habituale, non est talis, ut pugnet de potentia Dei absoluta. Antecedens supponitur ex dictis. Consequentia vero probatur: præcisa Divina ordinatione, a qua absque dubio præscindit potentia Dei absoluta, unio hypostatica, & peccatum habituale non erunt opposita; sed oppositio re-

perta inter unionem hypostaticam, & peccatum habituale, est tantum ex ordinatione Divina: ergo, &c.

Confirmatur: nam ideò gratia habitualis non pugnat de potentia Dei absoluta cum peccato habituali, quia inter gratiam habitualementem, & habituale peccatum solum datur oppositio ex Divina ordinatione; sed hæc tantum, & non alia, datur inter unionem hypostaticam, & peccatum habituale, adhuc dato, quod ex ordinatione Divina esset forma sanctificans, sicut est gratia habitualis: ergo unio hypostatica, & peccatum habituale non pugnant de potentia Dei absoluta.

25
Confirmat.

Hanc probationem, etsi aliter efformatam, tradit Ill. Godoy num. 76. in cuius solutione (inquit numer. 77.) non est una Theologorum doctrina. Quidam docent: oppositionem peccati cum gratia unionis, non esse physicam, sed moralem, eo, quod inter moralia extrema versatur, nihilominus non posse simul esse de potentia absoluta; quia licet moralis sit, est tamen oppositio essentialis. Alij per oppositum docent: esse physicam, quamvis sint moralia extrema, eo, quod habent repugnantiam intrinsecam essentialem. Alij distinguunt, & asserunt: quod si peccatum habituale in aliquo morali consistat, est oppositio moralis, si autem in aliquo physico, est oppositio physica, semper tamen cum repugnantia essentiali.

26
Aliquorum solutio.

Ut autem melius ipse respondeat, supponit num. 78. quod peccatum habituale in aliquo morali consistat, ut tenet communis sententia, & sanctificationem humanitatis a Deitate, non esse physicam, sed moralem, ut probabilis censuit disput. 21. illorum oppositionem esse physicam Theologicè, hoc est, ex natura rei, cum repugnantia essentiali, non autem esse physicam Philosophicè. Ad hoc namque exigitur, quod formæ, inter quas oppositio exercetur, physicae sint, quod autem hoc non obstat oppositioni physicae in sensu Theologico.

27
Pro solutione notat Ill. Godoy.

Patet primo: ut enim docet Div. Thomas 2. 2. quæst. 24. artic. 12. peccatum mortale efficienter physice expellit gratiam, & charitatem; & tamen non semper in physica entitate consistit; cum sit dabilis pura omisio, absque omni actu physico voluntatis.

28

vt docuit 1. 2. *quest. 71. artic. 5.* Imò peccatum commissionis, quod in actu positivo consistit, non expellit physicè gratiam ratione entitatis physicae, sed ratione deformitatis moralis: ergo causa moralitas non obstat efficientiae physicae in sensu Theologico, & consequenter nec moralitas extremorum obstat potest oppositioni in sensu Theologico physicae.

29 Deinde: nam apud Theologos illa opponuntur moraliter, quae solum repugnant ex lege extrinseca, non verò ex natura rei; sicut in sententia Scoti, gratia solum ratione acceptationis, & legis extrinsecae Dei excludit peccatum; vel quando vnum alterum excludit, non ob repugnantiam intrinsecam, sed solum demeritorie; sicut peccatum desperationis destruit habitum spei, & in plurium sententia, peccatum solum demeritorie gratiam excludit: ergo quando inter aliqua extrema datur repugnantia ex natura rei intrinseca, & repugnantia essentialis, quantumvis moralia sint, oppositio illorum est physica in sensu Theologico: gratia autem vnionis, & peccatum habituale habet repugnantiam intrinsecam; & Ideò quamvis vtrumque, vel illorum aliquod, morale sit, oppositio illorum est physica in sensu Theologico, licet non sit physica in sensu Philosophico.

30 *Solutio Ill. Godoy.*
Iuxta quam doctrinam ad argumentum, vt est à nobis propositum, responderet *numer. 80.* negando minorem, ad cuius probationem distinguit antecedens: oppositio reperta inter vnionem hypostaticam, & peccatum habituale non est physica Theologicè negat antecedens; philosophicè concedit antecedens, & negat consequentiam. Et quidem peccatum habituale essentialiter repugnat Deo ratione sanctitatis increatae; & consequenter inter Sanctitatem Divinam, vt Deo convenientem, & peccatum habituale est repugnantia essentialis; & tamen oppositio non est physica Philosophicè, sed tantum in sensu Theologico; cum peccatum habituale, quod est extremum praedictae oppositionis, in aliquo morali consistat: ergo fiat repugnantia essentialis absque oppositione physica Philosophicè, hoc est, inter extrema non physica, vel quorum vnum physicum sit, & alterum morale.

Impugnatur hæc solutio Ill. Godoy: oppositio physica Theologicè est oppositio ex natura rei cum repugnantia essentiali; sed oppositio reperta inter vnionem hypostaticam, & peccatum habituale, non est oppositio ex natura rei cum repugnantia essentiali: ergo vnio hypostatica, & peccatum habituale, non opponuntur physicè Theologicè, & consequenter nulla est solutio tradita. Vtraque consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *numer. 78.* Minor autem pro vtraque parte sufficienter patet ex vtriusque dictis, & pro secunda patebit specialiter ex secunda probatione eiusdem partis conclusionis.

Nec vim habet instantia, quam facit Ill. Godoy: nam Ideò peccatum habituale, & actuale, grave, & leve, imò & omnis potentia peccandi, adhuc remota, vel remotissima, essentialiter repugnat Sanctitati Divinae, vt Deo convenienti, quia Divina voluntas est infinite recta, & ex se indefectibilis, quod nullatenus convenire potest voluntati creatæ Christi Domini. Ex quo obiter retorqueo instantiam: non solum peccatum habituale, verum & omnis potentia peccandi, adhuc remota, repugnat Sanctitati Divinae, ob oppositionem ex natura rei cum repugnantia essentiali inter Sanctitatem Divinam, & peccatum habituale repertam; atque iuxta Ill. Godoy in solutione inter vnionem hypostaticam, & peccatum habituale, datur oppositio ex natura rei cum repugnantia essentiali: ergo etiam potentia remota peccandi repugnat cum vnione hypostatica, quod est falsum apud ipsum *num. 32.* Sed de hoc extensius in probatione tertiæ conclusionis.

Probatur secundo eadem pars conclusionis: si vnio hypostatica pugnaret de potentia Dei absoluta cum peccato habituali, reduceretur hæc oppositio ad aliquod ex quatuor generibus oppositionis; sed ad nullum ex his reducitur: ergo vnio hypostatica non pugnat de potentia absoluta Dei cum peccato habituali. Probatur minor: in primis vnio hypostatica, & peccatum habituale, non opponuntur relativè; vt patet; deinde non contrariè, quia hæc oppositio est inter formas positivas; peccatum autem habituale non est aliquid positivum physi-

31
Impugnatur solutio Ill. Godoy.

32
Instantia Ill. Godoy vim non habet.

Retorqueo.

33
Probat. 2. eadem pars conclus.

cum, & reale. Deindè non privativè, quod concedit Ill. Godoy *num. 67.* idque probat *num. 64.* tum, quia peccatum habituale in sententia probabili consistit in positivo; & consequenter non opponitur privativè vnioni hypostaticæ, quæ etiam positiva est. Tum etiam; quia, vt plures docent, consistit in carentia conformitatis cum lege; & consequenter non in carentia vnionis hypostaticæ. Tum; quia, vt docent alij, consistit in privatione gratiæ habitualis; ac per consequens non in privatione gratiæ vnionis; non enim potest in carentia duplicis formæ consistere. Tum denique: nam peccatum habituale existit in puro homine, in quo privatio gratiæ vnionis non existit, sed pura negatio.

34

Et vltra hoc patet: quia peccatum habituale in aliquorum opinione consistit in dignitate ad poenam, siue reatu, vel iuxta communioem sententiam in permanentia morali eiusdem actus nondum retractati, & condonati, quorum neutrum opponitur privativè vnioni hypostaticæ. Denique: non contradictoriè; tum: quia hæc consistit in negatione formæ oppositæ; peccatum autem habituale non constituitur in negatione vnionis hypostaticæ; alioquin in quocumque daretur talis negatio, daretur in illo habituale peccatum, quod est falsum. Tum; quia peccatum non est pura negatio, cum sit in subiecto capaci gratiæ: ergo oppositio inter vnionem hypostaticam, & peccatum habituale ad nullum ex quatuor generibus oppositionis reducitur.

35

Respondet
Ill. Godoy.

Impugnat.

Respondet Ill. Godoy *numer. 67:* quod peccatum opponitur cum gratia vnionis virtualiter contradictoriè, sicut amor, & odium de eodem obiecto virtualiter contradictoriè opponuntur, & alia, quæ extrema positiva cum sint, essentialiter repugnant. Hæc tamen solutio ex dictis rejicitur: nam illa, quæ contradictoriè virtualiter pugnant, opponuntur contrariè, vel privativè formaliter; sed peccatum habituale, & vnio hypostatica, non opponuntur formaliter privativè, vel contrariè, vt manet probatum: ergo non pugnant virtualiter contradictoriè, & consequenter ruit allata solutio.

36

Respondet Ill. Godoy *numer. 68:*

concessa maiori, negando minorem: si namquè peccatum habituale in privatione gratiæ habitualis consistat, opponitur etiam vnioni hypostaticæ oppositione privativa, non stricta, quæ solum datur inter privationem, & formam, qua privat, quæ oportet esse debitam subiecto, qualiter vnio hypostatica non est debita subiecto peccati habitualis; sed oppositione privativa largè, quæ consistit in incompossibilitate privationis cum forma, siue debita, siue indebita sit: & quia peccatum habituale, quamvis in privatione gratiæ habitualis consistat, est incompatible essentialiter cum gratia vnionis, eo, quod præstat effectus morales essentialiter pugnantes cum effectu gratiæ vnionis; fit consequens, vt cum illa opponatur privativè, oppositione privativa sumpta, non strictè accepta, sed largè pro incompossibilitate extremi privativi cum positivo.

Respondet
ipse.

37

Si autem peccatum habituale in aliquo positivo consistat, opponetur gratiæ vnionis oppositione contraria, etiam non strictè accepta, sed largè pro incompatibilitate vnus extremi positivi cum alio, qualiter opponuntur duæ formæ substantiales in eadem materia, duæ personalitates in eadem natura, & odium, & amor respectu eiusdem obiecti, & etiam fides, & scientia de eadem propositione, inter quæ oppositio contraria versatur, non strictè sumpta secundum omnes condiciones, ad contrarietatem exactas, sed largè pro oppositione inter positiva extrema.

38

Impugnatur
i. solut.
Ill. Godoy.Antecedens
probat. i.

Hæc autem solutio in vtraque opinione impugnanda est, & primò sic: si peccatum habituale in privatione gratiæ habitualis consistat, non opponitur vnioni hypostaticæ oppositione privativa largè sumpta: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: oppositio privativa largè sumpta debet dari inter privationem, & formam, qua privat; sed si peccatum habituale in privatione gratiæ habitualis consistit, forma, qua privat, est gratia habitualis, & non vnio hypostatica: ergo si peccatum habituale in privatione gratiæ habitualis consistat, non opponitur vnioni hypostaticæ oppositione privativa largè sumpta. Probatur secundò idem antecedens: si peccatum habituale privaret vnio-

Secundò.

ne hypostatica, peccatum habituale, si in privatione gratiæ habitualis consisteret, consisteret in privatione duplicis formæ, scilicet, gratiæ habitualis, & uniois hypostaticæ; sed hoc est falsum iuxta Ill. Godoy *numer. 64.* ergo, &c.

39
Tertio.
Probatur tertio dictum antecedens: ideo, si peccatum habituale consistat in privatione gratiæ habitualis, opponeretur unioni hypostaticæ, oppositione privativa largè sumpta, quia peccatum habituale est incompatible essentialiter cum unione hypostatica, eo, quod præstat effectus morales essentialiter pugnantes cum effectu uniois hypostaticæ; sed falsum est, quod peccatum habituale præstat effectus morales essentialiter pugnantes cum effectu uniois hypostaticæ: ergo si peccatum habituale in privatione gratiæ habitualis consistat, non opponitur unioni hypostaticæ, oppositione privativa largè sumpta. Consequentia est legitima. Maior est solutio Ill. Godoy. Minor autem patet primo: quia unio hypostatica non tribuit effectum formalem Sanctitatis, ut diximus *num. 21*: Secundo, quia etiam si hunc effectum præstaret, illum non tribueret ex natura rei, sed ex Divina ordinatione, uti gratia habitualis, cum quo non sit essentialis repugnantia, vel oppositio ex dictis *num. 24.*

40
Impugnat.
2. solutio.
Impugnatur secundo solutio allata: si peccatum habituale in aliquo positivo consistat, non opponitur unioni hypostaticæ, oppositione contraria largè accepta pro incompatibilitate unius extremi positivi cum alio: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Peccatum habituale nec ratione sui, nec ratione suorum effectuum, est incompatible cum unione hypostatica ratione sui, nec cum effectu illius: ergo, &c. Consequentia est manifesta. Antecedens probatum manet *num. antecedenti*. Nec exempla ab Ill. Godoy adducta ipsi fabent; nam licet verum sit, quod plura opponuntur oppositione contraria largè sumpta, pro incompatibilitate unius extremi positivi cum alio, quod probant exempla Ill. Godoy; non tamen hoc est universaliter verum; potest enim Deus conservare in eodem subiecto duas formas oppositas, v. g. calorem, & frigus, ut tenent communiter phi-

Exempla
nō probant.

losophi; unde non valet ex aliquibus ad omnia comparationem facere, consequenter exempla Ill. Godoy inferre non valet, quod unio hypostatica, & peccatum habituale, opponantur oppositione contraria largè sumpta pro incompatibilitate unius extremi positivi cum alio, data adhuc opinione, quod peccatum habituale in aliquo positivo consistat.

41
Assignatur
disparitas.
Vltra hoc tamen est magna disparitas inter exempla relata, & uniois hypostaticam, peccatumque habituale: nam ideo sunt incompatibiles duæ formæ substantiales in eadem materia, duæ personalitates in eadem natura, odium, & amor respectu eiusdem obiecti, & fides, & scientia de eadem propositione; quia omnia hæc sunt contraria ex natura rei, involuntia ex ratione sua particulari aliquam contradictionem; duæ namque formæ in eadem materia, & duæ personalitates in eadem natura, involunt contradictionem adæquatam dependentiæ materiæ à duabus formis, & naturæ à duabus personalitatibus. Odium etiam, & amor contradictionem involunt, nam amor dicit displicentiam offensæ obiecti amati, quam negat actus odij. Denique fides, & scientia de eadem propositione involunt contradictionem, quam declarant Authores, incompatibilitatem eorum sentientes.

Ast unio hypostatica, & peccatum habituale, nullam involunt contradictionem, ut constat ex utroque dictis præsertim *numer. 39.* Unde unio hypostatica, & peccatum habituale, non opponuntur oppositione contraria largè sumpta pro incompatibilitate unius extremi positivi cum alio, adhuc data opinione, in qua respondet Ill. Godoy, scilicet, quod peccatum habituale in aliquo positivo consistat: nulla ergo est solutio, exempla nulla.

42
Probatur. 3.
eadem pars
conclus.
Probatur tertio eadem pars conclusionis, destruendo doctrinam Ill. Godoy: ideo iuxta doctrinam illius peccatum grave habituale repugnat cum gratia uniois, quia tale peccatum repugnat Sanctitati increatæ, ob oppositionem inter peccatum habituale, & Sanctitatem increatam repletam; atqui hæc ratio multum probat: ergo nihil probat. Probatur minor: hæc ratio probat, quod etiam poten-

tia remota peccandi repugnet cum gratia vnionis; sed hoc est contra ipsum *cit. numer. 32*: ergo ratio Ill. Godoy multum probat. Probatur maior: ideo iuxta concessa peccatum grave habituale repugnat cum gratia vnionis, quia tale peccatum repugnat Sanctitati increatae, ob oppositionem inter peccatum habituale, & Sanctitatem increatam repertam; sed etiam potentia remota peccandi repugnat Sanctitati increatae, ob oppositionem inter Sanctitatem increatam, & talem potentiam repertam: ergo ratio Ill. Godoy probat; quod etiam potentia remota peccandi repugnet cum gratia vnionis. Hæc retorsio roborabitur valde *numer. 117. & 297.* vbi per sequentia videbimus responsionem Ill. Godoy, illamque impugnabimus.

43
Vtraque
pars con-
clus. probat.
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

Sed quia fundamentum, quo nititur Ill. Godoy, ad oppositum vtriusque partis conclusionis defendendum, est, quia humanitas ratione vnionis ad Verbum Sanctificatur Sanctitate increata, cum qua incompatibile est, tam ex natura rei, quam de potentia absoluta, peccatum habituale grave, vltimò probatur conclusio quo ad vtramque partem, destruendo ad hominem contra ipsum prædictum fundamentum: Humanitas Christi ex vi vnionis ad Verbum, non est Sancta Sanctitate increata: ergo falsum est fundamentum Ill. Godoy. Probatur antecedens: solus Deus potest esse Sanctus Sanctitate increata; sed Christi humanitas, Verbo hypostaticè vnita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, vt Dea affecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis non est Sancta Sanctitate increata. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior autem probatur: Sanctitas increata est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens, soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo Sanctitas increata solum potest convenire, cui convenit esse Deum: ergo solus Deus est Sanctus Sanctitate increata. Consequentia est legitima. Minor apparet in quacumque proprietate cuiuscumque naturæ, vltra quod est expressa doctrina Ill. Godoy, & D. Tho-

mæ, vt proximè dicemus. Maior autem notoria videtur.

Et ostenditur primò: nam omne ens increatum, à se, & omninò independens, est ad minus proprietas consequens naturam Divinam; sed Sanctitas increata est ens increatum, à se, & omninò independens: ergo Sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam. Secundo: Omnipotentia, æternitas, immensitas, increata sapientia, &c. sunt proprietates consequentes naturam Divinam: ergo etiam Sanctitas increata. Tertio: Sanctitas increata non est accidens naturæ Divinæ adveniens: ergo est ad minus proprietas consequens naturam Divinam: ergo vera est maior supra posita.

Hæc est paritas, formata ad litteram doctrinæ, quam tradit Ill. Godoy in hoc tomo disput. 38. num. 2. vbi ad defendendum, quod humanitas Christi Domini ex vi vnionis ad Verbum omnipotens simpliciter constituta non fuerit, hac vtitur ratione deducta ex D. Thoma 3. part. quest. 13. artic. 1. quod vt appareat, rationem illius transcribo: *Solus Deus omnipotens esse potest; sed Christi humanitas Verbo hypostaticè vnita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, vt Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis non est constituta omnipotens, nec dici potest, esse omnipotentem simpliciter. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior ostenditur ratione D. Thomæ in presenti: cum enim unumquodque agat secundum quod est in actu, & in actu constituatur per formam, qua, vel est ipsa rei natura, vel rei naturam constituit, & omnipotentia Divina sit virtus, per quam Deus, agit ad extra, consequenter est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo omnipotentia simpliciter solum potest convenire, cui convenit esse Deum; & consequenter solus Deus est omnipotens. Sic Ill. Godoy nit. ad cuius litteram formata est paritas nostra, vt luce clarius splendet.*

Nescio certè quid ad hanc paritatem, vt à nobis formatam, respondere valeat Ill. Godoy, & rationem reddo: nam si respondeat, assignando disparitatem, quam inter Sanctitatem,

Maior ostenditur 1.

Secundò.

Tertiò.

& omnipotentiam assignat *tom. 2. in 3. part. disput. 21. à num. 226. & quam repetit in hoc tom. disput. 38. num. 30. & 31. vitra hoc, quod talem disparitatem impugnavimus tom. 2. in 3. sent. §. 8. semper manet contra ipsum efficaciam nostræ paritatis, quod manifestum facio, sic contra ipsum inferendo: ergo Sanctitas increata convenit alteri naturæ præter Divinam. Hæc consequentia est apud ipsum manifesta. Sussumo nunc; atqui Sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam: ergo proprietas consequens aliquam naturam, potest alteri naturæ convenire, quod est contra D. Thom. & Ill. Godoy *in hoc tom. citat.**

Aliter formatur paritas.

Declaratur denique efficaciam nostræ paritatis, aliter paritatem efformando: Omnipotentia soli Deo potest convenire: ergo Sanctitas increata soli Deo competere valet. Antecedens est Ill. Godoy *in hoc tomo citat.* Consequentia probatur: idcirco Omnipotentia soli Deo potest convenire, quia Omnipotentia est proprietas consequens naturam Divinam, & proprietas consequens aliquam naturam, convenire nequit, nisi illi, cui convenit talis natura; atqui Sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam: ergo Sanctitas increata soli Deo competere valet. Consequentia est legitima. Minor est evidens, & iam ostensa. Maior est D. Thomæ, cum quo Ill. Godoy, ut manet declaratum.

§. III.

Obiectionibus Ill. Godoy contra primam partem conclusionis occurritur.

44
Arguit. 1. Ill. Godoy contra 1. partem conclus.

Contra primam partem conclusionis arguit primo Ill. Godoy *num. 24:* gratia namque habitualis ex natura rei pugnat cum peccato habituali gravi, ut tenet vera, & communis sententia 1. 2. *quæ est. 113. artic. 2.* alias Sanctitas perfecta non esset: ergo gratia substantialis uniois, quæ multo perfectior est in ratione Sanctitatis, ex natura rei pugnat cum eodem peccato. Respondeo primo negando antecedens, ut tenet verior sententia *in 2. dist. 27.* quod diximus *num. 14.* & per sequentia probavimus. Respondeo secundo, omisso antec-

cedenti, negando supponendum consequentis: supponit namque, quod unio hypotattica est forma formaliter sanctificans, & quod ex natura rei sanctificat, quorum utrumque est falsum, ex dictis *tom. præced. disput. 21. per totam.*

Arguit secundo *num. 25:* nam esset gratia habitualis repugnantiam naturalem cum peccato non haberet, non ideo talis repugnantia esset gratiæ uniois substantiali neganda: ergo ex natura rei pugnat cum peccato gravi. Antecedens constat primo: nam gratia uniois est perfectior in ratione Sanctitatis gratia habituali: ergo licet gratia habitualis vi expulsi-va connaturali peccati non gauderet, non ideo est idem de gratia uniois dicendum. Secundo: nam gratia substantialis uniois est infinita in ratione Sanctitatis; secus autem gratia habitualis. Respondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem distinguo antecedens: gratia uniois est perfectior in ratione Sanctitatis radicalis, & virtualis, seu in actu primo, gratia habituali concedo antecedens; in ratione Sanctitatis formalis, seu in actu secundo nego suppositum, per quod patet ad secundam probationem. Solutio patet ex dictis *disp. 21. citat. num. 81. & 82.*

Arguit tertio *num. 26:* nam quod gratia habitualis non possit ex natura rei expellere peccatum mortale, inde probatur; quia nempe, in peccato mortali est gravitas offensæ infinita, vel saltem superioris ordinis ad gratiam habitualem; & ideo ab illa expelli ex natura rei non potest: at hæc ratio in gratia uniois non militat, est enim infinita in ratione Sanctitatis, & superioris ordinis ad gravitatem offensæ: ergo ex natura rei pugnat cum peccato gravi. Respondeo primo negando maiorem; nam quod gratia habitualis non possit ex natura rei expellere peccatum, inde probatur, quia nempe, gratia habitualis non est ex natura rei forma sanctificans. Respondeo secundo, omnia maiori negando minorem; & suppositum probationis ex proximè dictis.

Quia tamen hæc argumenta Ill. Godoy, illiusque responsiones ad nostras probationes fundantur in hoc, quod gratia habitualis, meliusque hypotattica unio, ex natura rei &

45
Arguit. 2.

Respondeo.

46
Arguit. 3.

Respond. 1.

Respond. 2.

47
Notabile quodam.

Respond. 1.

Respond. 2.

Divisio gratia habitualis.

essentialiter repugnet cum peccato habituali gravi; obiter advertendum est: quod gratia dupliciter potest considerari. Primum: in esse qualitatis, seu materialiter sumpta. Secundum: in esse gratiae, seu formaliter accepta. Haec gratiae divisio satis vulgaris est, & famosa in Scholis, admititurque ab insignis Theologis apud Suarez *lib. 7. de Gratia, cap. 22. numer. 5.* dum aiunt: gratiam dupliciter sumi posse. Primum: quatenus qualitas quaedam est. Secundum: quatenus gratia reddens hominem Deo gratum, & charum; unde etiam dicunt: posse gratiam crescere in ratione gratiae, quin augetur in ratione qualitatis, ita, ut augmentum in ratione gratiae non sit in se ipsa, sed in suis effectibus ratione Divinae acceptationis, ut concedit Scotus in *4. dist. 16. quest. 2.* Et Ovid. *punct. 3.*

48
Incompossibilitas peccati cum gratia habituali.

Hac igitur divisione supposita, nostra, & Scoti opinio de compossibilitate peccati cum gratia per Divinam Omnipotentiam, intelligi debet de gratia materialiter sumpta, & in ratione qualitatis; non autem de gratia formaliter sumpta sub ratione gratiae, quatenus, scilicet, substat Divinae ordinationi, in cuius virtute reddit hominem Deo gratum, & charum; sic enim sumpta, implicat in terminis, quod possit esse simul cum peccato, sive actuali, sive habituali; quia sic inspecta, est perfecta, & completa Sanctitas, & munditia; & nedum dicit habitum informantem animam, sed etiam connotat negationem, & expulsionem peccati: ergo implicat in terminis, quod sic inspecta, sit compossibilis cum peccato per quamcumque potentiam. Et hoc valde probant rationes Ill. Godoy. Cum ergo gratia in esse qualitatis, seu materialiter sumpta, non habeat reddere hominem gratum, & charum Deo, gratia sic sumpta, nec ex natura rei, nec essentialiter pugnat cum peccato, sive habituali, sive actuali gravi, quod facta divisione praedicta, omnino certum videtur.

Compossibilitas peccati cum gratia habituali.

49
Peccatum magis opponitur cum gratia habituali, quam cum unione hypostatica.

Atque hinc se se apperit: peccatum habituale grave maiorem oppositionem habere cum gratia habituali, quam cum unione hypostatica: nam licet habituale peccatum non ex natura rei, nec essentialiter, sit incompatible cum gratia habituali, in esse

qualitatis, seu materialiter sumpta, in quo aequaliter cum gratia, sic considerata, pergit hypostatica unio; tamen essentialiter est incompatible cum gratia in esse gratiae, seu formaliter accepta, quam incompatibilitatem non habet cum unione hypostatica, eo, quod gratia in esse gratiae formaliter sanctificet; non vero hypostatica unio, ex toties dictis.

Denique argumenta Ill. Godoy fundantur in eo, quod humanitas ratione unionis ad Verbum Sanctificatur Sanctitate increata, cum qua incompatible est ex natura rei peccatum habituale grave, repeto argumentum, quod est prima retorsio contra ipsum: humanitas Christi non est Sancta Sanctitate increata: ergo argumenta allata ab Ill. Godoy nulla sunt. Probatur antecedens: solus Deus potest esse Sanctus Sanctitate increata; sed Christi humanitas, Verbo hypostaticè unita, ita distincta à Divinitate permanit, & impermixta cum illa, ut Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis unionis non est Sancta Sanctitate increata. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior probatur: Sanctitas increata est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens, soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non praedicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo Sanctitas increata solum potest convenire, cui convenit esse Deum: ergo solus Deus est Sanctus Sanctitate increata. Consequentia est legitima. Minor apparet in quacumque proprietate cuiuscumque naturae, ultra quod est expressa doctrina Ill. Godoy, & D. Thomae. Maior autem notoria videtur, & probata manet tripliciter *num. 43.*

Retorqueo secundum argumenta Ill. Godoy: non solum peccatum habituale, verum & omnis potentia peccandi, adhuc remota, repugnat Sanctitati increatae, ob oppositionem ex natura rei inter Sanctitatem increatam, & peccatum habituale, & potentiam remotam peccandi repertam; atqui humanitas Christi est Sancta Sanctitate increata iuxta argumenta Ill. Godoy: ergo ratione Sanctitatis increatae humanitati repugnat, non solum peccatum habituale grave, verum & potentia remota peccandi,

50
Retorq. 1. argumenta Ill. Godoy.

51
Retorq. 2.

quod

quod est falsum apud ipsum ex dictis *num. 32.* Hæc retorsio roborabitur valde *num. 117. & 297.* vbi per sequentia videbimus illius responsionem, illamque impugnavimus.

§. IV.

Obiectionibus Ill. Godoy contra secundam partem conclusionis occurritur.

§ 2

Arguit. I.

Contra secundam partem conclusionis, omisis aliorum argumentis, & Sanctorum Patribus auctoritatibus, quas conclusione tertia promittit adducere, arguit primò *num. 39:* Implicat, humanitatem unitam esse in peccato habituali, & Verbum, vt in illa subsistens, non denominari peccatorem; sed hæc denominatio repugnat; est enim omninò indecens Verbo: ergo implicat, humanitatem unitam esse in peccato habituali; quam rationem fusiùs *infra* prosequitur.

§ 3

Solutio aliorum.

Hoc argumentum, quod veteribus Thomistis visum est ineluctabile, sicque ab Ill. Godoy censi videtur. Ad ipsum tamen aliqui respondent, negando sequelam maioris; quia Deus non est capax denominationis peccatoris, sicut est capax denominationis passi, mortui, & sepulti, &c. ob impossibilitatem repertam inter peccatum, & Sanctitatem Divinam, pro quo triplicem adducunt rationem. Prima est: nam prædicationes passi, mortui, & sepulti, &c. sunt phisicæ; prædicatio autem peccatoris est moralis; in moralibus autem facilius ab opposito fortiori impeditur denominatio contrarij, vt si quis cum peccatis aliqua bona faciat, non ob ea dicitur Sanctus, vel virtuosus. Secunda est: quia moralia multum pendent ab hominum æstimatione, ideòque ex hoc capite impediretur, data hypotesi, denominatio peccatoris. Tertia denique ratio desumitur à paritate ex phisicis denominationibus: si enim substantia ignis aliquam frigoris partem recipere posset, tota eius caliditate manente, non posset ignis nunc pari frigus, quia denominatio frigoris impediretur à summa ignis caliditate, quod ita similiter eveniret in aqua, si sua connaturali frigiditate retenta, aliquid caloris admitteret; atqui Sanctitas essentialis Dei in infini-

I. Ratio solutionis.

Secunda.

Tertia.

tum magis pugnat cum peccato, quam illæ qualitates caloris, & frigoris: ergo non repugnat, humanitatem unitam esse in peccato habituali, & Verbum, vt in illa subsistens, non denominari peccatorem.

Acuta certè solutio, & valde utilis ad impediendum tot clamores, & censuras ab Adversarijs promulgatas; sed quia hoc est trepidare, vbi non est timor, solutio hæc subitinda non est, & rejicitur: non minor impossibilitas datur inter immortalitatem Divinæ nature, & mortalitatem create, quam inter Sanctitatem Divinam, & peccatum; at qui denominatio mortalis per communicationem idiomatum Deo non repugnat, quinimo Deus habet de facto; ergo neque de possibili potest Deo repugnare denominatio peccatoris per communicationem idiomatum. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est manifesta: nam non minus repugnat Deo mortalitas, quam peccatum.

Nec obstant rationes adductæ. Non prima: quia licet verum sit, quod in moralibus ab opposito fortiori denominatio contrarij impediatur; falsum tamen est, quod totaliter impediatur; nam licet bonitas intentionis non sufficiat ad tollendam simpliciter malitiam electionis, illam tamen minuit, vt in *tract. de Actibus humanis*, tenent communiter Authores. Non secunda: nam prudens hominum æstimatio solum debet Deum eximere à peccato secundum denominationem intrinsecam, & elicitive; non verò secundum puram extrinsecam denominationem, quæ Deo adveniret, si voluntas humanitatis assumptæ peccaret, sicut de facto à Deo non eximit denominationem Crucifixi, & mortui, quod non minus est illi repugnans.

Nec denique obstat tertia à paritate ex phisicis denominationibus sumpta; nam vel negari potest maior, vel illa concessa, negatur paritas; quia illæ denominationes calidi in aqua, vel frigidi in igne, essent intrinsecæ: hæc verò, de qua loquimur, est moralis, & extrinseca. Vnde nihil aliud potest paritas convincere, quam quod Deus sit incapax denominationis peccatoris intrinsecè, & ratione voluntatis Divinæ, quod est verum, & de fide; non verò, quod sit incapax deno-

§ 4
Rejicitur solutio.

§ 5
Ratio I. non obstat.

Nec 2.

§ 6
Nec 3.

minationis peccatoris extrinsecè, & ratione voluntatis creatæ, seu ratione humanitatis assumptæ.

Ob hoc itaque hac solutione relicta, respondeo ad argumentum, concessa maiori de denominatione extrinsecæ peccatoris, negando minorem; nam si per denominationem extrinsecam dicitur Verbum, vt in humanitate subsistens, absque illius indecentia, flagellatum, Crucifixum, mortuum, &c. quod totum repugnat directè Verbo Divino; poterit etiam absque indecentia denominari peccator. Quam responsionem fusiùs *infra* prosequemur.

Arguit secundò *num. 40*: non enim stat, peccatum habituale in humanitate assumpta manere, quin actuale peccatum moraliter perseveret; sed implicat existentia, aut perseverantia moralis peccati actualis præcedentis in humanitate assumpta: ergo implicat in illa peccatum habituale. Consequentia tenet. Minor constat; vt enim conclusione tertiâ monstrare promittit, implicat actuale peccatum in humanitate assumpta, eo, quod Verbum in illud speciali influxu influeret; sed hæc ratio non minùs de existentia moralis, quam de phisica existentia peccati actualis convincit; cum etiam deberet in illud, vt moraliter exitès, Verbum influere: ergo implicat perseverantia moralis peccati actualis præteriti in humanitate assumpta. Maior autem de qua *1. 2. quest. 113. artic. 2.* breviter pro nunc suadetur; nam peccatum habituale dependet in fieri, & in conservari à voluntate creatâ, vt à primâ causâ deficiente; cum Deus causâ peccati non sit; sed voluntas creatâ causat, & conservat peccatum habituale mediante peccato actuali: ergo implicat existentia peccati habitualis, absque morali existentia, & perseverantia peccati actualis. Patet consequentia; effectus namque in genere causæ efficientis nequit causâ non existente conservari: ergo vt peccatum actuale præteritum influat in conservationem peccati habitualis debet existere, saltim moraliter.

Respondeo ad argumentum, concessa maiori, cuius probatio necessaria non erat, negando minorem; vt enim *conclusionem tertiâ* monstrabimus, non implicat actuale peccatum in humanitate assumpta, eo, quod

Verbum in illud speciali influxu influeret.

Arguit tertio Ill. Godoy *num. 48*: nam gratia habitualis iustificans, non solum ex natura rei, verum etiam essentialiter pugnat cum peccato habituali, vt tenet frequentior, & vera Theologorum sententia *1. 2. quest. 113. artic. 2.* & hoc ideo, quia est formalis, aut specialis participatio Sanctitatis increatæ; sed gratia vnionis importat Sanctitatem increatam vnitam humanitati, & illi communicatam per vnionem substantialem: ergo pugnat cum peccato habituali gravi, non solum ex natura rei, sed etiam repugnantia essentiali; & consequenter implicat de potentia absoluta, & non potest cum gratia vnionis componi; ac proinde nec in humanitate vnita, & à Verbo assumpta manere. Patet consequentia: si namque formalis participatio Sanctitatis increatæ excludit peccatum habituale per repugnantiam essentialem cum illo, à fortiori Sanctitas ipsa increata substantialiter vnita, debet repugnantia essentiali cum eodem peccato gaudere. Respondeo negando maiorem, ob dicta *§. secundo per totum*, vbi ostendimus: gratiam habitualem, nec ex natura rei, nec essentialiter, pugnare cum peccato habituali, & hæc est verior Theologorum sententia.

Denique arguit Ill. Godoy *num. 52*: implicat esse subiectum aliquod Sanctum infinite simpliciter, & esse in peccato gravi; sed humanitas per vnionem ad Verbum sanctificatur infinite simpliciter: ergo implicat peccatum grave cum vnione ad Verbum in humanitate coniungi. Consequentia probatione non indiget. Minor est communis Theologorum sententia. Maior autem ostenditur primò: nam Sancto infinite simpliciter, maius in ratione Sancti dari non potest; sed si Sanctum infinite simpliciter, posset cum peccato gravi componi, illo maius in ratione Sancti esset dabile; quod enim caret immunditia peccati, sanctius est illo, quod peccati munditia sædatur: ergo implicat esse Sanctum infinite simpliciter, & esse in peccato gravi.

Secundò: implicat esse obiectum dignum complacentia Divina infinita sine termino, & esse dignum displicentia gravi Divina; sed Sanctum in-

60

Arguit. 3.

57

Vera solutio.

58

Arguit. 2.

61

Arguit. ultimo.

Maior probatur 1.

59

Respondeo.

Secundò,

fi-

finite simpliciter, est obiectum dignum complacentia Divina, sine termino in infinitum; peccato autem gravi infectum, est obiectum dignum displicentia gravi Divina: ergo implicat esse Sanctum *infinite simpliciter*, & esse gravi culpa fœdatum. Denique: ut enim traditur ex Dionisio: *Sanctitas est Immaculata puritas*: ergo esse infinite Sanctum, est esse purum à munditia peccati, & mundum *infinite*; sed implicat esse *infinite* mundum, & esse immundum *simpliciter*, qualiter subiectum culpæ gravis constituitur immundum per illam: ergo implicat esse Sanctum *infinite simpliciter*, & esse in peccato gravi.

Respondeo primò: omiſſa maiori, de qua nunc non curo, negando minorem; falſum enim eſt, quod humanitas per vnionem ad Verbum ſit formaliter Sancta, & conſequentè falſum eſt etiam, quod per vnionem ad Verbum humanitas *infinite ſimpliciter* ſanctificetur, vt conſtat ex veriori Theologorum ſententia, latè à nobis firmata, & deſenſata *tom. præcedenti, diſput. 21*. Reſpondeo ſecundò diſtinguendo maiorem: implicat eſſe ſubiectum aliquod Sanctum *infinite ſimpliciter*, & ex natura rei, & eſſe in peccato gravi omito maiorem; ex ordinatione Divina, ſubdiſtinguo: implicat eſſe ſubiectum aliquod Sanctum *infinite ſimpliciter*, & eſſe in peccato gravi de factò, & lege ordinaria concedo maiorem; de potentia Dei abſoluta nego maiorem, qua diſtinctione diſtinguenda eſt triplex maioris probatio; diſtinguoque minorem: ſed humanitas per vnionem ad Verbum ſanctificatur *infinite ſimpliciter*, ex ordinatione Divina omitto minorem; ex natura rei nego minorem, & diſtinguo conſequens: ergo implicat peccatum grave cum vnione ad Verbum in humanitate coniungi de factò, & lege ordinaria concedo conſequentiam; de potentia Dei abſoluta nego conſequentiam. Solutio patet ex dictis *num. 24*.

Quia tandem hæc etiam argumenta Ill. Godoy fundantur in eo, quod humanitas ratione vnionis ſanctificatur Sanctitate increata, cum qua incompatible eſt de potentia Dei abſoluta peccatum habituale grave, patientèr fertò duplicem retorſionem ſurra poſitam. Retorqueo itaque pri-

mo, deſtruendo fundamentum Ill. Godoy, ad hominem contra ipſum: ſolus Deus poteſt eſſe Sanctus Sanctitate increata; ſed Chriſti humanitas, Verbo hypſtaticè vnita, ita diſtincta à Divinitate permanſit, & impermixta cum illa, vt Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis non eſt Sancta Sanctitate increata. Conſequentia tenet. Minor eſt de fide. Maior probatur: Sanctitas increata eſt proprietas conſequens Divinam naturam; ſed proprietas naturam aliquam conſequens, ſoli conuenit habenti talem naturam, nec poteſt enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius eſt talis proprietas: ergo Sanctitas increata ſolum poteſt conuenire, cui conuenit eſſe Deum: ergo ſolus Deus eſt Sanctus Sanctitate increata. Conſequentia eſt legitima. Minor apparet in quacumque proprietate cuiuſcumque naturæ, vltra quod eſt expreſſa doctrina Ill. Godoy, & D. Thomæ. Maior autem nottoria videtur, & manet tripliciter probata *num. 43*.

Retorqueo ſecundò prædicta argumenta Ill. Godoy: non ſolum peccatum habituale, verum & omnis potentia peccandi, adhuc remora, repugnat Sanctitati increatæ, ob oppositionem eſſentialem inter Sanctitatem increatam, & peccatum habituale, & potentiam remoram peccandi repertam; atqui humanitas Chriſti eſt Sancta Sanctitate increata iuxta argumenta Ill. Godoy: ergo ratione Sanctitatis increatæ humanitati repugnat, non ſolum peccatum habituale grave, verum & potentia remota peccandi, quod eſt apud ipſum falſum ex dictis *num. 32*. Hæc retorſio roborabitur valde *num. 117 & 297*. vbi per ſequentia videbimus illius reſponſionem, illamque impugnabimus.

Retorqueo tertio ab inconuenienti contra ipſum: humanitas Chriſti eſt Sancta Sanctitate increata: ergo eſt beata beatitudine increata: ergo intellectus Chriſti creatus de factò intelligit intellectu increata. Antecedens eſt doctrina Ill. Godoy *diſput. 21*. Secunda conſequentia ex prima inferitur: nam beatitudo iuxta ipſum 1. 2. *diſput. 5*. conſiſtit in actu intellectus: ergo ſi humanitas Chriſti eſt beata beatitudine increata, intellectus Chriſti creatus intelligit intellectu increata. Prima conſequentia proba-

contra Ill. Godoy.

64
Retorq. 2.

65
Retorq. 3.
ab inconuenienti.

tur:

Tertiò.

62
Reſpond. 1.

Reſpond. 2.

63

Retorq. 1.
ad homin.

tur : ex possibilitate sanctificationis per Sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem : ergo ex sanctificatione Sanctitate increata, conveniente de facto humanitati, sequitur beatificatio eiusdem humanitatis, præstita formalitèr à beatitudine increata. Consequentia tenet à paritate rationis.

66

Probat
antecedens.

Antecedens probatur : capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari : ergo ex possibilitate sanctificationis per Sanctitatem increatam sequitur possibilitas beatificationis per increatam beatitudinem. Antecedens est nottorium ; omnis namquè natura sanctificabilis est beatificabilis. Consequentia certa apparet iuxta illam regulam, nempe, concessio antecedenti in illatione ut verò, conceditur consequentia illativè vera ; quia si ex capacitate ad sanctificari sequitur capacitas ad beatificari, etiam ex capacitate ad sanctificari Sanctitate increata sequi debet capacitas ad beatificari beatitudine increata. Sed ultra probatur : si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari Sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata ; sed iuxta concessa, & veritatem, capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari : ergo, &c. Minor, & consequentia tenent.

67

Maior pro-
batur 1.

Maior autem probatur primò : si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, ex capacitate ad sanctificari Sanctitate increata, sequitur capacitas ad beatificari beatitudine increata : ergo si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari Sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata. Probat 2. si immaterialitas arguit intellectivum, & intellectivum volitivum, ex immaterialitate increata sequitur intellectivum creatum, & ex intellectivo creato sequitur volitivum creatum. Item : ex immaterialitate increata sequitur intellectivum increatum, & ex intellectivo increato sequitur volitivum increatum : ergo, &c.

68

Probat. 3.

Probat 3. tertio eadem maior, & ab opposito formatur paritas : si capacitas ad beatificari arguit capacita-

tatem ad sanctificari, ex capacitate ad beatificari beatitudine increata sequitur capacitas ad sanctificari Sanctitate increata : ergo paritèr : si capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari, capacitas ad sanctificari Sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata. Probat 2. consequentia : capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari sunt convertibiles : valet namquè : *Est capacitas ad beatificari : ergo est capacitas ad sanctificari, & è contra : ergo etiam debent esse convertibiles : capacitas ad beatificari beatitudine increata, & capacitas ad sanctificari beatitudine increata ; ergo valet etiam : Est capacitas ad beatificari beatitudine increata : ergo est capacitas ad sanctificari beatitudine increata, & è contra : ergo vera est dicta consequentia.*

Confirmatur, & vrgetur primò : capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari sunt convertibiles ; sed quia sunt convertibiles, valet hæc consequentia : *Est capacitas ad sanctificari Sanctitate increata : ergo est capacitas ad beatificari beatitudine increata : ergo quia sunt convertibiles, etiam hæc debet valere : Est capacitas ad sanctificari Sanctitate increata : ergo est capacitas ad beatificari, beatitudine increata.* Atqui in Christo non est capacitas ad beatificari beatitudine increata : ergo nec ad sanctificari beatitudine increata. Vrgetur secundò : capacitas ad beatificari, & capacitas ad sanctificari sunt convertibiles ; sed quia convertibiles sunt, valet hæc : *Est capacitas ad beatificari beatitudine increata : ergo est capacitas ad sanctificari Sanctitate increata : ergo quia sunt convertibiles, hæc etiam debet valere : Non est capacitas ad beatificari beatitudine increata ; ergo non est capacitas ad sanctificari Sanctitate increata.* Consequentia claret ex vi illius axiomatis : *Quando affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis.*

Hæc ratio fundatur in doctrina generali, scilicet, in eo, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari sunt convertibiles, quam doctrinam expræssè docuit Ill. Godoy tom. 2. in 3. part. disput. 21. num. 45. assignando discrimen inter effectus gratiæ unionis, & effectus gratiæ habitualis, ubi clarissimè fatetur prædictam con-

69

Confirma-
tur, & vr-
getur 1.

Vrgetur 2.

70

Prædicta
paritas fun-
datur in
doctrina
Ill. Godoy

vertibilitatem his verbis: *Nam cum esse particeps Divinae naturae sit esse radicem videndi, & amandi Deum, & implicet capacitas ad videndum, & amandum Deum, absque capacitate amabilitatis ab ipso, ideo non stat capacitas ad participium Divinae naturae, absque capacitate ad Sanctitatem.* Huic accedit bonam esse paritatem; cum aequalitas, quae datur inter beatificari, & sanctificari, etiam reperiatur inter beatitudinem increatam, & increatam Sanctitatem.

71

Fundatur in doctrina communi Theologorum

Fundatur etiam in alia generali doctrina, scilicet, in eo, quod capacitas ad sanctificari, & capacitas ad beatificari oriuntur ab eodem principio, nempe, ab intellectualitate naturae; nam ex eo, quod natura sit intellectualis, recte infertur, quod sit sanctificabilis, & beatificabilis, ut omnibus apparet, & constat ex eo, quod ideo natura irrationalis, nec est sanctificabilis, nec beatificabilis, quia intellectualis non est; unde etsi à Verbo assumetur, adhuc esset incapax sanctitatis, & beatitudinis, ut sentiunt omnes Theologi.

72

Respondet Ill. Godoy.

Ad hanc paritatem, licet non sic formalizatam, nec ita confirmatam, responder Ill. Godoy disput. 31. num. 34. tom. 2. in 3. part. negando paritatem; quia ista consequentia non tenet: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari Sanctitate increata, arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata;* sicut ista non tenet: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina, probat capacitatem operandi operatione Divina.* Cuius antecedens est verum, consequens autem est falsum; ut constat in natura irrationali, quam posse Dei subsistentia subsistere, docet communis sententia; & tamen nullus docuit, esse capacem operandi operatione Divina.

73

Ratio refensionis.

Et ratio nullitatis consequentiae (prosequitur Ill. Godoy num. 35.) est: nam facta comparatione inter Sanctitatem, & beatitudinem absolute, non est differentia in modo conveniendi subiecto, ratione cuius cum capacitate Sanctitatis stare possit repugnantia beatitudinis; nam formalitatibus creatis, sicut non repugnat informatio physica, vel moralis, quarum

aliqua ad sanctificandum requiritur: ita non repugnat illis egredi realiter ab agente, quod est de ratione beatitudinis, eo, quod beatus vivit per illam, quod sine egressu ab illo nequit subsistere; & ideo facta comparatione inter Sanctitatem ut sic, & beatitudinem absolute, capacitas unius infert capacitatem alterius. Coeterum facta comparatione inter Sanctitatem increatam, & Divinam, increatamque beatitudinem, argumentum non tenet per respectum ad subiectum creatum, eo, quod informatio moralis quae ad sanctificandum sufficit, non repugnat Divinis formalitatibus; egressus autem, tam realis, quam virtualis, quorum aliquis est de conceptu essentiali beatitudinis, repugnat praedicatis Divinis respectu naturae creatae; & ideo ex capacitate conveniente humanitati, ut sanctificetur per Sanctitatem increatam, & Divinam, non arguitur, nec probatur capacitas, ut beatificetur increata beatitudine, ut in simili instabat in ordine ad subsistendum; nam licet capacitas subsistendi arguat capacitatem operandi absolute, capacitas subsistendi subsistentia Divina, non arguit capacitatem operandi per operationem Divinam.

Hac tamen solutio efficaciam nostrae paritati non tollit, & ante impugnationem noto, quod per *ly operatione Divina*, quod ponit Ill. Godoy in instantia, quam contra nos facit, intelligo operationem tendentem in Deum, scilicet, operationem intellectualem, ut claret in exemplo ab ipso posito de natura irrationali, quae etsi capax sit subsistendi subsistentia Divina; incapax est operandi operatione Divina, id est, operatione intellectuali, in Deum tendente; nam si per *ly operatione Divina*, intelligeret Divinam operationem, nempe, intellectiōem, & volitionem Divinam, idem exemplum esset de natura rationali & Angelica, ac de natura irrationali; cum quaelibet sit capax subsistendi subsistentia Divina, & nulla sit capax operandi intellectiōem, & volitione Divina, ut apud omnes est certum. Hoc notato.

Refellitur primò instantia Ill. Godoy: quod hac consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad*

74
NOTA.

75
Refellitur
instantia
Ill. Godoy.

subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc consequentia sit bona: Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata: ergo nulla est instantia Ill. Godoy. Antecedens probatur primò: quod hæc consequentia sit falsa: Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad personari probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad personari personalitate Divina probat capacitatem operandi operatione Divina: ergo pariter de illa.

76
Probat. 2. ad homin. cōtra ipsū.
Probat. secundò antecedens ad hominem contra Ill. Godoy: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad personari probat capacitatem ad sanctificari: ergo capacitas ad personari personalitate Divina probat capacitatem ad sanctificari sanctitate Divina: ergo similiter. Antecedens est Ill. Godoy disput. 21. citat. Consequentia paritate videretur certa.*

77
Probat. 3. etiā ad homin.
Tertiò probatur idem antecedens, etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad immaterialitatem probat capacitatem ad intellectualitatem: ergo capacitas ad immaterialitatem increatam probat capacitatem ad intellectualitatem increatam: ergo idem quod prius. Consequentia est paritate certa. Antecedens est Ill. Godoy tom. 1. in 1. part. disput. 22.*

78
Probat. 4. etiā ad homin.
Probat. quartò, etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad intellectivum*

probat capacitatem ad volitivum: ergo capacitas ad intellectivum increatum probat capacitatem ad volitivum increatum: ergo idem, quod antea. Antecedens est Ill. Godoy tom. 2. in 1. part. disput. 45. Consequentia est paritate legitima.

79
Probat. 5. etiā ad homin.
Probat. quintò, etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad esse substantiam spirituales probat capacitatem ad esse intellectivum: ergo capacitas ad esse substantiam spirituales infinitam probat capacitatem ad esse intellectivum infinitum: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy tom. 1. in 1. part. disput. 22. numer. 168. & seqq. Consequentia eadem, ac ceteræ, quædet veritate.*

80
Probat. 6. etiā ad homin.
Probat. sextò, etiam ad hominem contra ipsum: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad videndum, & amandum Deum probat capacitatem amabilitatis ab ipso: ergo capacitas ad videndum, & amandum Deum infinite probat capacitatem infinite amabilitatis ab ipso: ergo similiter. Consequentia patet. Antecedens deducitur ex Ill. Godoy disput. 21. num. 145. tom. citat.*

81
Probat. denique generali doctrina.
Probat. deniquè antecedens paritate apud omnes certa: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; non tollit, quod hæc sit bona: Capacitas ad beatificari probat capacitatem ad sanctificari: ergo capacitas ad beatificari beatitudine increata probat capacitatem ad sanctificari sanctitate increata: ergo pariter. Antecedens conceditur ab omnibus. Consequentia vi paritatis legitima est.*

82
Ecce septem paritates (pluribus alijs omis) quarum quælibet est manifesta retorsio contra instantiam, quam in nos facit Ill. Godoy. Si ergo tot retorsionibus falsificatur eius instantia, cur (quæso) valebit nostram

probationem falsificare? Non itaque attendenda est paritas ab Ill. Godoy pro nullitate nostræ probationis, quin potius pro veritate ipsius attendendæ sunt septem paritates suprâ dictæ. Et quia eadem est de omnibus ratio, rectorio, quam contra ipsum ex prima parte faciam, deserviat ad cœteras formandas.

83
Refellitur
2. retorquen
do instantiâ

Retellitur secundò instantia Ill. Godoy, ipsam retorquendo hac paritate: hæc consequentia est bona: *Capacitas ad personari probat capacitatem ad operari: ergo capacitas ad personari personalitate Divina probat capacitatem operandi operatione Divina; ergo etiam ista est bona: Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari Sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.* Nulla ergo est instantia Ill. Godoy. Sic per cœteras paritates fiant contra ipsum rectoriones.

84
Triplex ratio nullitatis instantiæ Ill. Godoy.

Ratio autem, cur instantia Ill. Godoy nullam habet efficaciam, triplex esse potest. Prima est: quia esse subsistens itat dupliciter, nempe, personaliter, ut contingit in natura intellectuali; & supposititaliter, ut evenit in natura irrationali. Primo modo vera est consequentia Ill. Godoy, & ex ipsa contra ipsum in favorem nostræ consequentiæ arguebamus *num. anteced.* Secundo modo est falsa, sed ex hoc non licet contra nos arguere, quia est maxima disparitas; nam subsistens supposititaliter est incapax omnis operationis intellectualis, & consequenter Divinæ, ideoque hæc consequentia: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi: ergo capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina,* est falsa, intellecta de subsistente supposititaliter. At subsistens personaliter non est incapax omnis beatitudinis, & consequenter nec beatitudinis increatæ, dato, quod incapax non sit Sanctitatis increatæ; ideoque bona est hæc consequentia: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari: ergo capacitas ad sanctificari Sanctitate increata arguit capacitatem ad beatificari beatitudine increata.*

85
Prædicta ratio deducitur ex Ill. Godoy.

Hæc doctrina, quæ vera est, deducitur ex Ill. Godoy, qui disput. 21. num. 45. hæc habet: esse autem Divinitati coniunctum dupliciter contingere

potest, nempe, in virtute personæ, ut coniungitur cum Deo rationalis natura; & in vnitate suppositi, ut in natura irrationali contingeret; & primo modo affert secum indispensabiliter Sanctitatis effectum; secus autem secundo modo; ideoque stare potest capacitas ad esse Deificatum, quod primario à gratia vñionis præstatur, cum incapacitate ad effectum Sanctitatis, qui secundo provenit ab illa. Ex quibus sic arguo: licet hæc propositio sit falsa: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad effectum Sanctitatis;* hæc tamen est vera: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad effectum Sanctitatis:* ergo licet hæc propositio sit falsa: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad operandum operatione Divina;* hæc tamen est bona: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina:* ergo etiam hæc erit bona: *Capacitas ad sanctificari Sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.*

Probatur hæc consequentia: hæc propositio: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate suppositi arguit capacitatem ad operandum operatione Divina;* est falsa, quia in natura suppositi adest incapacitas ad omnem operationem intellectualem; & ideo hæc est vera: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina,* quia in natura personæ adest capacitas ad operationem intellectualem; atqui in natura capaci ad sanctificari adest capacitas ad beatificari: ergo si hæc est bona: *Capacitas ad esse Deificatum in vnitate personæ arguit capacitatem ad operandum operatione Divina;* hæc etiam erit bona: *Capacitas ad sanctificari Sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina.*

Secunda ratio, ex prima deducta, est: quia operari, vel non operari operatione Divina, non provenit à subsistentia, sed à natura, quam connotat, quod fateri debet Ill. Godoy, & fateretur in responsione; nam ratio, quare natura irrationalis, etiam si subsisteret subsistentia Divina, non posset operari operatione Divina; benè tamen natura rationalis, non potest provenire à subsistentia; cum eadem

Probatur consequentia

88

86

2. Ratio.

esset: ergo à natura proveniret. Vnde mirum non est, quod etiam si hæc propositio sit vera: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem operandi*; hæc sit falsa: *Capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem operandi operatione Divina*; cum natura, quæ capax est subsistendi subsistentia Divina, possit esse incapax operationis Divinæ. Coeterum oppositum contingit in sanctificabilitate, & beatificabilitate, cum capacitas ad utrumque à natura intellectuali proveniat; ideòque si hæc propositio est vera: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari*; hæc etiam vera sit: *Capacitas ad sanctificari Sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina*. Stat ergo maxima differentia inter consequentiam Ill. Godoy, & nostram.

Tertia ratio est: nam capacitas ad operandum, & capacitas ad subsistendum, non sunt convertibiles, præsertim in doctrina Ill. Godoy: nam licet hæc sit vera: *Capacitas ad subsistendum arguit capacitatem ad operandum*; hæc tamen est falsa: *Capacitas ad operandum arguit capacitatem ad subsistendum*; ut patet in natura accidentali, in qua est capacitas ad operandum, sine capacitate ad subsistendum, ut tenet, & probat Ill. Godoy *disput. 18. num. 135. & seqq.* Ex quo manifestè retorqueo instantiam ipsius: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum*: ergo *capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem ad operandum operatione Divina*; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari*: ergo *capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina*: ergo nulla est instantia Ill. Godoy.

Probat antecedens: quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum*: ergo *capacitas ad operandum probat capacitatem ad subsistendum*; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari*: ergo *capacitas ad beatificari arguit capacitatem ad sanctificari*; seu quod idem est: quod capacitas ad subsistendum, & capacitas ad operandum, non sunt convertibiles, non tollit, quod capacitas ad sanctificari, &

capacitas ad beatificari, sint convertibiles: ergo quod hæc consequentia sit falsa: *Capacitas ad subsistendum probat capacitatem ad operandum*: ergo *capacitas ad subsistendum subsistentia Divina probat capacitatem ad operandum operatione Divina*; non tollit, quod hæc sit bona: *Capacitas ad sanctificari arguit capacitatem ad beatificari*: ergo *capacitas ad sanctificari sanctitate Divina arguit capacitatem ad beatificari beatitudine Divina*.

§. V.

De peccato habituali levi.

Secunda conclusio: *Peccatum habituale leve potest de potentia Dei absoluta cum gratia unionis componi*. Hæc conclusio est contra Ill. Godoy n. 92. evidentèque ex dictis probatur primò: *Peccatum habituale grave potest de potentia Dei absoluta cum gratia unionis componi*, ut constat ex prima conclusione: ergo multò melius leve peccatum potest de potentia Dei absoluta cum gratia unionis componi. Confirmatur: nam tertia ratio, quam adducit Ill. Godoy pro sua conclusione tuenda, non solum probat, quod peccatum leve habituale nequeat de potentia Dei absoluta cum gratia unionis componi; verum etiam, quod potentia remota peccandi repugnet cum gratia unionis; sed hoc est falsum apud ipsum *cit. num. 32*: ergo falsum est etiam, quod peccatum habituale leve repugnet cum gratia unionis. Minor, & consequentia tenent. Maior probata manet *num. 42. & constabit §. sequenti*, ubi inter solvendum tertium argumentum Ill. Godoy, illud contra ipsum ex hoc capite retorquemus.

Sed quia Ill. Godoy ad oppositam conclusionem tuendam supponit *num. 119*, quod humanitas ratione unionis ad Verbum sanctificatur, hoc pro nunc permisso. Probat secundò conclusio: ideò peccatum leve habituale non potest de potentia absoluta cum gratia unionis componi, quia gratia unionis infinite humanitatem sanctificaret; sed est gratia unionis humanitatem sanctificet; non tamen illam infinite sanctificat: ergo peccatum habituale leve potest de potentia Dei absoluta cum gratia unionis componi. Consequentia est legitima. Maior est Ill. God. §. 4. & 5.

89

2. Conclus.
& eius 1.
probat.

Confirmat.

90

Probat. 2.

87

3. Ratio.

unde
improbatRetorqueo
instantiam.

88

Probat
antecedens.

unde

Minor autem, ad quam tota difficultas reducitur, probata manet retorsione assignata *num. 63.* & retorsione posita à *n. 65. usque ad 88.* Vltra hæc.

91
Minor probatur I.

Probatur primò ad hominem contra Ill. Godoy: quia estò Divina essentia, vt species intelligibilis, sit representatio comprehensiva Dei, & omnis obiecti intelligibilis; tamen mentibus beatorum vnita, non representat illi omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, sed tantum quidditivè. Similiter etiam Divina cognitio, etsi omne cognoscibile representet, Deumque comprehensivè, vnita tamen intellectui animæ Christi, non præbet illi omnium representationem, nec omne obiectum intelligentem constituit, sed tantum aliqua obiecta iuxta proportionem luminis, eiusque capacitatem: ergo paritèr: estò gratia vnionis humanitatem sanctificet; non tamen illam infinitè sanctificat. Consequentia paritate videtur certa. Antecedens pro secunda paritate est Ill. Godoy *tom. præcedent. disput. 31.* vbi docet, quod etiã si Christus intellexisset intellectione increata, Deum de facto non comprehendisset. Pro prima autem paritate est etiam ipsius *disput. citat. num. 12.*

92
Probat. 2.

Probatur secundò dicta minor: si gratia vnionis sanctificaret infinitè simpliciter humanitatem Christi, vt concedit Ill. Godoy *num. 103.* Christus esset magis Sanctus, quam quælibet persona Divina; sed hoc est absurdum, & repugnans: ergo estò gratia vnionis humanitatem sanctificet; non tamen illam infinitè sanctificat. Probatur maior: estò gratia vnionis sanctificaret infinitè simpliciter humanitatem Christi, Christo concedenda est gratia habitualis, vt per ipsam sanctificaretur; atqui hoc ipso Christus esset magis Sanctus, quam quælibet persona Divina: ergo si gratia vnionis sanctificaret infinitè simpliciter humanitatem Christi, Christus esset magis Sanctus, quam quælibet Divina persona. Consequentia est legitima. Maior est Concilij Tridentini. Minor autem probatur: hoc ipso, quod estò gratia vnionis sanctificaret humanitatem Christi infinitè simpliciter, Christo concedenda sit gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur, Christus esset Sanctus duplici sanctitate, nempe, sanctitate infinita simpliciter Deita-

tis, & sanctitate gratiæ habitualis; sed quælibet persona Divina vnica tantum Sanctitate, scilicet, Sanctitate Deitatis, est Sancta: ergo Christus esset magis Sanctus, quam quælibet persona Divina.

Ad hanc rationem, quam nullibi inveni in Ill. Godoy, potest respondere doctrina, quam habet in *præsenti numer. 101.* scilicet, Deum esse magis Sanctum, quam humanitas, cuius ratio est: nam vt Deus dicatur magis Sanctus, quam humanitas, sufficit, vt infinita Sanctitas Deo conveniat per essentiam, & à se; humanitati autem non per essentiã, & à se, sed per communicationem; hoc enim, quod est, habere Sanctitatem à se, & per essentiam, perfectio est in linea sanctitatis; vnde quamvis Deo, & humanitati conveniat sanctitas infinita, quia Deo convenit à se, humanitati autem non à se, sed ab alio, Deus in ratione Sancti excedit humanitatem.

93
Respondet Ill. Godoy.

Contra hanc tamen solutionem infurgo primò ad hominem contra Ill. Godoy: tota sanctitas infinita simpliciter totalitate formæ est communicata humanitati Christi: ergo totum suum effectum humanitati communicat. Sic ipse *num. 100.* & rationè tribuit: *Vt enim totum suum effectum communicet, sufficit totaliter formam communicari; quamvis, quia non communicatur totaliter, totalitate modi, non communicat hos effectus omni modo, quo potest illos communicare, vnde repugnantiam cum peccato veniali, & mortali humanitati communicat; non tamen eo modo, quo effectus istos communicat Deo, cui conveniunt à se, & per essentiam; humanitati verò, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio.* Infero nunc: ergo humanitas est æquè Sancta, ac Deus, æqualitate formæ, sanctitatem simpliciter infinitam tribuentis, & æqualitate effectus sanctitatis à forma tributi. Consequentia legitime infertur ex doctrina Ill. Godoy. Et licet hoc sit sufficiens absurdum, infero amplius: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus. Probatur hæc consequentia: vltra totam sanctitatem simpliciter infinitam totalitate formæ, in qua humanitas Christi est æquè Sancta, ac Deus, habet Christi humanitas sanctitatem gratiæ habitualis, iuxta Ill. Godoy: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus.

94
Impugn. I. solutio ad hom. contra ipsum.

95

Impugn. 2.

Insurgo secundo: modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in forma habita, nec in effectu illius: ergo modus habendi à se sanctitatem, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in sanctitate, & in effectu illius. Atqui humanitas Christi, licet à Deo, habet tantam Divinam sanctitatem, quam Deus habet à se, & ultra hanc habet sanctitatem gratiæ habitualis, quam Deus non habet: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus. Totum est verum si verum est antecedens. Probatur autem primò: modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, solum infert differentiam in modo habendi formam, & effectum illius; sed differentia in modo habendi formam, & effectum illius, non infert inæqualitatem in forma, & in illius effectu: ergo, &c.

Antecedens
probat. 1.

96

Secundo.

Probatur secundo idem antecedens: Deus habet à se, & per essentiam Deitatem; humanitas verò Christi habet Deitatem per communicationem ab alio, scilicet, à Deo; atqui hoc non tollit æqualitatem in Deitate, ut constat ex Symbolo Div. Athanasij: *Æqualis Patri secundum Divinitatem*: ergo, &c. Probatur tertio dictum antecedens: modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, modusque habendi ab alio, non est aliquid formæ, vel effectus: ergo modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in forma habita, nec in effectu illius.

Tertio.

97

Impugn. 3.

Insurgo tertio, & simul probatur antecedens supra positum: in tantum sanctitas Divina infinita simpliciter convenit humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, in quantum ipsi convenit Divinitas, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio; atqui, quod Divinitas conveniat humanitati Christi non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, non tollit æqualitatem in Deitate: ergo quod sanctitas Divina simpliciter infinita conveniat humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, non tollit æqualitatem in sanctitate, & consequenter verum est supra

positum antecedens. Consequentia est legitima. Minor de fide. Maior est Ill. Godoy asserentis, Deitatem esse formam, humanitatem Christi sanctificantem.

Insurgo quarto: si intellectio increata unita intellectui creato animæ Christi præberet illi omnem suum effectum, scilicet, omnium representationem, intellectus animæ Christi creatus esset æqualis in intelligendo cum intellectu Divino, similiterque de Divina essentia, ut est species intelligibilis, proportionem servata; atqui in illo casu intellectus Divinus haberet intellectionem à se, & per essentiam; intellectus creatus illam haberet non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio: ergo semel concessio, quod sanctitas Divina simpliciter infinita tribuit humanitati Christi totum suum effectum, ut concedit Ill. Godoy num. 100. humanitas Christi est æquæ Sancta, ac Deus, licet Deus habeat Divinam sanctitatem à se, & per essentiam; humanitas verò Christi non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, illam habeat. Consequentia est legitima. Minor est evidens. Maior est Ill. Godoy tom. præced. disput. 31. num. 12. ubi ad obviandam æqualitatem in intelligendo inter intellectum Divinum, & creatum, adhuc intellectionem increatam in illo casu unionis cum intellectu creato non præbere illi totum suum effectum, idemque asserit de essentia Divina unita intellectui creato per modum speciei intelligibilis. Pergo amplius: atqui ultra Divinam sanctitatem, in qua humanitas Christi esset æqualis Deo, haberet sanctitatem à gratia habituali tributam, ut concedit ipse: ergo humanitas Christi esset magis Sancta, quàm Deus.

Insurgo quinto: tota Divina sanctitas est humanitati Christi communicata juxta Ill. Godoy: ergo Deus non est magis Sanctus, quam humanitas Christi. Probatur consequentia: esse magis Sanctum, est habere maiorem Sanctitatem; sed si tota Divina Sanctitas est humanitati Christi communicata, Deus non haberet maiorem Sanctitatem, quam humanitas Christi: ergo Deus non est magis Sanctus, quam humanitas Christi. Consequentia est legitima. Minor pa-

98

Impugn. 4.
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

99

Impugn. 5.

tes; alioquin humanitati Christi non esset tota Divina Sanctitas communicata. Maior autem patet per exempla sequentia. Primo: esse magis beatum est habere maiorem beatitudinem. Secundo: esse magis album est habere maiorem albedinem, & ex his in infinita, quin ad hoc faciat, formam habere à se, vel ab alio: ergo esse magis Sanctum est habere maiorem Sanctitatem. Summo nunc: atqui humanitas Christi ultra Sanctitatem Divinam, in qua non est minus Sancta, quam Deus, habet Sanctitatem præstitam à gratia habituali, quam Deus non habet iuxta Ill. Godoy: ergo humanitas Christi, stante opinione illius, est magis Sancta, quam Deus.

100
Impugn. 6.
Insurgo sexto: Sanctitas Divina simpliciter infinita, convenit humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, Deo autem convenit à se, & per essentiam iuxta Ill. Godoy. Quæro nunc: vel hic modus conveniendi dictam Sanctitatem Deo, est aliquid Sanctitatis, vel non? Si primum: ergo tota Divina Sanctitas non est humanitati Christi communicata, quod est contra Ill. Godoy num. 100. Probatur consequentia: modus, quo Deo convenit Sanctitas, est aliquid Sanctitatis, sed hic modus non est humanitati Christi communicatus: ergo non est humanitati Christi communicata tota Sanctitas Divina. Si secundum: ergo modus conveniendi ab alio, non tollit æqualitatem in Sanctitate cum Deo, quod est nostrum intentum. Atqui ultra æqualitatem cum Deo in Sanctitate Divina, habet humanitas Christi Sanctitatem, quam Deus non habet, scilicet, Sanctitatem gratiæ habitualis: ergo humanitas Christi, opinione Ill. Godoy ar. tenta, est magis Sancta, quam Deus.

101
Si dicas pro Ill. Godoy.
Contra 1.
Contra 2.
Si autem ob has replicas recurras pro ipso dicendo: rationem nostram convincere tantum, Christum esse magis Sanctum extensivè; non vero intensivè. Contra primo: nam hoc est absurdum. Contra secundo: Christum per te est magis Sanctus extensivè, quam quælibet Persona Divina: ergo absolute dicendus est Christus magis Sanctus, quam quælibet Persona Divina. Atqui hoc absurdum, & omnino repugnans est: ergo ruit respon-

sio. Consequentia, in qua vnice est difficultas, probatur: maior Sanctitas extensiva sufficit ad hoc, vt absolute dicatur: Christum esse magis Sanctum, quam quælibet Persona Divina; sed Christus per te est extensivè magis Sanctus, quam quælibet Persona Divina: ergo absolute dicendus est Christus magis Sanctus, quam quælibet Persona Divina. Probatur maior: Maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolute dicatur: vnum esse magis perfectum, quam aliud: ergo maior Sanctitas extensiva sufficit ad hoc, vt absolute dicatur: Christum esse magis Sanctum, quam quælibet Persona Divina.

102
Probatur antecedens: ideo iuxta communem Scotistarum sententiam, & frequentiore Thomistarum opinionem, quam sequitur Ill. Godoy, & ex D. August. & D. Thoma, vt veram supponit, tom. præced. disput. 21. num. 121. relationes Divinæ nullam dicunt perfectionem, nec extensivam, quia absolute veræ essent hæc propositiones: *Pater est perfectior Filio, & Spiritu Sancto: Filius, & Spiritus Sanctus sunt perfectiores Patre*, quam maiorem perfectionem deducunt ex eo, quod aliqua perfectio extensivè daretur in vna Persona, quæ non daretur in alia: ergo maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolute dicatur: vnum esse magis perfectum: quam aliud.

103
Probatur tertio conclusio, permissio etiam, quod humanitas Christi sanctificetur ratione vnionis ad Verbum: supposito namque, quod Christi humanitas ratione vnionis ad Verbum sanctificetur, ab illa sanctificatur, non ex natura rei, sed ex ordinatione Divina, vt gratia habitualis sanctificat: ergo inter vnionem hypostaticam, & peccatum habituale leve non datur oppositio ex natura rei, nec essentialis: ergo vnio hypostatica est de potentia Dei absoluta componibilis cum peccato habituali levi. Hæc probatio est in nostris principijs evidens, & patet per dicta num. 25.

§. VI.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

104
Arguit. 1.
Contra istam conclusionem arguit primo Ill. Godoy num. 92 nam peccatum leve existens in hu-

manitate vnita non posset, non denominare suppositum Divinum, vt in illa subsistens: sed talis denominatio repugnat Divino supposito: ergo implicat peccatum leve in humanitate vnita. Secundo: nam peccatum leve habituale dependet in conservari ab actu peccaminoso, vt moraliter existente; sed moralis existentia peccati actualis præcedentis repugnat in humanitate assumpta; alias supposito Divino moraliter tribueretur, quod implicat: ergo omnino est impossibile peccatum leve habituale in humanitate assumpta. Quæ argumenta fufius *infra* prosequi promittit.

Secundò.

105
Respondeo
ad 1.

Respondeo ad primum concessa maiori de denominatione extrinseca peccatoris, negando minorem; nam si per denominationem extrinsecam dicitur Verbum, vt in humanitate subsistens, absque illius indecentia flagellatum, Crucifixum, mortuum, &c. quod totum repugnat directè Verbo Divino; poterit etiam absque indecentia denominari peccator. Quam responsionem fufius *infra* prosequemur. Ad secundum respondeo concessa maiori, negando minorem; vt enim conclusionem tertiam monstrabimus, non implicat actuale peccatum grave in humanitate assumpta, eo, quod Verbum in illud speciali influxu influeret: ergo ob hanc rationem multo minus repugnabit peccatum habituale leve. Quam responsionem fufius etiam *infra* prosequemur.

Ad 2.

106
Arguit. 3.Maiorem
probat. 1.

Arguit tertio *num. 93*: nam peccatum leve non stat cum Deitate, vt infinite sanctificante; sed gratia vnionis infinite humanitatem sanctificat: ergo implicat peccatum leve in humanitate vnita. Consequentia, tenet. Minor supponitur, & maior ostenditur primò: Deitas, vt infinite humanitatem Sanctificans, reddit illam infinite gratam Deo, & obiectum dignum complacentia Divina infinita; sed implicat esse dignam complacentiam infinita, & esse in peccato levi: ergo implicat leve peccatum cum Deitate, vt sanctificante infinite. Secundo: nam Deitas, vt infinite humanitatem sanctificans, reddit illam dignam omni complacentia Divina, peccatum autem leve reddit subiectum, cui inest, aliqua displicentia dignum; sed implicat esse simul dignum omni

Secundò.

complacentia, & aliqua displicentia dignum: ergo implicat leve peccatum cum Deitate, vt infinite sanctificante.

Tertio: nam Deitas, vt sanctificans infinite, constituit humanitatem dignam gloriæ, vt statim conferenda; peccatum autem leve reddit subiectum, cui inest, dignum dilatione gloriæ, & indignum collationis gloriæ statim conferenda; sed implicat simul esse dignum gloriæ, vt statim conferenda, & indignum collationis gloriæ statim, non minus, quam esse dignum, & indignum gloriæ absolute: ergo implicat simul Deitas, vt infinite sanctificans, & peccatum leve habituale in humanitate assumpta.

Quarto: nam Deitas sub conceptu infinite sanctitatis essentialiter repugnat, non solum cum peccato gravi, sed etiam cum peccato levi; vnde Deo, quia infinite Sanctus est, vtrumque peccatum repugnat essentialiter; sed non est, cur hanc repugnantiam non præstat humanitati, etiam illi non conveniat per essentiam, sed solum per communicationem, nec est ratio, quare essentialis repugnantia cum peccato veniali involvat modum conveniendi per essentiam: ergo Deitas, vt sanctificans infinite humanitatem essentialiter repugnat cum peccato veniali; & consequenter implicat peccatum leve cum Divinitate, vt infinite sanctificante.

Denique probatur maior: Deitas, vt infinite humanitatem sanctificans, præstat illi Sanctitatem, qua maior extra Deum esse, nec intelligi potest; sed sanctitas essentialiter repugnans cum peccato levi habituali, maior est sanctitate, cum solo peccato gravi essentialiter pugnantem: ergo Deitas, vt infinite humanitatem sanctificans, essentialiter cum peccato levi pugnat; & consequenter cum illo nequit in humanitate componi.

Respondeo primò ad argumentum negando minorem, quam probare poterat Ill. Godoy, sicut probat maiorem, cuius veritas nobis non officit ad nostram conclusionem tuendam. Ratio autem, quare minorem negamus, est, quia falsum, & omnino falsum est, quod per vnionem ad Verbum humanitas infinite sanctificetur, vt claret ex veriori Theologo-

107
Tertio.108
Quarto.109
Quinto.110
Respond. 1.
ad argum.

Respond. 2.

rum sententia, quam latè firmavimus, & defensavimus *tom. preced. disp. 21. per totam.* Respondeo secundò distinguendo maiorem: peccatum leve non itat cum Deitate, vt infinitè sanctificante ex natura rei omitto maiorem; vt infinitè sanctificante ex ordinatione Divina subdistinguo: non itat cum Deitate de facto, & de lege ordinaria concedo maiorem; de potentia Dei absoluta nego maiorem, & distinguo minorem: sed gratia vnionis infinitè humanitatem sanctificat ex ordinatione Divina omitto minorem; ex natura rei nego minorem; & distinguo consequens: ergo implicat de facto, & lege ordinaria, peccatum leve in humanitate vnita concedo consequentiam; de potentia Dei absoluta, nego consequentiam. Solutio patet per dicta *num. 24.*

111
Ad 1. prob.

Et iuxta hanc solutionem, ad primam maioris probationem distinguo maiorem: Deitas, vt infinitè humanitatem sanctificans ex Divina ordinatione, reddit illam infinitè gratiam Deo, & obiectum dignum complacentia infinita concedo maiorem; vt sanctificans ex natura rei, nego suppositum, concedo minorem, & distinguo consequens distinctione, & subdistinctione data *numer. anteced.* quomodo distinguenda est maior cum consequentia secundæ, & tertiæ probationis.

Ad 2. & 3.

112
Ad 4.

Ad quartam probationem distinguo maiorem: Deitas sub conceptu sanctitatis ex natura rei essentialitè repugnat, non solum cum peccato gravi, sed etiam cum peccato levi concedo maiorem; sub conceptu sanctitatis ex Divina ordinatione, nego maiorem, & minorem. Ratio autem, cur prædictam repugnantiam non præstat humanitati, est, quam assignavimus *num. 89.* Et permisso, quod gratia vnionis humanitatem sanctificet, ratio est, quia infinitè non sanctificat illam ex dictis *num. 90. & seqq.* Et deniquè permisso etiam, quod infinitè humanitatem sanctificet, ratio repugnantia est, quia humanitatem ex natura rei non sanctificat, iuxta dicta *num. 103.* Per quod patet ad probationem imbibitam: ratio enim, cur Deo vtrumque peccatum essentialitè repugnet, est triplex. Prima: quia est infinitè Sanctus. Secunda:

quia est Sanctus sanctitate ex natura rei. Tertia, & fortè principalior est: quia Divina voluntas est infinitè recta, & ex se indefectibilis, quorū nullū in nostra opinione habet humanitas Christi ratione vnionis ad Verbum.

Ad quintam deniquè probationem, quidquid sit de maiori, & in quocumque sensu admitatur, respondeo distinguendo minorem: sed sanctitas essentialitè repugnans cum peccato levi habituali, maior est sanctitate cum solo peccato gravi essentialitè pugnante, & est possibilis extra Deum nego minorem; & est extra Deum repugnans concedo minorem, & nego consequentiam. Quia tamen hoc argumentum Ill. Godoy fundatur in eo, quod humanitas ratione vnionis ad Verbum infinitè sanctificetur, quod plures involuit falsitates, patienter ferto, vt cognoscantur, & Scoti opinio gratior appareat, retortiones sequentes.

113
Ad 5.

Retorqueo primò argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: humanitas Christi non est Sancta sanctitate increata: ergo multo minus erit infinitè Sancta sanctitate increata. Probatur antecedens: solus Deus potest esse Sanctus sanctitate increata; sed Christi humanitas Verbo hypostatice vnita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, vt Dea affecta non fuerit: ergo ex vi talis vnionis non est Sancta sanctitate increata. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior probatur: sanctitas increata est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens, soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo sanctitas increata solum potest convenire, cui convenit esse Deum: ergo solus Deus est Sanctus sanctitate increata. Consequentia est legitima. Minor apparet inquacumque proprietate cuiuscumque naturæ, vltra quod est expressa doctrina Ill. Godoy, & D. Thomæ. Maior autem notoria videtur, & manet tripliciter probata *num. 43.*

114
Retorq. 1

Retorqueo secundò argumentum, etiam ad hominem contrall. Godoy, dato, quod humanitas Christi sit Sancta sanctitate increata, esto gratia vnionis humanitatem sanctificet;

115
Retorq. 2.

non tamen illam infinite sanctificat: ergo ruit tota argumenti doctrina. Probatur antecedens: estò Divina essentia, vt species intelligibilis, sit representatio comprehensiva Dei, & omnis obiecti intelligibilis; tamen mentibus beatorum vnita, non representat illi omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, sed tantum quidditativè. Similiter etiam Divina cognitio, etsi omne cognoscibile representet, Deumque comprehensivè, vnita tamen intellectui animæ Christi, non præbet illi omnium representationem, nec omne obiectum intelligentem constituit, sed tantum aliqua obiecta iuxta proportionem luminis, eiusque capacitatem: ergo pariter: estò gratia vnionis humanitatem sanctificet, non tamen illam infinite sanctificat. Consequentia paritate videtur certa. Antecedens pro secunda paritate est Ill. Godoy *tom. præced. disput. 31. vbi docet, quod etiam si Christus intellexisset intellectione increata, Deum de facto non comprehendisset. Pro paritate prima etiam est ipsius disput. citat. num. 12.*

116
Retorq. 3

Retorqueo tertio: si gratia vnionis sanctificaret infinite humanitatem Christi, Christus esset magis Sanctus, quamquælibet persona Divina; sed hoc est falsum, & magnum absurdum, quod horret auditus: ergo humanitas ratione vnionis ad Verbum non sanctificatur infinite, & consequenter ruit fundamentum Ill. Godoy. Probatur maior: estò gratia vnionis sanctificaret infinite humanitatem Christi, Christo concedenda est gratia habitualis, vt per ipsam sanctificaretur; sed hoc ipso Christus esset magis Sanctus, quamquælibet persona Divina: ergo si gratia vnionis sanctificaret infinite humanitatem Christi, Christus esset magis Sanctus, quamquælibet persona Divina. Consequentia est legitima. Maior est Concilij Tridentini. Minor autem probatur: hoc ipso, quod estò gratia vnionis sanctificaret humanitatem Christi infinite, Christo concedenda sit gratia habitualis, vt per ipsam sanctificetur, Christus esset Sanctus duplici sanctitate, nempe, sanctitate infinita Deitatis, & sanctitate gratiæ habitualis; sed quælibet persona Divina vnica tantum sanctitate, scilicet, sanctitate Deitatis, est Sancta: ergo Christus es-

set magis Sanctus, quamquælibet persona Divina. Quod ad hanc retorsionem responderi potest, impugnatum manet à num. 93. vsqua ad 103.

Retorqueo quarto ad hominem etiam contra Ill. Godoy: peccatum leve non stat cum Deitate, vt infinite sanctificante; sed nec etiam potentia remota peccandi stat cum Deitate, vt infinite sanctificante: ergo si peccatum leve implicat in humanitate assumpta, repugnabit etiam in illa potentia remota peccandi, quod est contra Ill. Godoy num. 32. citat. Maior est ipsius. Minor verò probatur: Deitas sub conceptu infinitæ sanctitatis essentialiter repugnat cum potentia remota peccandi: ergo nec potentia remota peccandi stat cum Deitate, vt infinite sanctificante. Probatur antecedens: Deitas sub conceptu infinitæ sanctitatis essentialiter repugnat cum peccato gravi, & levi: ergo Deitas sub conceptu infinitæ sanctitatis essentialiter repugnat cum potentia remota peccandi. Antecedens est Ill. Godoy num. 95. Consequentia probatur: ideo Deitas sub conceptu infinitæ sanctitatis essentialiter repugnat cum peccato levi, & gravi, quia Deo, quia infinite Sanctus est, vtrumque peccatum repugnat; sed Deo, quia infinite Sanctus est, repugnat potentia remota peccandi: ergo Deitas sub conceptu infinitæ sanctitatis essentialiter repugnat cum potentia remota peccandi. Consequentia est legitima. Minor est innegabilis. Maior autem est Ill. Godoy num. 95. citat.

§. VII.

Actuale peccatum posse inhumanitate cum vnione ad Verbum componi, probatur.

SIt tertia conclusio: Non implicat, humanitatem Verbo unitam delinquere peccato actuali cum vnione composito. Hæc Scotica conclusio est contra Ill. Godoy num. 124. vbi numerat censuras in Scoti opinionem omnino Catholicam, ab aliquibus fulminatas. Sed ab his pro nunc abstineo, & conclusione sexta a tot iniurijs liberabitur Doctor, & quæ sit opinio ab illis immunior, declarabit ratio, sociata authoritatibus Concilij Constantinopolitani, & Sanctorum Patrum, nempe, Hieronymi, Ambrosij, & Augusti-

117
Retorq. 4.

118
3. Conclus.

ni. Hoc itaque promissio, & in conclusione dicta adimplendo.

119
*Probat. 1.
 conclus. destr. fundamēt.
 Ill. Godoy.*

Probat. primò conclusio, destr. fundamētum Ill. Godoy: cui namquē non repugnat peccatum habituale, nec repugnat actuale, & eadem non repugnantia; sed humanitati vnitæ non repugnat essentialitèr peccatum habituale, siuè grave, siuè leve in sensu composito vnionis: ergo nec illi repugnat essentialitèr quodvis actuale peccatum, & consequentèr non implicat, humanitatem Christi peccare peccato actuali cum vnione ad Verbum composito. Consequentia tenet. Minor constat ex prima, & secunda conclusione. Maior autem ostenditur: cui repugnat peccatum habituale, repugnat etiam actuale: ergo cui non repugnat peccatum habituale, nec repugnat actuale. Consequentia est paritate notoria. Antecedens verò probatur. Primò: nam peccatum actuale, & peccatum habituale sunt eiusdem speciei, & eisdem habēt effectus; sed quod peccatū habituale subiecto ratione, alicuius formæ repugnet, oritur ex illius prædicatis essentialibus, & ex effectibus, quos subiecto communicat: ergo cui repugnat peccatum habituale, actuale etiam necessario repugnat. Secundò: nam peccato actuali est essentialitèr annexum peccatum habituale: ergo non stat essentialis repugnantia alicuius formæ cum peccato habituali sine repugnantia essentiali cum actuali peccato.

Confirm. 1.

Confirmatur, & explicatur primò: ideò vnio hypostatica non repugnat cum peccato, siuè gravi, siuè levi habituali, quia nec ex natura rei, nec essentialitèr opponitur cum peccato habituali, siuè gravi, siuè levi; sed vnio hypostatica, nec ex natura rei, nec essentialitèr opponitur cum peccato actuali, siuè gravi, siuè levi: ergo vnio hypostatica non pugnat cum peccato actuali, siuè gravi, siuè levi. Probat. minor: vnio hypostatica non opposita ex natura rei, & essentialitèr cum peccato habituali, siuè gravi, siuè levi, nequit esse opposita ex natura rei, & essentialitèr cum peccato actuali, siuè gravi, siuè levi; alioquin peccatum actuale, & habituale non essent eiusdem speciei, nec eisdem haberent effectus, quod est contra Ill. Godoy numer. 138; atqui vnio

hypostatica, nec ex natura rei, nec essentialitèr opponitur peccato habituali, siuè gravi, siuè levi: ergo vnio hypostatica, nec ex natura rei, nec essentialitèr opponitur cum peccato actuali, siuè gravi, siuè levi.

Confirm. 2.

Urgetur, & explicatur secundò: ideò vnio hypostatica non opponitur essentialitèr cum peccato habituali, siuè gravi, siuè levi, quia vnio hypostatica non est forma sanctificans, & quando esset talis forma, esset tantum sanctificans ex Divina ordinatione; atqui hæc ratio æquali efficacia militat in peccato actuali, siuè gravi, siuè levi: ergo vnio hypostatica non pugnat essentialitèr cum peccato habituali, siuè gravi, siuè levi, pugnare nequit essentialitèr cum peccato actuali, siuè gravi, siuè levi. Quod ad hanc nostram probationem potest Ill. Godoy respondere, declaratum, & impugnatum, simulque reuersum manet per vtriusque dicta, quin aliud videatur addendum.

120

*Probat. 2.
 conclus. destr. fundamēt.
 Ill. Godoy.*

Probat. secundò conclusio, destr. fundamētum Ill. Godoy, cuius ratio est: specialis obligatio Verbi ad regendam humanitatem nequit impedire in Deo rationem causæ primæ: ergo nequit impedire ius offerendi concursum indifferentem, & sine culpa permittendi peccata in creatura rationali: ergo si humanitas assumpta peccaret, peccatum illius non tribueretur Verbo. Antecedens est certum: quia specialis obligatio Verbi ad regendam humanitatem nequit impedire, quod est essentialitèr Deo; sed esse causam primam est Deo essentialitèr: ergo specialis obligatio Verbi ad regendam humanitatem, nequit impedire in Deo rationem causæ primæ. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: ideò specialis obligatio Verbi ad regendam humanitatem, nequit impedire in Deo rationem causæ primæ, quia esse primam causam est Deo essentialitèr; atqui ius offerendi concursum indifferentem, & sine culpa permittendi peccata in creatura rationali, est Deo essentialitèr: ergo specialis obligatio Verbi ad regendam humanitatem nequit impedire ius offerendi concursum indifferentem, & sine culpa permittendi peccata in creatura rationali. Maior cum consequentia tenet. Minor probatur: ius offerendi

concursum indifferentem, & sine culpa permittendi peccata in creatura rationali, est essentiale primæ causæ; sed quod est essentiale primæ causæ, est Deo essentiale: ergo ius offerendi concursus indifferentem, & sine culpa permittendi peccata in creatura rationali, est Deo essentiale. Consequentia legitima apparet. Minor est certa. Maior est Ill. Godoy num. 177.

121
Alia ratio
destructiva
eiusdem
fundam.

Secunda ratio destructiva fundamenti prædicti est: tunc peccatum, ab humanitate assumpta commissum, Verbo specialiter tribueretur, ob obligationem regendi, & gubernandi humanitatem, quando peccatum proveniret ex defectu gubernationis: sed dato, quod humanitas assumpta peccaret, peccatum non proveniret ex defectu gubernationis Verbi: ergo peccatum, ab humanitate assumpta commissum, Verbo specialiter non tribueretur, & consequenter ruit fundamentum Ill. Godoy. Maior est certa: nam tunc submersio Navis Nauclero ad illam gubernandam obligato attribuitur, quando provenit ex defectu gubernationis, ut ait Ill. Godoy num. 172. Minor probatur: Verbum, utpotè, Deus, præberet humanitati assumptæ auxilia sufficientissima ad peccata vitanda; sed hoc ipso peccatum humanitatis assumptæ non proveniret ex defectu gubernationis Verbi: ergo dato, quod humanitas assumpta peccaret, peccatum non proveniret ex defectu gubernationis Verbi. Probatur minor: hoc ipso, quod Deus præbeat creaturæ rationali auxilia sufficientissima ad vitanda peccata, peccatum creaturæ rationalis non provenit ex defectu gubernationis Dei: ergo pariter: hoc ipso, quod Verbum, utpotè, Deus, tribueret humanitati assumptæ auxilia sufficientissima ad vitanda peccata, peccatum humanitatis assumptæ non proveniret ex defectu gubernationis Verbi.

122
Probat. 3.
cōclus. des-
truend. 3.
fundamēt.
Ill. Godoy.

Probatur tertio conclusio, destruendo tertium fundamentum Ill. Godoy: ideo iuxta ipsum num. 190. nullum actuale peccatum potest in humanitate cum unione ad Verbum componi, quia si posset humanitas assumpta peccare, peccato cum unione composito, posset suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate, peccare; sed hoc est falsum: ergo pec-

catum actuale potest cum unione ad Verbum in humanitate componi. Probatur minor: ideo iuxta ipsum cit. si posset humanitas assumpta peccare, peccato cum unione composito, posset suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate, peccare, quia *actiones sunt suppositorum, & subsistentium*, ut commune docet axioma; atqui hoc est in nostra opinione falsum, & falsum in rei veritate, ut declarabimus §. 11: ergo falsum est, quod si humanitas assumpta posset peccare, peccato cum unione composito, posset suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate, peccare.

Urgetur specialiter ad hominem contra ipsum: humanitate peccante, hæc propositio: *Deus peccat*, esset vera per communicationem idiomatum absque indecentia morali Dei, & offensione aurium Catholicorum: ergo humanitate peccante, hæc propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est cum maiori proprietate vera, absque indecentia morali Verbi, & offensione aurium Catholicorum. Antecedens est Ill. Godoy num. 233. Consequentia probatur: humanitate peccante, ista propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est cum maiori proprietate vera, quam hæc: *Deus peccat*; at qui humanitate peccante, hæc propositio: *Deus peccat*, esset vera per communicationem idiomatum absque indecentia morali Dei, & offensione aurium Catholicorum: ergo humanitate peccante, hæc propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est cum maiori proprietate vera, absque indecentia morali Verbi, & offensione aurium Catholicorum. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est doctrina Ill. Godoy num. cit. & ultra probatur: in hac propositione: *Christus peccat*, Christus non supponit pro natura Divina, sed pro supposito, ut subsistente in humanitate: ergo, &c.

Probatur quarto conclusio: si repugnaret, humanitatem Christi peccare peccato actuali cum unione ad Verbum composito, esset, vel quia unio hypostatica est forma formaliter humanitatem sanctificans, vel quia necessario, & indispensabiliter habet annexam beatitudinem, quæ necessario excludit peccatum; atqui

Urgetur spe-
cialiter ad
hom. contra
ipsum.

123
Probat. 4.
conclusio.

utrumque est falsum, & quando verum esset utrumque, primum non sufficit, vt humanitas Christi de potentia Dei absoluta peccare non possit peccato actuali cum vnione ad Verbum composito; & secundum non tollit, quod peccare posset peccato destruyente vnionem: ergo non repugnat, humanitatem Christi peccare peccato actuali cum vnione ad Verbum composito, vera opinione supposita; & falsa permissa, non repugnat peccare peccato destruyente vnionem, quorum primum est contra Ill. Godoy in 3. *conclusione*, & secundum contra ipsum in *conclusione* 4. Maior cum consequentia tenet. Minor autem duplicem habet partem, absolutam vna, & aliam ex suppositione, & quoad vtramque probanda est.

124
Prob. min.
pro 1. part.

Probatur minor pro parte absoluta, scilicet, quod utrumque sit falsum: Vnio hypostatica, nec est forma formaliter humanitatem sanctificans, nec necessario, & indispensabiliter habet annexam beatitudinem: ergo utrumque est falsum. Antecedens pro prima parte sufficienter ex vtriusque dictis manet ostensum, & cumulatè explosum est *tom. preced. disp. 21. per totam*. Pro secunda autem parte conceditur antecedens ab Ill. Godoy *disput. 44. num. 6. & 7.* vltra quod probatur primò: nam licet vnio hypostatica sit defacto, & de lege ordinaria vnita cum beatitudine, absolutè loquendo, potest ab ea separari: ergo vnio hypostatica necessario, & indispensabiliter non habet annexam beatitudinem. Probatur antecedens: absolutè loquendo, potuit vnio hypostatica in natura irrationali fieri, quæ incapax est beatitudinis: ergo vnio hypostatica, absolutè loquendo, potest à beatitudine separari.

Minor pro
2. part. probatur.

Antecedens
probat. 1.

Secundò.

Probatur secundò dictum antecedens: illa dicuntur necessario, & indispensabiliter connexa, quæ vel realiter identificantur, vel sunt correlativa, vel vnum est causa intrinseca, & necessaria alterius, vt sunt partes vnite respectu totius; atqui vnio hypostatica, & beatitudo, nec realiter identificantur, nec sunt correlativa, nec vna est causa intrinseca alterius: ergo vnio hypostatica necessario, & indispensabiliter non habet annexam beatitudinem. Maior est certa. Minor pro

prima, & secunda parte patet ex terminis. Pro tertia probatur: si vnio hypostatica esset intrinseca causa beatitudinis, vel beatitudo esset causa intrinseca vnionis hypostaticæ, nec vnio hypostatica posset reperiri sine beatitudine, quod est falsum; alioquin non posset assumi natura irrationalis; nec beatitudo reperiri posset sine vnione hypostatica, quod magis falsum est, vt constat in omnibus beatis præter Christum: ergo nec vnio hypostatica est causa intrinseca beatitudinis, nec beatitudo est intrinseca causa vnionis hypostaticæ. Consequentia est legitima. Antecedens verò constat in partibus vnitis respectu totius.

Probatur tertio antecedens supra positum: beatitudo animæ non est necessario, & indispensabiliter connexa cum beatitudine corporis: ergo pariter: vnio hypostatica necessario, & indispensabiliter non habet annexam beatitudinem animæ. Antecedens patet: alioquin beatitudo corporis nec de potentia Dei absoluta posset impediri, stante animæ beatitudine, quod falsum in Christo apparet. Consequentia probatur: ideo vnio hypostatica necessario, & indispensabiliter haberet annexam beatitudinem animæ, quia animæ beatitudo, quasi connaturaliter consequitur ad vnionem hypostaticam; sed etiam corporis beatitudo, quasi connaturaliter consequitur ad beatitudinem animæ: ergo si beatitudo animæ non est necessario, & indispensabiliter connexa cum beatitudine corporis, nec vnio hypostatica necessario, & indispensabiliter habet annexam beatitudinem animæ. Per hoc itaque probata manet minor pro parte absoluta posita *num. 123.* scilicet, quod utrumque sit falsum, nempe, quod vnio hypostatica nec sit forma formaliter humanitatem sanctificans, nec necessario, & indispensabiliter habeat annexam beatitudinem.

125
Tertio.

Pro parte verò ex suppositione, scilicet, quando verum esset utrumque, primum non sufficit, vt humanitas Christi de potentia Dei absoluta peccare non possit peccato actuali cum vnione ad Verbum composito, & secundum non tollit, quod peccare posset peccato destruyente vnionem; probatur minor: dato, quod vnio hypostatica esset forma forma-

126
Probatur
minor pro
2. part.

litter sanctificans, sanctificaret, non ex natura rei, sed ex ordinatione Divina, uti gratia habitualis: & dato, quod haberet necessario, & indispensabiliter annexam beatitudinem, non magis unio hypostatica excluderet peccatum actuale, ac excludit ipsa beatitudo; atqui quod unio hypostatica sit forma sanctificans ex Divina ordinatione, non excludit de potentia Dei absoluta peccatum actuale cum unione hypostatica compositum, nec quod excludat peccatum actuale, sicut excludit beatitudo, convincit exclusionem peccati actualis destructivi unionis de potentia Dei absoluta: ergo, &c. Prima pars minoris probata manet *num. 25*. Secunda vero probatur: beatitudo solum de facto, & de lege ordinaria, non autem de potentia Dei absoluta, excludit actuale peccatum, ut *tom. sequent. dicemus* contra Ill. Godoy: ergo quod unio hypostatica excludat actuale peccatum, sicut excludit beatitudo, non convincit exclusionem peccati actualis destructivi unionis de potentia Dei absoluta.

Probatut quintò conclusio: cui essentialiter non repugnat potentia proxima ad actualiter peccandum, illi non repugnat actuale peccatum; sed humanitati unitæ non repugnat essentialiter potentia proxima ad actualiter peccandum in sensu composito unionis: ergo nec illi essentialiter repugnat peccatum actuale cum unione compositum. Consequentia est manifesta. Minor constabit conclusione sequenti. Maior autem probatur primò: cui essentialiter repugnat potentia proxima ad actualiter peccandum, illi repugnat actuale peccatum: ergo pariter è contra: cui essentialiter non repugnat potentia proxima ad actualiter peccandum, illi non repugnat actuale peccatum. Probatut secundò: cui essentialiter repugnat actuale peccatum, illi repugnat essentialiter potentia proxima ad actualiter peccandum, & è contra, cui essentialiter non repugnat actuale peccatum, illi non repugnat essentialiter potentia proxima ad actualiter peccandum: ergo cui essentialiter non repugnat potentia proxima ad actualiter peccandum, illi non repugnat actuale peccatum.

Probatut denique conclusio: nam opposita sententia. nec firmum habet

fundamentum in ratione, neque in Conciliorum, & Patrum autoritate. Non in ratione: tum: quia destructæ manent *num. 120. & seqq.* Tum: quia faciliter solvuntur, ut videbitur §. 10. Tum denique: quia in ratione assignanda pro statuenda Christi impeccabilitate de potentia Dei absoluta, aduersarij non conveniunt, & unusquisque suam profert, alias confutando, ut in ipsis apparet. Non in Conciliorum, & Patrum autoritate, nam Patrum autoritates facillimè iuxta mentem ipsorum, & veritatem explicantur; Autoritas verò Concilij, quam adducit Ill. Godoy, partim non est Concilij, & quod est Concilij, stat expressè pro Scoti opinione, ut constabit §. 9.

§. VIII.

Argumentum Ill. Godoy, ex Patribus desumptum, solvitur.

Ill. Godoy *num. 125.* arguit primò ex Patribus, passim asserentibus, Christum, non solum ut Deum, verum etiam ut hominem fuisse impeccabilem. Ita Dionisius Alexandrinus in *Epist. contra Paulum Samosetanum circa finem. D. Augustin. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 11. lib. 2. de Incarnatione. Verbi circa medium, & propè finem, lib. 1. de Prædestinatione Sanct. cap. 15. & in Enchirid. cap. 40.* Athanasius *lib. de Incarnat. Christi parum à principio.* Epiphanius in *Anchirato longè post medium.* Gregorius Naziancenus *Oratione 36. quæ est 4. de Theologia, numer. 46.* Origenes *lib. 2. Periarcho. cap. 6. post medium.* Hylarius *lib. 1. de Trinitate circa medium, explicans illud ad Romanos 8. In similitudinem carnis peccati, quorum verba referunt, & doctè ad nostrum intentum ponderant Recentiores in præfenti, & fusius Pater Vazquez disp. 61. cap. 3. ubi ex illis colligit, sententiam contrariam esse aliqua nota dignam; sed si Christus non peccasset, ad peccandum tamen potentiam haberet, falso à Patribus impeccabilis diceretur: ergo iuxta Ecclesiæ Patres humanitas Verbo unita, nedum non peccavit, verum nec peccare potuit in sensu composito unionis.*

Hoc argumentum, ex Patribus deductum, multas, & optimas solutiones habet iuxta mentem ipsorum Patrū. Respondeo itaque primò:

129
Arguit. 1.
ex Patrib.

130
Respond. 1.
ad argum.

127
Probat. 5.
conclusio.

128
Prob. denique
conclusio.

*Responso
hec est PP.
conformis.*

Hieronym.

Ambrosius.

Patres debere intelligi de impeccabilitate creata, & inferioris ordinis ad Divinam, & increatam, quæ est impeccabilitas secundum quid, ad distinctionem impeccabilitatis Divinæ, quæ simpliciter, & absolute est talis. Et hæc est communis sententia Patrum, ut claret ex D. Hieronymo tractatu de Filio Prodigio, dicente: *Solus Deus est, in quem non potest cadere peccatum.* Patet etiam ex Div. Ambrosio lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 19. ubi hæc habet: *Omnia creatura peccatorum capacitate obnoxia est; sola autem est a peccato immunis, & immaculata sempiterna Divinitas.* Ex quo evidentè deducitur, quod si peccandi potestas à creatura auferatur, vel impediatur, id per aliquod extrinsecum fieri debet, ac proinde creatura ipsa non simpliciter, & absolute, ut Deus, sed secundum quid, impeccabilis dicitur.

131
D. August.

Quod etiam conceptis verbis dixit Div. Augustinus contra Maximum lib. 3. cap. 13. *Cuicumque rationali creatura præstatur, ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed gratiæ Dei.* Quare, si voluntas aliqua creata impotentiam ad peccandum habet, hoc utique erit ex aliqua gratia Divina, qua remota, peccare potuit, & sic hæc impotentia non est absoluta, & simpliciter, sed tantum secundum quid, & in sensu composito, nempe, illa gratia supposita: ergo etiam constante unione cum Verbo humanitas Christi non debet dici simpliciter, & absolute impeccabilis, sed tantum secundum quid, & in sensu composito, hoc est, supposito aliquo extrinsecum, quo posito impediatur, vel tollatur potentia proxima, quam natura quæcumque creata ex se, & intrinsecè habet ad peccandum.

132

Et quod hæc sit vera mens Patrum, patet ex eo, quod omnes ferè Patres, qui contra nostram opinionem allegari solent, arguebant contra Apollinarem, & eius sequaces, qui in humanitate Christi negabant mentem humanam, timentes, quod si eam in Christo admitterent, peccatum quoque admitterent in eo. Ad quem errorem confutandum Patres dixerunt, ex unione humanitatis cum Verbo, & intima Divinitatis præsentia, ut est ignis ferro ignito, & color lanæ coloratæ, redditam fuisse eius mentem peccato superiorem, & à potestate

peccati alienam. Ad quod salvandum, & errorem hæreticorum confutandum sufficit, ut patet, creata impeccabilitas.

Et planè hoc modo Christi impeccabilitatem explicuit Apostolus ad Hæbreos 7. dicens: *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex Sanctus, Innocens, Impolutus, Segregatus à peccatoribus.* Vbi ponderandum est illud verbum *decebat*, non enim dixit *oportebat*, *opus erat*, *necessè fuit*, &c. Sed *data opera dixit decebat*, hoc est: congruum erat, ut ostenderet, non fuisse absolutam necessitatem simpliciter ex parte Dei, reddendi Christum impeccabilem, sed solam decentiam, & congruitatem; & planè nescio, qua auctoritate, vel iuxta quam traductionem Carden. de Lugo disput. 16. sectione 1. legat *oportebat*.

Vndè ad argumentum in forma respondeo explicando maiorem: Patres asserunt: Christum, ut hominem, fuisse impeccabilem, impeccabilitate creata, secundum quid, & inferioris ordinis ad Divinam concedo maiorem; impeccabilitate increata, seu absoluta, & simpliciter nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ex quo apparet, falsum esse, quod humanitas Christi ratione unionis ad Verbum sit absolute, & simpliciter impeccabilis, ut ait Ill. Godoy.

Hanc solutionem non adducit Ill. Godoy, nec contra ipsam obstant auctoritates, tum Athanasij, vocantis Christum per se Sanctum, & dominum sanctificationis, & natura sua iustum, & immutabilem ad malum; tum Chrysostomi, qui in Ennarratione in cap. 7. Isaia, tractans illud: *Antequam sciat parvulus*, dicit: Paulum tribuere Christo impeccabilitatem, quam dicit esse proprietatem Dei. Non, inquam, obstant: nam Chrysostomus loquitur de Christo absolute, ut est Deus, & homo; hoc enim modo illi competit impeccabilitas, quæ est propria Dei. Et hoc eodem modo loquitur de Christo Athanasius, quod patet: nam verba relata adducit Serm. 2. contra Arrianos, qui dicebant: Christum absolute, ut est Deus, & homo, esse creaturam.

Licet autem solutio allata sit ad argumentum sufficiens, & clara impugnatio modi loquendi Ill. Godoy,

133
Ad Hab. 7.

*Respondeo
ad argum.
in forma.*

134
*Occurritur
cuidam ob-
iectioni.*

135
*Respond. 2.
ad argum.*

& ferè omnium adversariorum, vt videbimus conelusione quinta; ad rem tamen accedendo, & replicas illius non fugiendo. Respondeo secundo ad argumentum: Patres intelligi, non de potentia Dei absoluta, sed de potentia ordinaria, & de lege communi, in quo tantum sensu cum Hæreticis, & Iudæis disputabant. Iuxta quam doctrinam in forma ad argumentum respondeo explicando maiorem: Patres asserunt: Christum, vt hominem, fuisse impeccabilem de potentia ordinaria, & lege communi concedo maiorem; de potentia Dei absoluta nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam.

136
Impugnat
solutionem
Ill. Godoy.

Hanc solutionem impugnat Ill. Godoy num. 128. Patres locuntur de Impeccabilitate soli Christo conveniente; at impeccabilitas de lege ordinaria soli Deo non convenit: ergo ineptè de hoc genere impeccabilitatis explicantur. Consequentia tenet. Minor constat: nam Beatissimam Virginem nunquam de facto peccasse, est de fide; & consequenter non potuit de lege ordinaria peccare; id namquè dicitur de lege ordinata, vel ordinaria impossibile, quod secundum legem à Deo statutam accidere nequit: ergo ille modus impeccabilitatis soli Christo non convenit.

137
Maiorem
probat. 1.

Maior ostenditur primò ex D. Augustino lib. 2. de Incarnatione Verbi, circa medium, vbi de anima Christi loquens, sic ait: *Oleo ergo latitiae vngitur cum Verbo Dei immaculata fæderatione coniuncta est, & per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit: quia Filij Dei, benè, & plenè capax fuit: ergo incapacitas peccandi, de qua loquitur Augustinus, soli convenit animæ Christi.* Secundò: nam verba, quæ ex Hilario adducuntur, sunt: *Hominem Christum non potuisse admittere peccatum, dum Christus est; & quod, qui Christus est, non potuit amittere, quod Christus est: ergo loquitur de impotentia peccandi Christo propria, & nulli alteri à Christo communi.* Deniquè: nam omnes Patres allegati ex deificatione substantiali humanitatis à Verbo, probant impotentiam peccandi: ergo locuntur de incapacitate peccandi, quæ soli cõvenit Christo.

Secundò.

Tertiò.

138
Respondeo

Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: impeccabilitas

formalis de lege ordinaria soli Christo non convenit concedo minorem; impeccabilitas radicalis, & exigitiva nego minorem, & consequentiam. Itaque verum est: quod Patres interdum soli vnioni humanitatis ad Verbum impeccabilitatem Christi adscribere, vt pater ex testimonijs ab Ill. Godoy relatis; & consequenter certum est: Patres interdum loqui de impeccabilitate soli Christo conveniente. Cæterum, cum hæc impeccabilitas, ab vnione procedens, sit tantum radicalis, & exigitiva, quatenus connaturaliter exigit cætera dona gratiæ, & gloriæ, sitque cum peccato actuali de potentia Dei absoluta compatibilis, vt toties dictum est, nihil convincit impugnatione Ill. Godoy.

Respondeo tertio ad argumentum: Patres loqui de impeccabilitate humanitatis, non ratione vnionis solum, sed cum cæteris donis, ipsam concomitantibus. Et ratio est: quia nulla est autoritas, in qua exprimitur, quod sola vnio secundum se reddat humanitatem Christi impeccabilem, sed confusè de ipsa locuntur cum cæteris donis, ipsam concomitantibus. Vndè Patres non referunt impeccabilitatem Christi in solam vnionem, sed in vnionem simul cum alijs donis, eam consequentibus. Et hoc modo Christi impeccabilitatem declarat etiam D. Thomas, vt visum est num. 9. & 10. Iuxta quam doctrinam explico maiorem argumenti: Patres asserunt: Christum, vt hominem, fuisse impeccabilem ratione vnionis, & cæterorum donorum gratiæ, & gloriæ simul concedo maiorem; ratione vnionis præcisè nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam.

Quare (dato, & numquam concessa) Patres aliquando locutos esse de impeccabilitate de potentia absoluta, adhuc ex eorum dictis non colligeretur: peccatum actuale coniungi non posse cum vnione ad Verbum; nam potuit humanitas, vnita manens, donis gratiæ, & beatifica fruitione exornata non esse, & consequenter peccatum cum vnione non repugnaret, quia ipsa vnio non est se sola causa impeccabilitatis Christi.

Hanc solutionem rejicit primò Ill. Godoy num. 130. nam impeccabilitas ratione vnionis beatificæ non

ad impug-
nationem.

139
Respond. 3.
ad argum.

Respondeo
in forma.

140

141
Reijcit so-
lutionem
Ill. Godoy.

Primò.

convenit soli Christo, sed etiam alijs beatis; sed Patres locuntur de impeccabilitate soli Christo conveniente: ergo non locuntur de impeccabilitate orta ex visione beatifica. Respondeo distinguendo maiorem: impeccabilitas ratione visionis beatificæ solius non convenit soli Christo concedo maiorem; impeccabilitas ratione visionis beatificæ, & vnionis hypostaticæ simul non convenit soli Christo nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: ergo non locuntur de impeccabilitate, orta ex visione beatifica tantum concedo consequentiam; ex visione beatifica simul, & vnione hypostatica nego consequentiam.

142
Reijcit. 2.
ex August.

Reijcit secundò: Patres probant impeccabilitatem Christi ex vnione substantiali ad Verbum: ergo locuntur de impotentia peccandi conveniente ratione talis vnionis. Consequentia tenet. Antecedens autem fuisse, & doctè probat Vazquez *disp. allegata, cap. 3.* & constat primò ex verbis D. Augustini proxime adductis, & lib. 2. de *Incarnat. Verbi*, & insuper in eodem lib. circa finem, ubi de Anima Christi loquens, sic ait: *Et ideo nec vertibilis, nec mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei vnitate indefinenter ignita possidebit.* Et paucis interpositis explicans illud Psalmi 34. *Quia unxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ præ consortibus tuis.* Sic ait: *Ostendit, quod ista anima aliter oleo letitiæ, id est, Verbo Dei, & sapientia ungitur, & aliter particeps eius; illi enim in odorem unguentorum eius cucurrisse dicuntur ista vero Anima vasculum unguenti ipsius fuit. Sicut ergo aliud est unguenti odor, & alia est unguenti substantia, ita aliud est Christus, & aliud particeps sui, & sicut vas ipsum, quod substantiam continet unguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris, ita Anima Christi, velut vas, in quo inerat substantia unguenti, impossibile fuit, ut contrarium reciperet odorẽ.* Ergo iuxta D. August. ideo Anima Christi incapax peccati fuit, quia non sola participatione Divinæ Sanctitatis, quam nomine odoris unguenti intelligit, sed Divinitate ipsa, quam unguentum vocat, fuit vncta; & consequenter, quia fuit substantialiter Divinitati vnita, & coniuncta.

Tertiò ex
Dion. Alex.

Tertio ex Dionysio Alexandri-

no ubi supra illis verbis: *Nisi fuisset idem, qui erat Deus Verbum non poterat esse alienus à potestate peccandi:* ergo quia Anima Christi erat Verbo Dei vnita, incapax peccati fuit. Quod etiam præter alios Patres expressissimè docet Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo cap. 10. in principio,* ubi docet: *Christum idcirco peccare non potuisse, quia non solum homo, sed Deus erat.*

Respondeo: has impugnationes nullius esse momenti, quia non est responsionis impugnatio, vt ex ipsis claret, & ostenditur: nam in nulla authoritate ex relatis exprimitur, quod sola vnio secundum se reddat humanitatem impeccabilem, vt apparet, quamlibet legendo. Vnde licet optimè probent: humanitatẽ Christi esse impeccabilem ratione vnionis hypostaticæ (de cuius veritate in responsione sequenti) non tamen probant: quod ratione solius vnionis hypostaticæ reddatur humanitas Christi impeccabilis, quod debebat probare per illa Ill. Godoy, si responsionem datam reijcere conabatur. Et quando hoc probaret, stat ad probationem sequens responsio.

Respondeo quartò ad argumentum prædictum: Patres probare impeccabilitatem Christi ex vnione substantiali ad Verbum; non quia ipsa sit essentialiter cum peccato incompossibilis, vt latè probatum manet §. 2; nec tanquam ex ratione formali impeccabilitatis ex dictis, num. 123. cum seqq., sed quia ratione illius erant debita debito congruentiæ dona gratiæ, & fruitio beatificæ; quia tamen hæc dona potuerunt de potentia absoluta non infundi humanitati Christi, hinc fit, vt Verbo vnita manens, potuerit de potentia absoluta peccare. Iuxta quam doctrinam in forma ad argumentum respondeo explicando maiorem: Patres asserunt: Christum, vt hominem, fuisse impeccabilem ratione vnionis radicaliter, & exigitivè concedo maiorem; formaliter nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Solutio patet ex dictis num. 138.

Hanc solutionem reijcit primò Ill. Godoy num. 133; nam Dionysius Alexandrinus taliter attribuit impeccabilitatem Christo ratione Divinitatis, quod si non esset Deus, non

143
Respondet.

144
Respond. 4.
ad argum.

Respondetur
in forma.

145
Reijcit. 1.
solutionem
Ill. Godoy.

posset esse alienus à potestate peccandi, sed si esse Deum, non esset ratio impeccabilitatis, sed solum reddens debitam debito congruentiæ formam talis impeccabilitatis, posset esse alienus à potestate peccandi, quamvis Deus non esset, dummodo beatifica fruitione ornaretur, ut in cæteris beatis defacto contingit: ergo iuxta Dionysium incapax peccandi convenit Christo ratione unionis formaliter, & non tantum radicaliter congruenter. Deinde: nam iuxta Hylarium Christus non potuit admittere peccatum, dum Christus est: eo quod, qui Christus est, non potuit amittere quod Christus est; sed potuit manens Christus beatifica fruitione carere: ergo ex mente Hylarij Christum non posse peccatum admittere, non provenit ex beatifica fruitione adæquate formaliter, & ex unione congruenter, sed formaliter ex ipsa unione.

Præterea: nam iuxta D. Augustinum, sicut unguentum vas replens, illud reddit incapax alterius liquoris, ita substantia unguenti, hoc est, Verbum replens Animam Christi, illam constituit incapax odoris contrarij, hoc est, odoris peccati; sed unguentum vas materiale replens se ipso formaliter illud reddit incapax alterius liquoris: ergo Verbum ipsum replens humanitatem Christi formaliter illam reddit culpæ incapax.

Denique: nam iuxta nostram solutionem unio humanitatis ad Verbum non est causa impeccabilitatis sufficiens; cum ultra illam sit necessaria fruitio beatifica, nec causa, sine qua non, hoc est, necessario requisita, ut humanitas impeccabilis esset; cum beatifica fruitio illam Verbo non unitam impeccabilem constitueret; fruitio autem beatifica esset causa sufficiens, & necessaria: ergo Patres explicare intendentes causam impeccabilitatis in humanitate Christi, dimittente processissent, assignantes pro causa impotentie peccandi unionem humanitatis ad Verbum, & fruitionem omittentes.

Respondeo ad primam impugnationem explicando maiorem: Dionysius taliter attribuit impeccabilitatem Christo ratione Divinitatis, quod si non esset Deus, non posset esse alienus à potestate peccandi, radicaliter, & exigitivè concedo maio-

rem; formaliter nego maiorem, distinguoquæ minorem: sed si esse Deum non esset ratio impeccabilitatis, posset esse alienus formaliter à potestate peccandi, quamvis Deus non esset, concedo minorem; posset esse alienus radicaliter, & exigitivè nego minorem, & consequentiam. Ad secundam impugnationem distinguo similiter maiorem: iuxta Hylarium Christus non potuit radicaliter, & exigitivè admittere peccatum, dum Christus est, eo quod, qui Christus est, non potuit amittere quod Christus est, concedo maiorem; formaliter nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

Ad tertiam impugnationem ex D. August. deductam distinguo maiorem: sicut, & diverso modo concedo maiorem; & eodem modo nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Licet enim valeat paritas in substantia; in modo tamen non currit. Ratio est: nam unguentum vas materiale replens, formaliter illud reddit incapax alterius liquoris; Verbum autem replens humanitatem Christi, non formaliter, sed radicaliter tantum, & exigitivè reddit humanitatem incapax odoris contrarij, nempe, odoris peccati. Ratio autem disparitatis est: quia unguentum vas materiale, replens, replet formaliter totam capacitatem receptivam vasis, cum quo formaliter repugnat receptio alterius liquoris; aut Verbum non replet formaliter humanitatem Christi in ratione vasis sanctificabilis, sed tantum radicaliter, & exigitivè, ut toties est repetitum.

Quod autem ex paritate Div. Augustini non possit fieri argumentum omnino simile, demonstro, retorquendo contra Ill. Godoy: iuxta Augustin. vas ipsum, quod substantiam continet unguenti, nullum genus potest aliud recipere liquoris; sed humanitas est vas, substantia autem unguenti est Verbum: ergo humanitas continens Verbum, nullum aliud genus liquoris recipere potest: ergo recipere nequit licorem gratiæ habitualis, quod est contra Augustin. & contra Tridentinum. Urgetur hoc, aliter formando retorsionem: iuxta Augustin. unguentum replens vas, illud reddit incapax alterius liquoris; sed Verbum est unguentum replens humanitatem:

Secundo.

Ad 2.

146

Tertio.

147

Quarto.

148

Respondetur
ad 1. impug-
nationem.

149

Ad 3.

150

Retorquedo
contra Ill.
Godoy.

ergo reddit humanitatem incapacem alterius licoris: ergo reddit illam incapacem gratiæ habitualis, quod esse falsum, dicebamus proximè.

Deniquè est contra Ill. Godoy impugnatione ipsa: nam *num. 131*. ex auctoritate D. Augustin. infert, incapacitatem peccati in Christo provenire ex participatione Divinæ Sanctitatis, quam nomine *odoris unguenti* intelligit, & ex Divinitate ipsa, quam *unguentum* vocat; atqui in impugnatione facta incapacitatem peccati in Christo attribuit Ill. Godoy Verbo dumtaxat: ergo contra ipsum est impugnatione, quam contra nos facit. Ex quo iterum retorqueo: iuxta Augustinum incapacitas peccati in Christo, non solum provenit à Divinitate, sed etiam à gratia habituali, ut ipse fatetur *num. 131*: ergo ex hac Augustini auctoritate nunquam potest suam probare sententiam. Probatur consequentia: sua sententia est, quod à Divinitate dumtaxat provenit incapacitas peccati in Christo; sed iuxta Augustinum incapacitas peccati in Christo, non solum provenit à Divinitate, sed etiam à gratia habituali: ergo ex hac Augustin. auctoritate nunquam potest probare suam sententiam Ill. Godoy.

Ad quartam deniquè impugnationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Primò: ob rationem datam *num. 139*. Secundò: quia quando Patres aliquando assignassent solum unionem humanitatis ad Verbum pro causa impeccabilitatis, non diminutè processissent, quia intentum illorum esset, explicare sanctitatem radicalem, & exigivam modo explicato *num. 144*. & alibi, quæ est excellentia soli Christo conveniens, ut diximus *num. 138*. Et iuxtam hanc doctrinam potest distingui consequens: ergo Patres explicare intendentes causam impeccabilitatis formalis in humanitate Christi, diminutè processissent, assignantes pro causa impotentiae peccandi unionem humanitatis ad Verbum, & fructualem omittentes concedo consequentiam, & nego suppositum; causam impeccabilitatis radicalis nego consequentiam.

Et ne aliquid ex ab Ill. Godoy adductis relinquamus. Respondeo quinto ad argumentum supra positum: Patres non probare incapacitatem

peccandi de potentia Dei absoluta ex unione ad Verbum; sed ad summum probare incapacitatem peccandi ex natura rei; non quia hypostatica unio oppositionem ex natura rei habeat cum peccato, sed quia ad unionem hypostaticam connaturaliter, & de congruo consequitur plenitudo gratiæ, & gloriæ, cum quibus peccatum non componitur.

Hanc solutionem impugnat Ill. Godoy *num. 136*: nam si humanitati unitæ ratione unionis ad Verbum debetur ex natura rei fruitio beatifica, cum qua peccatum repugnat, & ex hoc redditur ex natura rei impeccabilis, etiam debetur humanitati ratione eiusdem unionis ex natura rei, quod Deus cum illa ad peccatum non concurrat; sed cum hoc debito non fiat humanitatem Verbo unitam posse de potentia absoluta peccare: ergo admisso ex mente Patrum unionem humanitatis ad Verbum illam ex natura rei constitutere impeccabilem, sequitur non posse de potentia absoluta peccare. Consequentia probatione non indiget. Maior constat; non enim est maior ratio, cur unio ad Verbum debeantur bona positiva, quam carentia mali: ergo si ratione unionis debetur humanitati beatitudo, quæ est omne bonum, etiam debetur humanitati omnis mali carentia; & consequenter carentia peccati. Ex quo ulterius fit, ut humanitati ratione unionis ex natura rei debeatur, quod Deus cum illa non concurrat ad peccatum.

Minorem autem probat: Deo namquè essentialiter repugnat speciali concursu in peccatum influere, ut fatentur omnes Theologi; aliàs esset causa, & Author peccati; cum omne, quod Dei specialem terminat concursum, in ipsum, ut in causam propriè talem, & Authorem reddatur; sed eo ipso, quod ratione unionis ex natura rei debeatur humanitati carentia concursus Dei ad peccatum, Deus ad peccatum concurrens speciali concursu vteretur: ergo cum debito connaturali negationis concursus Divini ad peccatum, non potest humanitas de potentia absoluta peccare. Maior, cum consequentia tenet. Minor autem probatur: Tum; quia Deus contra prædictum debitum operans, miraculosè operaretur: ergo

151
Impugnatio
esset contra
Ill. Godoy,
ostenditur
iterum re-
torquendo.

152
Ad 4.

153
Respond. 5.
ad argum.

154
Impugnatio
solutionem
Ill. Godoy.

155
Probat ma-
iorem.

concurreret concursu speciali. Timetiam: nam tunc Deus concurrat concursu generali, quando operatur iuxta exigentiam, & debitum causæ secundæ: ergo concurrere ad peccatum contra exigentiam humanitatis unitæ, & contra debitum connaturale illi competens ratione unionis ad Verbum, non concurreret concursu generali, sed concursu speciali uteretur: ex quo fieret, ut Deus esset Author, & specialis causa peccati, quod implicat.

156
Respondetur

Respondeo ad replicam negando minorem, ad cuius probationem nego etiam minorem, & ad probationem huius concessio antecedenti, distinguo consequens: Concurreret concursu speciali ad commissionem peccati nego consequentiam; ad conservationem unionis, adveniente peccato concedo consequentiam, & hac distinctione distinguo consequens secundæ probationis, & nego subillatū.

157

Itaque hanc replicam invalidam esse, & ut proponitur, nimis probare, non solum Scotiæ docent, verum etiam elegantè notavit Cardinalis de Lugo: tolleretur enim de medio innumeras alias quæstiones, communes sub hoc titulo propositas; an, scilicet, gratia, & peccatum possent simul existere de potentia Dei absoluta; an possit beata visio esse cum peccato; & alias eiusmodi, in quibus sensus communis, & planus est, an Deus possit specialiter conservare gratiam, & visionem in præsentia peccati, seu co-existente peccato; an verò peccati sit tanta vis, ut omnino essentialiter destruat gratiam, vel visionem beatam.

158

Eodem itaque modo, inquit Lugo, de unione hypostatica hic quæritur: an possit Divinitus conservari etiam in præsentia peccati? Non ergo requiritur potentior Dei concursus ad peccandum, ut fiat stante gratia, sed potentior Dei concursus in gratiam, ut perseveret, adveniente peccato; sicut licet ex natura rei repugnet passibilitas corporis cum beatitudine animæ, non tamen intelligimus in Christo visionem beatam conservatam fuisse potentiori concursu propter corporis passibilitatem, sed potius è contra, passibilitatem corporis conservatam concursu potentiori saltem quoadmodum, in præsentia beatæ visionis, quæ ex natura sua

passibilitatem expelleret. Ex quo fiat in replicam retortio.

Ex his itaque iam manifestè apparet inefficacia argumenti, quod ex Patribus deducit Ill. Godoy contra Scoticam opinionem; habet namque quinque allatas solutiones, quarum quælibet est sufficientissima pro destructione oppositæ sententiæ, adhuc plura, quæ apud nos sunt omnino falsa, contrarijs liberalitè permittendo. Inter omnes autem securior pro omni opinione Scoti est, quam assignavimus num. 135. scilicet, Patres loqui de potentia ordinaria; non verò de potentia absoluta; quia sive Patres loquantur de sola unione hypostatica, sive loquantur de ipsa cum cæteris donis, ipsam consequentibus, semper humanitas Christi est absolute, & simpliciter peccabilis, & consequenter potest de potentia Dei absoluta peccare, & peccatum cum unione, ab alijs donis præcisa, coniungere.

§. IX.

Argumentum Ill. Godoy, ex Concilio deductum, diluitur.

Arguit secundò Ill. Godoy num. 126. ex Sexta Synodo Constantinopolitano Generali actione 8. Vbi contra Macharium, & Stephanum, negantes duas voluntates naturales in Christo, humanam, scilicet, & Divinam; eo, quod aliàs habuisset voluntatem peccabilem; diffinitur: duas voluntates habuisse, Divinam, scilicet, & humanam impeccabilem. Verba Synodi tom. 3. Conciliorum part. 2. pag. mihi 34. sunt: *Si itaque, & humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus noster, & Deus Iesus-Christus, & Divinam ante sæcula cum Patre, & Sancto Spiritu habuit voluntatem, proculdubio duas naturales voluntates in Christo Orthodoxos oportet confiteri. Quæ verba satis demonstrare videntur, Christi humanitatem impeccabilem esse.*

Hoc argumentum ex Concilio deductum tot habet solutiones, quot assignavimus §. anteced. argumento ex Patribus desumpto; licet enim ob hoc omittendum erat, vel ad summum simul cum argumento Patrum proponendum, ut fecit Ill. Godoy; tamen, quia multa sunt in autoritate Concilij adducta, & magis in adducenda, quæ omitti non possunt; ideo specialitè hoc argumentum propof-

159

Solutio securior ex 5. allatis declaratur.

160

Arguit. 2. ex Concilio.

161

fui, ut quæ signa sunt notatu, sine nota non relinquuntur. Suppositis itaque solutionibus datis ad argumentum ex Patribus, nunc propinquius ad Concilium accedendo.

162

Ante solutionem notandum est: quod hæc verba sunt in Concilio Constantinopolitano tertio, *Synodo 6. Generali action. 8. vel tom. 5. Concil. fol. 107. colum. 1. iuxta impressionem Lutetiae Parisiorum, Anno 1636. à Carolo Morelli.* Hoc itaque notato. Respondeo primò ad argumentum: intentum Concilij solum esse contra Macharium, & Stephanum diffinire: in Christo esse duas voluntates, scilicet, Divinam, & humanam. An autem hæc sit impeccabilis? Non erat intentum Concilij, & si obiter illam impeccabilem vocat, causam tamen impeccabilitatis Concilium non assignat, ut patet ex tota *actione 8.* & clarebit amplius per responsionem ad alteram Concilij auctoritatem, ab Ill. Godoy adductam, quam declarabimus *infra.*

Respond. 1.
ad argum.

163

Respond. 2.

Respondeo secundò ad argumentum: Concilium loqui expressè de impeccabilitate proportionata cum impeccabilitate voluntatis Adami in statu innocentiae, ex quo nullatenus sequitur repugnantia cum peccato, ut est manifestum, ideò prædicta verba Concilij opinioni Scoti vnicè fabent. Quod autem Concilium hoc modo loquatur, patet ex ipso; nam postquam Concilium dixerat, quod Deus fecisset Adam natura impeccabilem, & voluntate liberum, & quod Adam habuit naturalem voluntatem, immediate profequitur Concilium verbis in argumento relatis. Verba Concilij transcribo.

164

Verba Concilij.

Constantinus Pijissimus Imperator: ::: Sancta Synodus dixit: Euee clarus, & veraciter ostendit Theophanes Deo amabilis Præbiter, & Abas per prolata ab eo testimonia Sanctorum, ac probabiliū Patrum, naturalem esse voluntatem. Si igitur primus Adam naturalem habuit voluntatem; qui per omnia similis illi factus est absque peccato; secundus Adam Dominus Noster Iesus-Christus, verus Deus noster, quomodo non habuit in humana eius natura naturalem voluntatem? Si itaque, & humanam impeccabilem voluntatem assumpsit Dominus Noster, & Deus Iesus-Christus humanæ suæ naturæ, & Divinam ante secula cum Patre, & Sancto Spiritu habuit

voluntatem: proculdubio, duas naturales voluntates in ipso Orthodoxos oportet confiteri inconfusè, atque indivisè, sicut & plurimis Paternis testimonijs duæ naturales voluntates in una persona, sive una subsistentia per Incarnationis dispensationem unius de Sancta Trinitate Domini Nostri Iesu-Christi Dei nostræ comprobatae sunt.

Nec desunt retorsiones contra hoc argumentum ex Concilio deductum. Retorqueo itaque primò contra Ill. Godoy: nam ideò ex Concilio probat, quod humanitas Verbo unita, nedum non peccavit, verum nec peccare potuit, quia Verbum assumpsit humanam impeccabilem voluntatem; atqui Concilium asserit: quod Deus fecit Adam natura impeccabilem: ergo Adamus nec peccavit, nec peccare potuit, quod est contra fidem.

Aliè retorqueo contra ipsum: ideò ex Concilio probat, quod humanitas Verbo unita, nec peccavit, nec peccare potuit, quia Verbum assumpsit humanam impeccabilem voluntatem; atqui hoc probat, impeccabilitatem humanitatis Christi non provenire ab unione hypostatica: ergo contra ipsum probat Concilium. Probatur minor: Verba Concilij probant: humanam voluntatem esse impeccabilem ante assumptionem: ergo Concilium probat, impeccabilitatem humanitatis Christi ab unione hypostatica non provenire. Probatur antecedens: si voluntas humana non esset impeccabilis ante assumptionem, Verbum non assumpsisset voluntatem humanam impeccabilem; sed verba Concilij asserunt, quod Verbum assumpsit humanam voluntatem impeccabilem: ergo verba Concilij probant, humanam voluntatem esse impeccabilem ante assumptionem. Minor, & consequentia tenent. Maior est evidens, & evidentè probatur: si voluntas humana non esset ante assumptionem, Verbum non assumpsisset voluntatem humanam: ergo si voluntas humana non esset impeccabilis ante assumptionem, Verbum non assumpsisset voluntatem humanam impeccabilem.

Ultrà prædicta Concilij verba alia adducit Ill. Godoy num. 126. quæ sunt pag. 99. Concilij citati à nobis num. 162. hæc enim sunt verba: *Impossibile enim*

165

Retorq. 1.
argument.
contra Ill.
Godoy.

166

167

Aliud argumentum ex Concilio ad-

ducit Ill.
Godoy.

est, in vno, eodemque Christo Deo nostro duas simul, & ad invicem contrarias, seu dissimiles existere voluntates. Rationemque reddit verbis sumptis ex Gregorio Niseno: Quia quemadmodum corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostrata & in homine Christo tota luminis eius conspersio ab ei. sicut Verbi Divinitate, semper, & in omnibus mota Deo movilis fuit. Vbi, ut clarè constat, impossibilitas volitionis creatæ contrariæ voluntati Divinæ in voluntate Christi humana, quæ eadem est cum incapacitate peccandi, reducit ad regimen Verbi, quo semper regebatur voluntas Christi creatæ sed hoc regimen non potuit non esse; cum oriatur ex vnione humanitatis ad Verbum: ergo humanitas Verbo vnita peccare non potuit.

Miror certè, & maximè miror: Ill. Godoy aducere hæc verba, ut suam opinionem ex Concilio probabilem reddat. Et ne mireris, me admiratum esse; nam verba hæc, quæ pro sua sententia tradit Ill. Godoy, sunt verba, & confessio Macharij hæretici in Concilio condemnati. Verba autem ex Gregorio Niseno adducta sunt verba, quæ Macharius adduxit pro sua opinione tuenda, scilicet, quod in Christo non essent duæ voluntates, ideòquè Concilium pag. 101. notavit in margine: *Hæreticus (nempè Macharius) mentitur Synodos, & Patres.* Omnia patent ex Concilio. Et hoc sufficiat pro falsitate authoritatis.

§. X.

Duplici argumento Ill. Godoy occurritur.

169
Arguit. I.
à ratione
Ill. Godoy.

Ill. Godoy num. 138. arguit primò à ratione: cui namquè repugnat peccatum habituale, repugnat etiam actuale, & eadem repugnantia; sed humanitati vnitæ essentialitèr repugnat peccatum habituale, sive grave, sive leve in sensu composito vnionis: ergo etiam illi essentialitèr repugnat quodvis actuale peccatum; & consequenter implicat, humanitatem Christi peccare peccato actuali cum vnione ad Verbum composito. Consequentia tenet. Minor constat ex prima, & secunda conclusione. Maior autem ostenditur primò: nam peccatum actuale, & peccatum habituale sunt eiusdem speciei, & eosdem ha-

bent effectus; sed quod peccatum habituale subiecto ratione alicuius formæ repugnet, oritur ex illius prædicationis essentialibus, & ex effectibus, quos subiecto communicat: ergo cui repugnat peccatum habituale, actuale etiam necessario repugnat. Secundò: nam peccato actuali est essentialitèr annexum peccatum habituale: ergo non stat essentialis repugnantia alicuius formæ cum peccato habituali, sine repugnantia essentiali cum actuale peccato.

Confirmat, & explicat primò num. 139: ideò vnio hypostatica repugnat essentialitèr cum peccato gravi habituali, quia ratione vnionis redditur humanitas digna complacentia amabili Dei, & æterna beatitudine; peccatum autem habituale oppositè præstat effectus, constituendo subiectum, cui inest, obiectum inimicitæ Divinæ, & beatitudine indignum; sed eosdem effectus præstat actuale peccatum: ergo vnio hypostatica pugnant essentialitèr cum peccato habituali, non potest non opponi essentialitèr cum peccato actuali.

Confirmat, & explicat secundò num. 140: ideò vnio hypostatica opponitur essentialitèr cum peccato levi habituali, quia humanitas ratione vnionis redditur obiectum dignum omni complacentia Divina, & gloria statim conferenda; peccatum autem leve habituale constituit subiectum, cui inest, dignum aliqua displicentia, etsi levi, & indignum colationis gloriæ statim; sed hæc ratio æquali efficacia militat in peccato levi actuali, cum eosdem præstet effectus: ergo vnio hypostatica pugnant essentialitèr cum peccato levi habituali, non potest non opponi essentialitèr cum peccato levi actuali. Deniquè confirmat: implicat enim vnum, & idem subiectum infinitè esse Sanctum, & peccato actuali infici; sed humanitas ex vnione ad Verbum redditur Sancta infinitè, vel simpliciter, vel in linea sanctitatis ad extra communicabilis: ergo implicat in sensu composito vnionis infici actuali peccato.

Respondeo ad argumentum negando minorem, cuius falsitas constat ex vtriusquè dictis. Imò hæc eadem ratione per oppositum formata probavimus nostram conclusionem n. 119. nec aliud est pro solutione necessariū.

170
Confirm. 1.

171
Confirm. 2.

Confirm. 3

172
Respondeo
ad argum.

173
Arguit. 2.

Arguit secundo *num. 148*: Verbo namque ex vnione humanitatis ad ipsum incumbit obligatio gubernandi humanitatem, eamque in officio continendi, ac proinde, si humanitas assumpta peccaret, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur; sed implicat Verbum in se ipso peccare: ergo implicat etiam peccare humanitatem assumptam, peccato cum vnione ad Verbum composito. Consequentia, & minor probatione non indigent. Maior autem, in qua est difficultas, relictis aliorum probationibus, probatur primo ab Ill. Godoy *num. 154*: quia quoties duo vniantur in aliqua natura, vel persona, inferior naturaliter subordinatur superiori; & consequenter superior tenetur inferiorem regere, & gubernare; sed ex vi vnionis humanitatis ad Verbum, natura humana, & Divina conveniunt in vna Christi persona: ergo ratione huius vnionis tenetur Divina natura regere, & gubernare naturam humanam; & consequenter peccatum humanitatis vnite attribueretur Verbo, necdum vt subsistenti in humanitate, sed etiam secundum se, & vt in Divinitate subsistit.

Maiorem
probat. 1.174
Secundo.

Secundo, & est maior explicatio præcedentis probationis: quia namque corpus est inferius anima, & per vnionem conveniunt in eadem natura, ex tali vnione inducitur in anima obligatio regendi corpus; sed humanitas est inferior Divinitate, & ex vi vnionis hypostaticæ, convenit cum Deitate in eadem Christi persona: ergo ex vi huius vnionis incumbit Divinitati specialis obligatio gubernandi humanitatem; & consequenter peccata humanitatis assumptæ Divinitati attribuerentur.

175
Tertio.

Tertio: cum namque in vna, & eadem natura conveniunt inferior, & superior potentia, incumbit tali naturæ obligatio regendi potentiam inferiorem per potentiam superiorem, vt constat in natura humana, quæ naturali obligatione tenetur per voluntatem regere, & gubernare appetitum inferiorem: ergo pariter: cum duæ naturæ conveniunt in vna, & eadem persona confurgit in ea obligatio regendi inferiorem per superiorem naturam; & consequenter Verbo, in quo ex vi vnionis humanitatis ad ipsum, conveniunt natura huma-

na, & Divina, incumbet specialis obligatio regendi, & gubernandi naturam humanam per Divinam; & consequenter peccatum humanitatis vnite attribuitur Verbo, non solum ratione humanæ voluntatis, sed etiam ratione voluntatis Divinæ.

Hanc rationem (prosequitur Ill. Godoy *num. 157*.) insinuat D. Thomàs in 3. *dist. 12. quæst. 2. in corpore*. Et ad Anibaldum in eadē *distinct. quæst. unica, artic. 3.* vbi ait: *Humanitatem idè non potuisse peccare, quia fuit instrumentum Divinitatis eam moventis; Divinitas autem non potuit illam ad malum movere.* Quæ doctrina non sic accipienda est, quod humanitas in omnibus suis operibus propriè fuerit instrumentum Divinitatis; sed quia sicut instrumentum non agit, nisi vt subordinatum principali agenti, ita humanitas Verbo vnita in omnibus suis actionibus Divinitati, vt regenti, gubernantique, subdebatur, eo autem ipso, quod humanitas ex vi vnionis hoc modo Divinitati subdatur, non potest in peccatum exire, quin tale peccatum Deo, vt specialiter moventi, & gubernanti, respondeat. Illa vti sunt Paludanus, & Capreolus locis *suprà allegatis*, & ex ipsis Medina, Cabrera, Alvarez, Nazarius, Zipullus, & alij Recentiores Thomistæ, Suarez, Beccanus, & Granadus, quos plures alij Recentiores sequuntur.

Et videtur non obscure à sexta Synodo Generali, & Constantinopolitana *tertia actione 8.* vbi ait: *In vno, & eodem Christo Deo nostro impossibile fuisse contrarias, & dissimiles voluntates existere, quia quemadmodum corpus nostrum regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra, ita, & in homine Christo, tota hominis eius conspersio ab eiusdem Verbi Divinitate semper, & in omnibus mota Deo movilis fuit.* Illamque doctè ex Patribus deducit Suarez, & præcipue ex Epiphanio in *Anchorato non longe à fine*, vbi ait: *Sicut superne perfectus est, etiam inferne, quod si inferne imperfectus esset, etiam superne.* Ergo sentit defectum voluntatis humanæ inferioris, necessario redundare in defectum voluntatis superioris, nempe, voluntatis, Divinæ.

Ad hoc argumentum respondeo primo distinguendo primam par-tem

176
Rationem
factam con-
ligit ex D.
Thom.177
Respond. 1
ma- ad argum

maioris: Verbo incumbit obligatio gubernandi humanitatem, per legem obligantem nego maiorem; quatenus Pater est, & provisor concedo maiorem, & nego secundam partem illius, scilicet, quod si humanitas assumpta peccaret, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur. Ratio est: nam obligatio ex duplici capite oriri potest. Vel ex aliqua lege obligante ad gubernationem; vel ex eo, quod aliquis sit Pater, & provisor. Primò modo Verbo non incumbit obligatio gubernandi humanitatem assumptam, ut est notorium, & concedit Ill. Godoy *num.* 163. eo, quod Verbum, utpotè, superiorem non habens, incapax sit obligationis moralis, quæ est effectus legis; bene verò secundò modo; cæterum ex hoc nullatenus sequitur, quod si humanitas assumpta peccaret, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur; alioquin peccata nostra attribuerentur Deo, quia ut Pater tenetur nos regere, & gubernare, quod est falsum, etiam apud Ill. Godoy *num.* 150. ex quo fiat in argumentum retorsio.

Retorque.

178

Aliter distinguo.

Aliter distinguo primam partem maioris: Verbo incumbit obligatio gubernandi humanitatem, obligatione orta ex aliqua lege nego maiorem; obligatione orta ex deformitate peccati concedo maiorem, & nego secundam illius partem scilicet, quod si humanitas assumpta peccaret, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur. Ratio est: nam obligatio regendi, & gubernandi humanitatem, orta ex deformitate peccati, omnibus incumbit; quilibet enim tenetur, illud vitare, non solum in se ipso, sed etiam in quolibet alio, si potest. Undè si ex hoc capite peccatum humanitatis assumptæ Verbo in se ipso attribueretur, etiam peccata nostra Deo in se ipso attribuerentur, cum etiam hac obligatione teneatur, nos regere, & gubernare, ex quo fiat etiam in argumentum retorsio.

Retorque.

179

Respond. 3.

Et iuxta hanc solutionem concessa prima parte maioris, neganda est secunda, scilicet, quod si humanitas assumpta peccaret, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur. Ratio est: nam cum obligatio Verbi ad regendam humanitatem assumptam oriatur, vel ex eo, quod Pater

fit, & provisor, vel ex deformitate peccati, ut dictum est in duplici allata solutione, non tenetur Verbum strictiori vinculo, humanitatem assumptam gubernare, ac Deus nos regere tenetur, & consequenter, si nostra peccata Deo non attribuuntur titulo gubernatoris, & rectoris, nec peccatum humanitatis assumptæ tribueretur Verbo. Per quod patet: nullam vim habere probationes maioris, quia ipsam probant tantum pro prima parte, quam nos concessam habemus. Et si aliud convincere intendunt, salvabitur us infra.

Dices primò cum Ill. Godoy *num.* 163: quod licet obligatio in Verbo ad regendam humanitatem non oriatur ex aliqua lege; oritur tamen ex rectitudine ipsi Verbo essentiali. Undè sicut ex hoc capite tenetur ad non mentium & ad standum promissis, quin vlli legi subiaceat, ita sine subiectione ad legem obligatur, supposita unione humanitatis ad ipsum, illam gubernare, & regere taliter, quod in peccatum non cadat. Respondeo negando assumptum, quia ut diximus, obligatio in Verbo ad regendam humanitatem assumptam, oritur, vel ex eo, quod Pater sit, & provisor, vel ex deformitate peccati, quæ non est strictior obligatio obligatione, qua Deus nos regere tenetur.

Dices secundò cum doctrina ab ipso tradita §. 8: negari nequit, quod ultra obligationem, quam Deus habet ad nos regendum, & gubernandum, ne in peccatum cadamus; adest in Verbo ex coniunctione illius cum humanitate specialis obligatio regendi, & gubernandi humanitatem, ne in peccatum cadat: ergo ruit doctrina à nobis tradita. Respondeo negando antecedens ob dicta in triplici allata solutione, & ratio omnium est: quia cum obligatio in Verbo ad regendam humanitatem assumptam oriatur, vel ex eo, quod Pater sit, & provisor, vel ex deformitate peccati, æqualis est cum obligatione Dei ad nos regendum; undè sicut huic obligationi satisfacit Deus, præbendo sufficientissima auxilia ad peccata vitanda, ob quod peccata nostra nunquam Deo tribuuntur ex capite gubernatoris; ita obligationi Verbi ad regendam humanitatem assumptam, ex coniunctione ipsius cum humani-

180

Dices 1. cū Ill. Godoy.

Respondetur

181

Dices 2. cū eodem.

Respondetur

rate, satisfacere censeretur, præbendo auxilia prædicta ad evitandum peccatum, quin peccatum humanitatis assumptæ Verbo tribueretur ex capite gubernatoris.

182
Dices 3. cū eodem.

Dices tertio cum eodem *num. 178.* esse disparitatem inter obligationem, qua Deus tenetur nos regere, & gubernare, & obligationem, qua tenetur Verbum regere, & gubernare humanitatem assumptam: nam obligatio Dei nos regendi, & gubernandi oritur ex speciali coniunctione affectiva, qua nos in filios adoptavit, & quæ convenit Deo ex ratione primæ causæ in ordine supernaturali, ex quo etiam habet ius permittendi creaturis rationalibus peccatum in prædicto ordine, & ideo specialis coniunctio affectiva non potest prædictum ius impedire, ac proinde nec specialis directionis obligationem fundare. Obligatio autem Verbi regendi, & gubernandi humanitatem assumptam oritur ex personali coniunctione humanitatis cum Verbo, quæ illi non convenit ex titulo primæ causæ, & ideo potest ius aliquod primæ causæ impedire, & fundare prædictam obligationem.

101
183
Respondetur

Sed quidquid sit de disparitate ab Ill. Godoy adducta, respondeo negando, quod personalis coniunctio Verbi cum humanitate fundet specialem obligationem ad regendam, & gubernandam humanitatem ob dicta *num. 181.* Ultrà quod difficile apparet, quod coniunctio personalis Verbi cum humanitate possit minuere in Deo rationem causæ primæ, & consequenter, quod obligatio Verbi in regenda humanitate assumpta non sit æqualis cum obligatione Dei ad nos regendum, & gubernandum, quæ Deo convenit iuxta Ill. Godoy ex ratione causæ primæ.

184

Licet autem data solutio ab Scotis tradatur, quam etiam amplexus fuit Pater Vazquez *disp. 61. cap. 5.* non videtur, negare posse, fuisse in Verbo ratione vnionis ipsius cum humanitate aliquam strictiorem obligationem ad eam regendam, & gubernandam, quam illa, quam Deus habet ad nos regendos, & gubernandos, eo, quia nos habet vt filios adoptivos, & servos. Quod satis congruenter ostenditur: nam ratione vnionis ad Verbum est in Deo obligatio saltim

congruentiæ, vel connaturalitatis, dorandi humanitatem summa gratia, & gloria, quam obligationem Deus non habet respectu nostri ratione vnionis affectivæ: ergo ob eandem rationem poterit esse in Verbo specialis obligatio. Loquor de obligatione, non strictè, & rigurose, quia in hoc sensu nulla potest esse obligatio, & debitum Dei erga creaturam, vt diximus *tom. 1. in 3. sent. disp. 7. a num. 66. usque in finem.* Supposita ergo aliqua speciali obligatione in Verbo ratione vnionis ipsius cum humanitate ad eam regendam, & gubernandam.

Respondeo secundò ad argumentum ipsius Ill. Godoy, distinguendo primam partem maioris: Verbo ex vnionehumanitatis ad ipsum incumbit obligatio gubernandi humanitatem, ne peccet de facto ommitto maiorem; ne peccet de possibili nego maiorem; & distinguo secundam partem illius: si humanitas assumpta peccaret de facto, illius peccatum Verbo in se ipso attribueretur ommitto maiorem; & concessa minori, distinguo consequens: ergo implicat peccare defacto humanitatem assumptam peccato cum vnione ad Verbum composito concedo consequentiam; de possibili nego consequentiam. Ratio est: nam quamvis Verbo ratione vnionis ipsius cum humanitate incumbat specialis obligatio gubernandi humanitatem, huic obligationi sufficientissimè satisfaceret, præbendo humanitati auxilia efficacitæ, ne de facto peccaret, vt fecit cum Beatissima Virgine Maria; cæterum ex hoc non sequitur, quod si de possibili peccaret, peccatum Verbo attribueretur, vt patet exemplo B. Virg. Mariæ, ex quo.

185
Respond. 2. ad argum.

Retorqueo argumentum primò: specialis obligatio, qua Deus tenetur regere, & gubernare Matrem suam, & qua defacto sic regit, & gubernavit, vt nunquam defacto peccasset, non infert, quod si de possibili Mater Dei peccaret, peccatum Deo in se ipso attribueretur: ergo paritèr: specialis obligatio, qua Verbum tenetur regere, & gubernare humanitatem assumptam, & qua defacto sic regit, & gubernavit, vt nunquam de facto peccasset, non infert, quod si de possibili humanitas peccaret, pecca-

186
Retorq. 1. argum.

tum Verbo in se ipso attribueretur.

187
Retorq. 2.

Retorqueo secundo argumentum: specialis obligatio Verbi ad regendam humanitatem, infert iuxta Ill. Godoy, quod si humanitas assumpta peccaret, peccatum tribueretur Verbo; sed in Patre est specialis obligatio, fundata in conjunctione feminali ad regendum, & gubernandum filium: ergo hæc specialis obligatio infert, quod si filius peccaret, peccatum Patri tribueretur, quod est falsum. Eadem retorasio est de Superiori respectu subditorum, de Domino respectu servorum, Marito respectu vxoris, &c.

188
Dices cum
Ill. Godoy.

Contra 1.

Nec dicas cum doctrina Ill. Godoy, esse disparitatem: quia obligatio Verbi ad regendam humanitatem assumptam, est specialissima, ad omnes alias superior, & maior, quam potest excogitari. Nam in contrarium obstat primo: quia vis retorasionis factæ non consistit in eo, quod Verbum non teneatur strictiori vinculo ad gubernandam humanitatem, quam Deus tenetur ad nos regendum, & gubernandum; sed sita est in eo, quod idem inconueniens, quod infert Ill. Godoy de Verbo respectu humanitatis, inferri valet de Deo, respectu nostri, etsi Deus minus teneatur ad nos regendum, quam tenetur Verbum ad regendam humanitatem.

189
Contra 2.

Contra secundo: nam humanitas ex vi vnionis ad Verbum non extrahitur ab statu creaturæ: ergo nunquam potest pervenire ad talem statum, ut minuatur despoticum dominium, quod Deus habet in omnes creaturas vniuersaliter, & æqualiter, nulla prorsus excepta, etiam ipsa humanitate assumpta; & consequenter nunquam potest talem obligationem in Verbum inducere, quod Verbum teneatur, ita humanitatem assumptam regere, & gubernare, quod si humanitas peccaret, peccatum illius Verbo in se ipso attribueretur. Pro quo vide dicta num. 120. & 121.

190
Respondetur
ad probat.
maioris.

Soluto iam argumento Ill. Godoy, restat probationibus maioris satisfacere. Respondeo itaque ad triplicem probationem, concessis præmissis, & prima consequentia, negando subillatam; quia licet superius teneatur regere, & gubernare inferiorem; non ex hoc sequitur, quod peccatum

inferioris tribuatur superiori, ut tot exemplis manet formatum. Et quando hoc aliquando sit verum, verificatur solum, quando superius est principium tam quod, quam quod inferioris, & dat ipsi totam virtutem, id est, dum inferius agit virtute superioris, ut patet in exemplo ab Ill. Godoy tradito de corpore respectu animæ; non autem quando inferius est liberum, & habet sua principia distincta à potentijs, & virtute superioris, ut patet in paritatibus allatis num. 186. & 187. Unde cum humanitas assumpta non agat, nec vivat, nec operetur principijs, & virtute, quibus Verbum vivit, & operatur, nec velit volitione increata, qua Verbum vult, probationes nihil contra nos convincunt. Per quod patet ad id, quod adducit ex D. Thoma, & ad verba Concilij dictum est num. 168.

§. XI.

Solvitur tertium argumentum Ill.

Godoy, & explicatur, quomodo actiones sint suppositorum.

Arguit tertio Ill. Godoy num. 190: si posset humanitas assumpta peccare peccato cum vnione composito, posset suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate, peccare; consequens est falsum: ergo humanitas assumpta non potest peccare peccato cum vnione composito. Consequentia est bona. Minor constat: nam supposito Divino repugnat esse causam specialem peccati; sed si, ut subsistens in humanitate, posset peccare, posset esse causa specialis, vel particularis peccati; ergo suppositum Verbi, etiam ut in humanitate subsistens, nequit peccare. Maior autem, vel sequela probatur: nam actiones sunt suppositorum, & subsistentium, ut commune axioma docet; sed suppositum humanitatis assumptæ est tantum suppositum Verbi, prout subsistens in humanitate; ergo si posset humanitas assumpta peccare peccato cum vnione composito, posset etiam Verbum, ut subsistens in humanitate, peccare.

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: si posset humanitas assumpta peccare peccato cum vnione composito, posset suppositum

Ad author.
D. Thom. &
Concil.

191
Arguit. 3.

192
Respondeo.

tum Verbi, vt subsistens in humanitate, peccare, denominativè concedo maiorem; elicitivè nego maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: *actiones sunt suppositorum*, & *subsistentium* denominativè concedo maiorem; elicitivè nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens distinctione data. Itaque quando communi axiomate asseritur: *Actiones sunt suppositorum*, non ideo dicitur, quia suppositum in natura subsistens, vt *quo*, vel vt *quod*, influat in actiones naturæ suppositæ, sed quia subsistentat naturam proximè, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod* operantem: vnde actiones dicuntur suppositorum *denominativè* tantum. Ex quo tantum sequitur, humanitate vnita peccante, fore peccatum Verbo attribuendum *purè denominativè*, in quo nulla repugnantia, nec indecentia invenitur, sicut nec in eo, quod Verbum in humanitate subsistens, mortuum, Crucifixumquè dicatur, quamvis mors Verbo in se ipso repugnet.

Hanc solutionem rejicit primò Ill. Godoy num. 198. nam Verbum, vt in humanitate subsistens, peccare, adhuc *denominativè*, est indecens Verbo indecentia morali; sed omnis indecentia moralis repugnat Verbo essentialitè, vt fatentur omnes Theologi, & de se manifestum videtur: ergo si humanitate assumpta peccante peccato, cum vnione composito, Verbum *denominativè* peccaret, repugnat humanitatem peccare hypotatica vnione simul cum peccato retenta. Consequentia cum minori tenet. Maior autem, præterquam quod à maiori, & meliori parte Theologorum docetur, tanquam manifesta ex terminis, in hunc modum probatur: Verbum, vt in humanitate subsistens, esse infectum peccato absolute, & simpliciter, indecentiam Verbo repugnantem importat; sed Verbum in humanitate subsistens peccare *denominativè*, est, vt sic subsistens, esse peccato infectum absolute, & simpliciter: ergo *denominativè*, vt in humanitate subsistens peccare, est indecens morali indecentia Verbo. Consequentia tenet. Maior præterquam quod ex ipsius terminis constans videtur, & oppositum pias aures offendit, ex eo sit manifesta; nam esse absolute

infectum peccato, est esse obiectum odij, & inimicitia: Divina absolute, & simpliciter: hoc autem quis non videat præferre maximam indecentiam moralem? Ergo & primum moralem indecentiam importat.

Minor autem probat primò: nam per peccatum habituale, non sola anima, sed etiam tota humanitas dicitur infecta absolute; & tamen peccatum habituale soli animæ inhæret; & consequenter humanitas, provt ab anima distincta, solum *denominativè*, est in peccato habituali: ergo vt Verbum, vt subsistens in humanitate, absolute, & simpliciter sit infectum peccato actuali, sufficit, vt sic subsistens, peccare *denominativè*. Secundò: nam iuxta solutionis doctrinam humanitate Petri peccante suppositum Petri solum peccat *denominativè*, & in humanitate Petri peccante, suppositum Petri absolute, & simpliciter dicitur infectum actuali peccato: ergo Verbum, vt subsistens in humanitate *denominativè* peccare, est esse infectum peccato absolute, & simpliciter. Tertiò: nam Verbum mori in humanitate assumpta, sufficit, vt absolute, & simpliciter dicatur Verbum, vt subsistens in humanitate, esse mortuum, morte corporali: ergo in humanitate assumpta *denominativè* peccare, sufficit, vt Verbum, vt subsistens in humanitate, dicatur absolute, & simpliciter mortuum morte spiritali per culpam; & consequenter sufficit, vt dicatur absolute, & simpliciter infectum peccato.

Ad hanc impugnationem respondent aliqui negando maiorem: nam si per communicationem Idiomaticum dicitur Deus absquè Illius indecentia flagellatus, Crucifixus, Mortuus, &c. quod totum repugnat naturæ Divina; poterit etiam absquè indecentia dici Verbum peccare. Et iuxta hanc doctrinam ad probationem maioris illam distinguunt: Verbum, vt in humanitate subsistens, esse infectum peccato absolute, & simpliciter per communicationem Idiomaticum, indecentiam Verbo repugnantem importat, negant maiorem; formalitè, vel elicitivè concedunt maiorem; distinguunt etiam minorem: sed Verbum in humanitate subsistens peccare *denominativè*, est, vt sic subsistens esse peccato infectum abso-

194
Minorem
probat. i.

Secundò.

Tertiò.

195
Respondent
aliqui.

193
Solutionem
reijcit i.
Ill. Godoy.
nim. dox

891
Firmavit
-ob vito
-na ill.
-obor

891
-ob vito
-na ill.
-obor

lute, & simpliciter, per communicationem Idiomatum concedunt minorem; formaliter, vel elicitive negant minorem, & consequentiam. Distingunt etiam probationem maioris: esse absolute infectum peccato, est esse obiectum odij, & inimicitiae Divinae absolute, & simpliciter, eo modo, quo fuerit peccato infectum concedunt; alio modo negant; ex quo nullum sequitur absurdum. Ad triplicem minoris probationem distinguunt data distinctione, ex qua apparet manifesta disparitas; nam neque humanitas, neque suppositum Petri dicantur peccato infecta per communicationem Idiomatum, ut dicitur Verbum, ut in humanitate subsistens.

Contra hanc tamen solutionem insurgit Ill. Godoy *num. 233*: non enim solum sequitur ex peccato humanitatis assumptae, peccatum Verbum per communicationem Idiomatum, sed verè, & proprie peccatum, ut subsistens in humanitate: nam licet humanitate peccante ista propositio: *Deus peccat*, solum sit vera per communicationem Idiomatum, hæc tamen: *Suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate, peccat*, est vera in omni rigore, magis quam ista: *Humanitas unita peccat*, sicut Verbum, ut subsistens in humanitate, nos redemisse, cum maiori proprietate est verum, quam nos redemisse humanitatem assumptam, eo, quod actiones, etsi possint naturis attribui; magis tamen proprie suppositis attribuuntur: hæc ergo propositio: *Suppositum Verbi, ut subsistens in humanitate, peccat*, esset vera in rigore, & proprietate sermonis, quamvis ista: *Deus peccat*, solum in isto casu esset vera per communicationem Idiomatum. Sicut ista propositio: *Hic homo creavit mundum, est Omnipotens, Eternus, &c.* Signato Christo est vera per communicationem Idiomatum. Ita autem: *Hic homo, ut in Deitate subsistens, creavit mundum, est Omnipotens, & Eternus*, est in omni rigore vera.

Ob hanc itaque replicam, quæ in rei veritate est vera, ut *infra* videbimus. Respondeo primò distinguendo maiorem: Verbum ut in humanitate subsistens peccare, adhuc denominative, est indecens Verbo indecentia morali, purè denominativa concedo

maiorem; elicitive nego maiorem; & distinguo minorem: omnis indecentia moralis elicitive repugnat Verbo essentialiter concedo minorem; purè denominativa nego minorem, & consequentiam. Et iuxta hanc distinctionem ad probationem maioris, illam distinguo: Verbum ut in humanitate subsistens, esse infectum peccato absolute, & simpliciter ratione propriae naturæ, indecentiam Verbo repugnantem importat concedo maiorem; ratione naturæ assumptæ nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Distinguo etiam probationem maioris: esse absolute infectum peccato, est esse obiectum odij, & inimicitiae Divinae absolute, & simpliciter, eo modo, quo fuerit peccato infectum concedo; alio modo nego. Cum ergo Verbum, ut in humanitate subsistens, sit solum per denominationem extrinsecam peccato infectum, per solam extrinsecam denominationem esset obiectum odij, & inimicitiae Divinae, quod nullum est inconveniens; nam sensus esset: quod Verbum, ut subsistens in humanitate, esset obiectum odij, & inimicitiae Divinae ratione naturæ assumptæ, quæ re vera esset in se obiectum odij, & inimicitiae Divinae. Et per hoc patet ad triplicem probationem minoris.

Nec obest, quod Verbum, ut subsistens in humanitate, dicatur peccato infectum absolute, & simpliciter per extrinsecam denominationem, quod ostendo ad hominem contra Ill. Godoy: nam Verbum mori in humanitate assumpta, sufficit, ut absolute, & simpliciter dicatur, Verbū, ut subsistens in humanitate, esse mortuum morte corporali; atqui Verbū, ut subsistens in humanitate, esse mortuum morte corporali, est extrinsecæ tantum denominatio in Verbo: ergo ut Verbum, ut in humanitate subsistens, dicatur peccato infectum absolute, & simpliciter, sufficit, quod per extrinsecam denominationem Verbo conveniat esse peccato infectum. Consequentia est legitima. Minor est notoria. Maior est Ill. Godoy *n. 199*.

Sed quia Ill. Godoy per *ly absolute, & simpliciter* intendit, quod Verbum, ut in humanitate subsistens, dicatur peccato infectum ita proprie, ac tota humanitas dicitur peccato

196

Replicat
Ill. Godoy.

Ad triplicem
prob. min.

198

Firmatur
Solutio doctrina Ill.
Godoy.

197

Respond. 1.

199

Respond. 2.

habituali infecta, & si habituale peccatum soli animæ, vel voluntati inhæreat, similiterque ita proprie, ac suppositum creatum dicitur peccare, dum humanitas peccat. Respondeo secundo ad argumentum negando maiorem, ad cuius probationem nego minorem, & ad primam, & secundam illius probationem nego paritatem, & disparitatem reddo: nam semel admissio peccato habituali in anima, vel voluntate, & actuali peccato in humanitate, non est vnde humanitas sit Deo grata, nec vnde suppositum creatum sit Deo gratum, ideoque tota humanitas dicitur absolute peccato infecta, & suppositum creatum absolute peccare. At suppositum alterius naturæ, ut est Verbum, potest esse Deo gratum ratione propriæ naturæ; & consequenter, quod non ita absolute, sed cum hoc addito, scilicet, *denominative*, diceretur peccato infectum.

200

Alia disparitas est: nam humanitas desumit suam specificationem, & suum esse ab anima, peccato infecta, similiterque suppositum Petri desumit suam specificationem, & suum esse ab humanitate peccante, ideoque dum anima est peccato habituali infecta, tota humanitas dicitur absolute peccato infecta, & dum humanitas peccat, dicitur suppositum Petri absolute peccans. At suppositum Verbi habet propriam naturam, à qua specificetur, consequenterque non debet dici absolute peccans eo, quod humanitas illi extranea peccaret. Et iuxta hanc doctrinam ad tertiam probationem negatur antecedens.

201

Ultra hanc tamen disparitatem, quæ communis est duplici prædictæ probationi, alia potest assignari disparitas in prima probatione, scilicet, quod licet peccatum habituale soli animæ inhæreat (hoc ommito, etsi falsum in nostra opinione, inhæret namque immediate voluntati) tamē ad peccatum actuale committendum tota humanitas est principium quod simpliciter commissionis illius; cum natura singularis, tam substantialis, quam accidentalis, sit principium quod simpliciter actionis, ut docuit Scotus in 1. dist. 3. quest. 6. & ad argumenta. Suppositum autem Verbi non est principium quod simpliciter influens in actiones humanitatis.

Respondeo tertio retorquendo contra Ill. Godoy: humanitate peccante, hæc propositio: *Deus peccat*, esset vera per communicationem Idiomaticum absque indecentia morali Dei, & offensione aurium Catholicorum: ergo humanitate peccante, hæc propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est cum maiori proprietate vera, absque indecentia morali Verbi, & offensione aurium Catholicorum. Antecedens est Ill. Godoy num. 233. Consequentia probatur: humanitate peccante, ista propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est cum maiori proprietate vera, quam hæc: *Deus peccat*; atqui humanitate peccante, hæc propositio: *Deus peccat*, esset vera per communicationem Idiomaticum absque indecentia morali Dei, & offensione aurium Catholicorum: ergo humanitate peccante, hæc propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est cum proprietate vera, absque indecentia morali Verbi, & offensione aurium Catholicorum. Minor, & consequentia tenent. Maior est Ill. Godoy numer. citat. & ultra probatur: in hac propositione: *Christus peccat*, Christus non supponit pro natura Divina, sed pro supposito, ut subsistente in humanitate: ergo, &c.

Reijcit Ill. Godoy solutionem allatam secundo num. 200: si humanitas assumpta posset retenta vnione peccare, hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat*, esset possibiliter vera in rigore, & proprietate; consequens est absurdum, & Catholicas aures offendens: ergo humanitas assumpta non potest peccare peccato cum vnione ad Verbum composito. Consequentia cum minori tenet. Maiorem probat: si non esset possibiliter dicta propositio vera in sermonis proprietate, maxime, quia humanitate peccante Verbum solum *denominative* peccaret; sed hoc non potest obstare proprietati prædictæ propositionis, in sententia authorum, quos impugnamus: ergo ex potentia humanitatis assumptæ ad peccandum peccato cum vnione composito, sequitur veritas illius propositionis in proprietate sermonis. Consequentia probatione non indiget. Maior constat ex doctrina adversariorum.

Et minor probatur: nam hæc pro-

202

Respond. 3.
retorquendo
contra Ill.
Godoy.

203

Reijcit. 2.

204

Minorem
probat.

positio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, pro nobis meruit, & satisfecit, est vera in proprietate, & rigore, non minus, quam hæc: Christus nos redemit, & satisfecit pro nobis; cum Christus non pro humanitate, sed pro supposito Verbi, ut in illa subsistente, supponat, quod non possunt contrarij Authores negare; nam Christum nos redemisse, traditur in Symbolo Apostolorum, & nullus dictam propositionem ad improprium sensum traxit, nec potest Catholicè admitti; & tamen iuxta illorum doctrinam Christus, Verbumque, ut in humanitate subsistens, solū denominativè meruit, & satisfecit pro nobis: ergo quod humanitate assumpta peccante, Verbum, ut in illa subsistens, denominativè tantum peccaret, non tollit, quominus hæc propositio: *Christus, aut Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore, & proprietate sermonis; & consequenter ex potentia humanitatis ad peccandum in sensu composito vnionis, sequitur possibilis non solum veritas, sed etiam proprietates prædictæ propositionis.**

205
Confirmat.

Quod amplius explicat, & confirmat num. 202: humanitate assumpta peccante, hæc propositio: *Christus peccat, est vera in rigore, & proprietate: ergo etiam hæc propositio: Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat, est in rigore vera. Antecedens constat; nam humanitate assumpta niere, hæc propositio: *Christus meretur, est vera in rigore, & proprietate; aliàs solum in sensu improprio esset verum, quod in symbolo confitemur, nempe, *Christum pro nobis natum, & mortuum pro nobis, quod nullus Catholicorum admittet: ergo humanitate Christi peccante, hæc propositio: *Christus peccat, vera est in Sermonis proprietate. Consequentia autem probatur: nam Christus non supponit pro humanitate; aliàs verum esset dicere: *Christus est humanitas, sed pro Verbo, ut subsistente in humanitate: ergo si humanitate peccante verum esset dicere: *Christus peccat in Sermonis proprietate, etiam hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat, esset in rigore vera.*******

206
Respondetur

Respondeo concessa maiori, negando minorem; non enim est absurdum, nec Catholicas aures offendens, quod si humanitas assumpta, retenta

vnione, peccaret, hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore, & proprietate: Quod patet primò: nam nullum est absurdum, nec Catholicas aures offendens, quod hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, est creatura, sit vera in rigore, & proprietate, ut diximus, & firmavimus tom. præced. disput. 20. §. 10. ubi statuimus, quod hæc propositio: *Christus est creatura, est vera in rigore, & proprietate sermonis, quod verum non esset, nisi esset verum, quod hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, est creatura, esset vera in rigore, & proprietate sermonis, ut de hac propositione: *Verbum, ut in humanitate subsistens, pro nobis meruit, & satisfecit, concedit Ill. Godoy in præsentium num. 201. Atqui non minus repugnat essentialiter Verbo, esse creatum, quam esse peccatorem: ergo non est absurdum, nec Catholicas aures offendens, quod si humanitas assumpta, retenta vnione, peccaret, hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore, & proprietate.******

Patet secundò: nullum est inconueniens, nec Catholicas aures offendens, quod hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, incipit esse, sit vera in rigore, & proprietate sermonis: ergo non est absurdum, nec Catholicas aures offendens, quod si humanitas assumpta, retenta vnione, peccaret, hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, peccat, sit vera in rigore, & proprietate sermonis. Consequentia patet; quia æquè Verbo essentialiter repugnat, incipere esse, ac peccare. Antecedens autem probatur: nullum est inconueniens, nec Catholicas aures offendens, quod hæc propositio: *Christus incipit esse, sit vera in rigore, & proprietate sermonis; sed nequit esse sic vera, nisi in rigore, & proprietate sermonis sit vera hæc propositio: *Verbum, ut in humanitate subsistens, incipit esse: ergo nullum est inconueniens, nec Catholicas aures offendens, quod hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, incipit esse, sit vera in rigore, & proprietate sermonis. Consequentia est legitima. Minor patet ex dictis numer. anteced. Maior autem à nobis pro conclusione statuta est tom. præcedenti disput. 20. num. 213. in ipsamquè videtur incli-*****

Retorq. 1.

207
Retorq. 2.

nare Ill. Godoy, vt conitabit retortio-
ne sequenti.

208
Retorq. 3.
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

Patet tertio: nullum est inconve-
niens, nec Catholicas aures offen-
dens, quod hæc propositio: *Verbum, vt
subsistens in humanitate, incipit esse fi-
lius Dei*, sit vera in rigore, & proprie-
tate: ergo pariter: non est absurdum,
nec Catholicas aures offendens, quod
si humanitas assumpta, retenta vnio-
ne, peccaret, hæc propositio: *Verbum,
vt subsistens in humanitate, peccat*, sit
vera in rigore, & proprietate. Conse-
quentia patet per dicta numer. antecede-
nti. Antecedens est Ill. Godoy disp.
55. num. 167. vbi ex veritate huius pro-
positionis: quod *Christus incipit esse
Filius Dei*, infert veritatem huius: *Hic
homo predestinatus est Filius Dei* Quarto: nam non est absurdum, nec Catho-
licas aures offendens, quod istæ pro-
positiones: *Verbum, vt in humanitate
subsistens, sit flagellatum, Crucifixum,
Mortuum, Sepultum, &c.* sint veræ in ri-
gore, & proprietate: ergo similiter.
Consequentia patet ex dictis, & ante-
cedens est apud omnes certum.

Retorq. 4.

Patet quinto: nam si Verbum as-
sumpsisset humanitatem ignorantia
laborantem, nullum esset inconve-
niens, nec Catholicas aures offendens,
quod hæc propositio: *Verbum, vt sub-
sistens in humanitate, esset ignorans*, sit
vera in rigore, & proprietate: ergo
pariter. Consequentia est legitima.
Antecedens est communis doctrina,
vt docent Card. de Lugo, & Amicus.

Retorq. 5.

Patet sexto: nullum est inconueniens,
nec Catholicas aures offendens, quod
hæc propositio: *Verbum, vt subsistens
in humanitate, habet motus inordinatos
appetitus*, sit vera in rigore, & proprie-
tate: ergo pariter. Consequentia est
nottoria. Antecedens verò docetur à
pluribus extra Scholam Scoti, nempe,
Vazquez, Lugo, Gaspare Hurtado,
Beccano, & Arriaga, quos citabimus
disputatione sequenti num. 17. Deni-
què patet: nullum est inconueniens,
nec Catholicas aures offendens, quod
hæc propositio: *Verbum, vt in humani-
tate subsistens, est facilis ad peccandum*,
sit vera in rigore, & proprietate: ergo
pariter: non est absurdum, nec Catho-
licas aures offendens, quod si huma-
nitas assumpta, retenta vnione, pecca-
ret, hæc propositio: *Verbum, vt subsis-
tens in humanitate, peccat*, sit vera in
rigore, & proprietate. Consequentia

est manifesta. Antecedens autem vl-
trà Scotistas defenditur à Vazquez,
Lugo, Arriaga, & Martino Perez,
quos citabimus disputatione sequen-
ti num. 59.

209
Reijcit 3.
solutionem
Ill. Godoy.

Reijcit tertio num. 203: nam ope-
rationes sunt suppositorum, non so-
lum *denominativè*, sed etiam *activè* vt
quod, naturæ autem vt *quo*, vel secun-
dum quam suppositum operatur; sed
peccatum est operatio defectuosa: er-
go humanitate Verbo vnita peccan-
te, Verbum, vt in illa subsistens, vt
quod in peccatum influeret; & conse-
quentè non solum *denominativè*, sed
etiam *influxivè*, vt *quod*, peccaret. Mi-
nor cum consequentia tenet. Maior
autem est expressa D. Thomæ 1. part.
quæst. 39. artic. 5. ad 1. Et quæst. 75. art.
2. in corpor. & ad 2. & ad 3. in corpor.
3. part. quæst. 19. artic. 1. ad 3. & 4. ar-
gument. quæst. 20. artic. 1. ad 2. Id ipsum
docuerat in 1. dist. 5. quæst. 1. artic. 1. in
corpore, illis verbis: *Respondeo dicendum,
quod in creaturis actiones sunt supposi-
torum, & essentia non agit, sed est prin-
cipium actus in supposito; non autem hu-
manitas generat, sed sortes virtute sua
naturæ; in creaturis autem essentia reali-
tè differt à supposito, & ideo nullus ac-
tus proprio de essentia predicatur, nisi
causalitè, &c.* Videturque non minus
expressè tradita à Damasceno lib. 3.
de fide cap. 13. illis verbis: *Scire autem
convenit, aliud esse virtutem operatri-
cem, & aliud quod operandi facultate
præditum est, & aliud opus, & aliud ope-
rantem.* Et explicans quid sit operans
ait: *Operans deniquè is est, qui actione
perfungitur, hoc est persona.* Vbi apertè
Damascenus quatuor in operatione
distinguit, nempe, ipsam operatio-
nem, virtutem operativam, nempe,
facultatem proximam, substantialem
virtutem, nempe, naturam, & operan-
tem, quem asserit esse personam; sed
si natura sola esset operans, vt *quod*
persona non esset aliqua ratione ope-
rans: ergo iuxta Damascenum, actio-
nes sunt personarum, vel supposito-
rum, vt verè ratione naturæ in illas, vt
quod influentium.

210
Confirm. 1.
ex Concilio.

Et hoc ita esse dicendum, osten-
ditur primò ex Concilio Florentino
Sessione 18. post medium, vbi expressè
asseritur, quod actiones sunt supposi-
torum; & Sessio. 19. sic habetur: *iuxta
omnium Philosophorum sententiam, ac-
tiones sunt suppositorum.* Quod non

potest explicari, quod sint supposito-
rum *denominativè*; nam ex hoc princi-
pio colligitur à Concilio, Spiritum
Sanctum procedere à Filio, & quod
essentia in Divinis non generat, sed
Pater ratione essentia; at Pater non
denominativè tantum, sed etiam *elicitivè*,
vt quod generat media essentia,
vt principio quo generandi: ergo prin-
cipium illud, quod in Concilio asserit-
tur, esse Philosophorum omnium,
nempe, *actiones sunt suppositorum*, non
potest intelligi *denominativè*; alias sen-
sus consequentia esset: *Actiones sunt*
suppositorum denominativè: ergo genera-
tio est *elicitivè* à Patre in Divinis. Quæ
consequentia est ridicula.

211
Confirm. 2. Secundo id ipsum probat: perso-
na Divina non solum *denominativè*,
sed etiam vt quod *influxivè* est prin-
cipium processions, v.g. Pater proces-
sionis Verbi, & Pater, & Filius proces-
sionis Spiritus Sancti: ergo persona
creata non solum *denominativè*, sed vt
quod *effectivè* influit in operationem
naturæ, in qua personalitèr subsistit; &
consequentèr Verbum, vt subsistens
in humanitate, non solum *denomina-
tivè*, sed etiam *effectivè*, vt quod influit
in operationes humanitatis. Secunda
consequentia ex prima clarè colligi-
tur: nam quidquid convenit personæ
creatæ, vt in propria natura subsisten-
ti, convenit personæ Verbi, vt subsis-
tenti in humanitate: ergo si personæ
creatæ, vt in propria subsistenti natu-
ra, actio naturæ, vt principio quod ef-
ficienti tribuitur, debet eodem modo
actio humanitatis Verbo, vt in illa
subsistenti attribui. Antecedens est
certum; alias non Pater, sed Essentia
generaret, quod est Hæreticum. Con-
sequentia autem probatur. Tum à pa-
ritate rationis. Tum etiam, nam per-
sonalitas Patris non est ratio formalis,
sed tantum complementum, vel con-
ditio ad generationem Filij requisita;
& tamen Pater, vt personalitèr in
Deitate subsistens, est principium
quod generationis Verbi: ergo quam-
vis personalitas terminans naturam
creatam non sit principium quo for-
male operationis, sed tantum com-
plementum naturæ, & conditio re-
quisita, persona creata, vt subsistens in
propria natura, erit principium quod
in operationem influens.

212
Confirm. 3. Tertio principalitèr probat as-
sumptum num. 213: si namquè suppo-

litum vel persona non influeret, vt
quod in operationes propriæ naturæ,
sed solum diceretur operans *denomi-
nativè*, & per accidens, quia nempe,
sustentaret naturam vt quo, & vt quod
operantem, sequeretur, solum impro-
priè dici operans tales operationes;
consequens est falsum: ergo supposito-
rum non solum *denominativè* opera-
tur, sed est principium quod influens
in operationes propriæ naturæ. Se-
quela patet: quia namquè aqua susten-
tans calorem solum *denominativè* ca-
lescit, & per accidens, in sententia
contrariorum, impropriè, in eorum-
dem sententia, dicitur calefacere: er-
go si suppositum solum hoc modo
operatur operationes propriæ natu-
ræ, non propriè, sed impropriè ope-
ratur.

Minorem ostendit primò: nam
sequitur ex nostra sententia, Verbum,
vt subsistens in humanitate, solum
impropriè dici Natum, Mortuum, &
Sepultum pro nobis, & pro nobis me-
rens, & satisfaciens; consequens est
falsum; alias omnia testimonia Scrip-
turæ, hæc Verbo attribuentia, essent
in sensu impropro accipienda, quod
nullus vcuquè docuit: ergo falsum
est, suppositum *denominativè* solum
operari operationes propriæ naturæ,
quia nempe, naturam, vt quo, & vt
quod operantem sustentat. Secundo:
nam sequitur, hanc propositionem:
Christus satisfacit pro hominibus, &
illos redemit, solum in sensu impro-
prio esse veram; consequens admitti
non potest: ergo suppositum non so-
lum *denominativè* operatur, sed etiam
vt quod *effectivè* influit in operationes
propriæ naturæ. Patet sequela: nam
Christus non supponit pro humani-
tate, sed pro supposito Verbi, vt sub-
sistente in natura Divina, & humana:
ergo si de supposito Verbi, & in hu-
manitate subsistente, solum impro-
priè dicitur, nos redemisse, hæc pro-
positio: *Christus homines redemit*, so-
lum in sensu impropro poterit veri-
ficari.

Tertio: nam sequitur, hanc pro-
positionem: *Humanitas nos redemit*,
esse magis propriam, quam illa: *Chris-
tus nos redemit*: consequens non ad-
mittetur: ergo idem quod prius. Se-
quela patet: nam humanitas iuxta ad-
versarios est principium quo, & quod
adæquatum Redemptionis hominū;

Christus autem solum *denominativè*, & per accidens: quia nempe, humanitatem ut *quo*, & ut *quod* nos redimentem sustentat; sed hac sola ratione, hæc est magis propria: *Calor in aqua existens calefacit*, quam hæc: *Aqua calida calefacit*; quia nempe, calor, ut *quo*, & ut *quod* principiat calefactionem; aqua verò solum se habet, ut sustentans calorem calefacientem: ergo manifestè sequitur, hanc propositionem: *Humanitas nos redemit*, esse magis propriam, quam ista: *Christus homines redemit*, & pro illis satisfacit. Denique probat minorem: nam esse hominè, idem est, quod esse operativum operationum hominis: ergo esse hominem propriè, est esse propriè principium prædictarum operationum; sed suppositum humanum est propriè homo: ergo est propriè principium operationum hominis; & consequenter non tantum *denominativè*, & per accidens.

Quartid.

213
Nota valde
utilis.

Ante solutionem maximè notandum est: hoc tritum axioma: *Actiones sunt suppositorum*, quod Thomistæ omnes dicunt esse Aristotelis 1. *Metaphisicæ* capit. 1. in Philosopho non reperiri, ut notat Scotus in 4. *dist.* 12. *quest.* 3. §. ad 1. *principales*; quod autem ibi habet Philosophus, est: *Actiones, & Generationes sunt circa singularia*. Undè duo habentur. Primum est: Philosophum non loqui de principio elicitive actionum, sed tantum de termino ad quem illius, quem terminum non dicit esse suppositum, sed singulare. Secundum est: falso à Thomistis Philosopho imponi verba prædicta, scilicet, *Actiones sunt suppositorum*. Cæterum dato, quod verba sint Aristotelis; falsitate tamen animadversa.

214
Respond. 1.

Respondeo primò negando maiorem, cuius primam probationem ex Concilio (eadem est ad Damascenum responsio) distinguo: iuxta omnium Philosophorum sententiam actiones sunt suppositorum elicitive, vel denominative concedo; elicitive præcisè, vel præcisè denominative nego. Et hoc esse sufficiens, ut demonstraretur veritas illa, ad quam assumitur à Concilio, scilicet, quod *Essentia nec generet, nec generetur*, ostenditur evidentè hoc syllogismo: Actiones sunt suppositorum elicitive, vel denominative; sed generatio Divina non est ab Essentia, ut à princi-

pio quod elicitive, vel denominativo: (alioquin Essentia Divina esset simpliciter producens, & consequenter realiter distingueretur à Filio producto contra fidem) ergo est à supposito Patris, ut principio quod elicitive, vel denominativo: (siquidem præter Essentiam non est, nisi Pater in priori ad generationem) ergo Pater, & non Essentia, generat: ergo à pari: Filius, & non Essentia, generatur: ergo Essentia nec generat, nec generatur.

Respondeo secundò aliter distinguendo axioma: Actiones sunt suppositorum denominative concedo; elicitive subdistinguo: respectu productionum ad intra concedo; his exceptis nego. Licet enim teneamus cum Scoto, quod in omnibus suppositis creatis, imò & in Divinis respectu productionum ad extra, actiones sunt suppositorum denominative tantum; asserimus tamen, quod in suppositis Divinis respectu productionum ad intra, non active sumptarum, sed passive acceptarum, actiones sunt suppositorum elicitive, & denominative. Hoc pro nunc supposito, & latè probando in quætionibus selectis, ubi hanc difficultatem specialiter disputabimus, optimum est argumentum Concilij; loquitur namquè de supposito Divino respectu productionis ad intra, quæ est suppositi elicitive, & denominative.

Undè cum respectu productionis ad intra suppositum sit principium quod elicitive, & denominative, eo, quod Essentia Divina nec elicitive, nec denominative generet, aut generetur; respectu tamen productionum ad extra, & in omnibus actionibus creatis, suppositum sit tantum principium quod denominative; hoc axioma: *Actiones sunt suppositorum*, debet intelligi, nec præcisè elicitive, nec præcisè denominative, sed disiunctim, scilicet, vel elicitive, vel denominative, quo pacto est in omni Schola univèrsaliter verum.

Si autem axioma prædictum intelligatur præcisè elicitive, falsum evidentè est, quod verum sit iuxta omnium Philosophorum sententiã, quod sic convincitur. Primò: nam Doctor Subtilis mortuus fuit anno Domini 1308. Concilium autem Florentinum celebratum fuit anno Do-

215
Respond. 2.

Quomodo
actiones
sunt suppo-
sitorum.

216
Actiones nõ
sunt suppo-
sitorum eli-
citive præ-
cisè.

mini 1439. En iam per integrum sæculum, & amplius Schola florebat Scotistica, in qua præcesserant tot Doctores, & tunc temporis stabant, vt in solo Capitulo Generali Salmantice celebrato fuerint congregati 600. Doctores in diversis Europiæ Vniuersitatibus laureati, qui omnes oppositum clamabant: ergo cum tunc temporis Schola Scotistica, tam celebris, & plausibilis in Dei Ecclesia non clamaret: Actiones esse suppositorum elicitive præcisè, falsum est, quod hoc sit iuxta omnium Philosophorum sententiam.

217
Idem declaratur.

Convincitur secundo: nam hoc axioma: *Actiones sunt suppositorum*, si elicitive præcisè intelligatur, falsum est in Thomistarum opinione: ergo falsum est, quod sit verum iuxta omnium Philosophorum sententiam. Probatur antecedens: plures dantur actiones, quæ in Thomistarum opinione non sunt elicitive à suppositis: ergo, &c. Antecedens patet primo: in actionibus animæ separatae. Secundo: in actionibus accidentium Eucharisticæ. Tertio: in actionibus essentialibus Dei, nempe, intelligere, & velle, qui sunt productiones ad intra iuxta Thomistas, cum quibus Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disput. 71. atqui actus essentialis non eliciuntur à personis, sed tantummodo modificantur per relationes, vt ipsi fatentur: ergo plures dantur actiones, quæ in Thomistarum opinione non sunt elicitive à suppositis. Sed quia quando Thomistæ dicunt, quod actiones sunt suppositorum, locuntur de actionibus, quæ procedunt à natura suppositata, ob quod exempla de anima separata, & accidentibus Eucharisticis non vincunt, probatur prædictum antecedens hac ratione: actiones ad extra, procedentes à Deo, non sunt suppositorum elicitive iuxta fidem, secundum quam personæ Divinæ non sunt tria principia elicitiva, nec tres creatores, sed vnus creator, & vnum principium, sicut vnus Deus: ergo plures dantur actiones, quæ in Thomistarum opinione non sunt elicitive à suppositis.

218
Quomodo actiones attribuantur supposito.

Si autem queras: quomodo actiones vere, & proprie attribuantur supposito, si tantum sunt denominative ab illo? Respondeo: actiones attribui vere, & proprie supposito, non tan-

quam in principium *quo*, vel *quod* phisicè influens in actiones, sed tanquam in principium, *quod* vltimè denominatur agere, seu habere actiones nature, à qua phisicè procedunt. Ratio huius est, quam assignat Scotus in 4. distict. 12. quest. 3. Et in 1. dist. 12. quest. 1. ad 2. quia omnis forma existens in alio, vt forma, sicut dat esse, ita dat illi aliquomodo denominari à sua actione (nam sicut non est, nisi in illo, ita non agit, nisi in illo, ac perinde si propter primum denominat quoad esse, propter secundum debet denominare quoad agere) atqui omnis natura respectu suppositi se habet, vt forma totius, dans illi esse simpliciter ex Scoto *quodlib.* 19. & patet discurrendo per singulas: ergo sicut dat esse supposito, ita dat illi aliquomodo denominari à sua actione: ergo optimè actiones attribuantur supposito, tanquam in principium *quod* vltimo denominatum.

Quod hoc declaratur exemplo: nam intellectus est principium *quo* elicitive intellectiois, & anima est principium *quod* elicitive illius. Principium *quo* denominativum est ipsa anima, vt denominat hominem, vel suppositum intelligentem, & principium *quod* denominativum est homo, vel suppositum, quod ab actione suæ formæ, scilicet, anima, denominatur intelligens. Non ergo actiones attribuantur supposito, tanquam in principium *quo*, vel *quod*, elicitive, sed tantum tanquam in principium *quod* denominativum.

Atque hinc se se apperit (humanitate peccante) differentia inter has propositiones: *Christus peccat. Deus peccat. Verbum, vt subsistens in humanitate, peccat.* Hæc namque propositio: *Christus peccat*, esset vera proprie, & formaliter, intrinsicè, & essentialiter, sicut proprie formaliter, intrinsicè, & essentialiter dicitur Flagellatus, Crucifixus, Mortuus, &c. eo, quod actiones, & passiones naturæ humanæ intrinsicè, & essentialiter Christo conveniant. Hæc autem propositio: *Deus peccat*, esset solum vera per communicationem Idiomatum. Hæc denique propositio: *Verbum, vt subsistens in humanitate, peccat*, esset vera denominative dumtaxat, vt satis constat ex dictis. Sed est adhuc alia differentia: quod si hæc propositio: *Deus peccat*, est de-

Declaratur exemplo.

219
Modus loquendi declaratur.

nominate vera, est denominatione sumpta à communicatione Idiomaticum. Hæc autem: *Verbum, ut in humanitate subsistens, peccat*, est denominative vera, denominatione sumpta ab actione humanitatis, quæ simul cum Verbo constituunt intrinsicè, & essentialiter Christum.

Et iuxta hanc doctrinam retorqueo replicam contra Ill. Godoy: actiones sunt suppositorum, non solum denominative, sed etiam active: ergo passiones sunt suppositorum, non solum denominative, sed etiam passive. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia est paritas evidens, & ostenditur: nam non solum actiones, verum etiam passiones, attribuuntur suppositis; atqui, quia actiones attribuuntur suppositis, sunt suppositorum, non solum denominative, sed etiam active: ergo quia passiones attribuuntur suppositis, passiones sunt suppositorum, non solum denominative, sed etiam passive. Infero nunc: ergo sicut Verbum active physice influxit in actiones Christi, ita passive physice passus est passiones Christi: ergo Verbum, ut in humanitate subsistens, habuit potentialitatem passivam, in qua physice pateretur tristitiam, dolorem, & tormenta. Quod est absurdum, & Catholicas aures offendens.

Utrâ hoc respondeo tertio ad supra positam replicam Ill. Godoy, negando maiorem, ad cuius dictam probationem ex Concilio dico: propositionem illam, nempe, *iuxta omnium Philosophorum sententiam actiones sunt suppositorum*, fuisse assumptam, ad probandum, Spiritum Sanctum procedere à Filio, à Ioanne Theologo, disputante pro Latinis; Concilium autem non approbasse prædictam propositionem, sed conclusionem illatam, nempe, Spiritum Sanctum à Filio procedere. Ex quo nihil Ill. Godoy favens inferitur; nam rationes Conciliorum non sunt de fide, imò aliquando principijs falsis nituntur, ut constat ex septima Synodo generali, ubi Pater quidam cum Hæreticis disputans, ut probaret, Angelos depingi posse, principium falsum assumpsit, nempe, Angelos esse corporeos.

Hanc rationem impugnat primo Ill. Godoy num. 206: quia rationes Conciliorum, etsi non sint de fide, sunt tamen ingentis autoritatis, & il-

lis contravenire sine maximo, & virginti fundamento, & nisi ex eis aliquid absurdum sequatur, non videtur temeritate carere: ergo licet ex autoritate inducta, non habeatur veritas propositionis nostræ, ut de fide, non tamen potest negari. Secundo: nam Ioannes Theologus principium illud assumpsit, ut Philosophis commune, & nullus ex alijs Patribus, vel Latinis, pro quibus disputabat, vel ex Græcis, contra quos agebat, in contrarium reclamavit: ergo ab omnibus fuit approbatum, saltem tacite, quamvis nec tacite, nec expressè definitum.

Denique: ut enim rectè notavit M. Sancto Thoma *disp. 16.* argumento Ioannis Theologi fuerunt Patres Græci convicti, ut assererent, Spiritum Sanctum procedere à Filio: ergo omnes Græci Doctores principio in antecedenti assumpto assenserunt tãquam vero, & alias Patres Latini, quorum nomine Ioannes Theologus arguebat, eidem assentiebantur: ergo ab omnibus fuit tanquam verum admissum; & consequenter, quamvis definitum non fuerit, illud tamen non licebit negare: quod enim communi consensu Patrum Concilio generali assentientium admittitur tanquam verum, & Philosophis commune, non licet tanquam falsum rejicere.

Respondeo ad primam replicam negando antecedens. Ad secundam concessio, vel permissio antecedenti nego consequentiam. Ad tertiam omisso antecedenti, cum prima consequentia, nego subillas. Et ut luce clarius appareat inutilitas replicarum Ill. Godoy, supponendum est, quod in Concilio Niceno II, seu 7. *Synodo Generali actione 5. Vel tom. 6. Concil. fol. 67. & 68. iuxta impressionem à nobis relatum in hac disput. num. 162.* Ioannes quidam Thesalonicensis Episcopus disputans contra Philosophum Gentilem asseruit: Sanctos Dei Angelos, Sanctarumque animas posse depingi, eo, quod Catholica Ecclesia corporeas substantias utriusque attribuat.

Verba Concilij sunt hæc: *Sanctus dixit: De Angelis, & Archangelis, & eorum Potestatibus, quibus, & nostras animas adiungo, ipsa Catholica Ecclesia sentit: esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, & invisibiles, ut vos Gentiles dicitis, verum tenui cor-*

Secundo.

223
Tertio.224
Respondeo
ad replicas225
Verba Con-
cilij Nicen.220
Retorqueo
contra Ill.
Godoy.221
Respond. 3.
ad replicam
Ill. Godoy.222
Impugnat
Ill. Godoy
solution. 1.

pore preeditos, & aëreo, siue igneo, ut scriptum est. Qui facit Angelos suos spiritus, & Ministros eius ignem vreniem. Sic autem multos Sanctorum Patrum sensisse cognovimus, quorum est Basilius cognomento Magnus, & Beatus Athanasius, & Methodius, & qui stant ab illis. Solummodo autem Deus incorporeus, & informabilis; intelligibiles autem creatura nequaquam ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt: quare etiam in loco existunt, & circumferentiam habent. Quamquam autem non sunt, ut nos, corporei, utpotè ex quatuor elementis, & crassa illa materia, nemd tamen, vel Angelos, vel Demones, vel animas dixerit incorporeas: multoties enim in proprio corpore visi sunt, sed ab illis quibus Dominus oculos aperuit. Nos igitur eos non, ut Deum, sed ut creaturas intelligibiles, & Ministros Dei, non tamen ut verè incorporeos pingimus, & colimus. Quod autem hominis forma, pingantur, in causa est, quod in eo visi sunt, si quando ministerium Dei apud homines obierunt.

Ex his itaque retorqueo primam replicam contra Ill. Godoy: ratio Concilij ad diffiniendam veritatem Fidei, scilicet, Angelos, & animas posse depingi, est, quod Angeli, & animæ sunt substantiæ corporeæ: ergo negari nequit, Angelos, & animas esse substantias corporeas, quod secundam aliquos est contra fidem, vel saltem temerarium iuxta alios. Probatum consequentia: rationes Conciliorum, etsi non sint de fide; sunt tamen ingentis authoritatis, & illis contravenire sine maximo, & vrgenti fundamento, non videtur temeritate carere; sed ratio Concilij ad diffiniendam veritatem fidei, scilicet, Angelos, & animas posse depingi, est, quod animæ, & Angeli sunt substantiæ corporeæ: ergo nequit negari, animas, & Angelos esse substantias corporeas.

Retorque secundam replicam: nam Ioannes Episcopus Thesalonicensis principium illud assumpsit, ut Ecclesiæ commune, & nullus ex alijs Patribus in contrarium reclamavit: ergo ab omnibus fuit approbatum, saltem tacitè, quamvis nec tacitè, nec expressè diffinitum. Antecedens constat ex Concilio. Consequentia verò probatur: ideo infert Ill. Godoy, quod principium Ioannis Theologi ab omnibus fuit approbatum, saltem tacitè, quam-

vis nec tacitè, nec expressè diffinitum, quia Ioannes Theologus principium illud assumpsit, ut Philosophis commune, & nullus ex alijs Patribus in contrarium reclamavit; atquiloannes Episcopus Thesalonicensis principium assumpsit, ut Ecclesiæ commune, & nullus ex alijs Patribus reclamavit in contrarium: ergo ab omnibus approbatum fuit, saltem tacitè, quamvis nec tacitè, nec expressè diffinitum.

Retorqueo tertiam replicam: nam in argumento Ioannis Episcopi fuerunt Gentiles convicti, ut assererent: Angelos, & animas posse depingi: ergo omnes Gentiles principio, in antecedenti assumpto, assenserunt tanquam vero, & aliàs omnes Patres, quorum nomine Ioannes Episcopus arguebat, eidem assenserunt: ergo ab omnibus fuit tanquam verum admissum, & consequentèr quamvis diffinitum non fuerit, illud tamen non licebit negare; quod enim communi consensu Patrum Concilio Generali assistentium admittitur, tanquam verum, & Ecclesiæ commune, non licet tanquam falsum rejicere. Omnes illæ retorsiones formatæ sunt ad litteram replicarum Ill. God. Si enim intendit: principium Ioannis Theologi esse verum apud omnes Philosophos, concedere tenetur, principium Ioannis Episcopi esse verum apud Catholicos, quod est absurdum.

Brevius tamen replicas Ill. Godoy retorqueo: in Concilio Niceno cit. Ioannes quidam Episcopus Thesalonicensis contra Philosophum Gentilem disputans, asseruit: Sanctos Angelos, Sanctarumquè animas posse depingi, eo, quod Catholica Ecclesia corporeas substantias vtrisque attribuat. En locum, vbi ore alterius Ioannis hæc propositio: Angeli, & animæ sunt substantiæ corporeæ, habetur expressis verbis in Concilio. Hac ratione vtitur Concilium ad diffiniendam fidei veritatem, scilicet, Angelos, & animas posse depingi. Omnes Patres audierunt, & non reclamarunt, sed communi approbarunt consensu. Si Ioannes Theologus de sua propositione dixit: sicut in humanis vniuersa clamat Philosophia, Ioannes ille Episcopus de sua testatus est: eo, quod vtrisque Catholica Ecclesia corporeas substantias tribuat. Quid igitur indè?

226
Retorq. 1.
replicam.

227
Retorq. 2.
replicam.

228
Retorq. 3.
replicam.

229
Retorqueo
triplicem
replicam
Ill. Godoy.

Nonne licet inferre : ergo falsa est omnium Catholicorum sententia, oppositum tenens? Minimè. Similiter ergo de propositione Ioannis Theologi.

230
Ad 2. prob.
respond. 1.
assignando
disparitatē

Ad secundam probationem Ill. Godoy positam num. 211. respondeo concessio antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: nam personalitas Patris est conditio ad generationem, ex vi generationis petita; nam cum inter produciens, & productum debeat intervenire distinctio realis, quæ in Divinis non habetur ante personalitatem; ideo generatio ex vi talis petit Patris personalitatem, ut conditio ad generationem, & ut adæquata ratio distinguendi realiter; consequenterque constitutum ex natura, & personalitate, nempe, Pater, est principium quod productivum ad intra, sicut ob oppositam rationem Pater non est principium quod productivum ad extra, sed hic numero Deus. Et ratio utriusque est: nam ideo hic numero Deus non est principium quod productivum ad intra, quia ut est prior personis, non habet rationem, per quam realiter distinguatur à termino producto; atqui hic numero Deus, ut est prior personis, præter virtutem creatricem adæquatam, habet singularitatem, per quam realiter distinguitur à creaturis: ergo ob rationem, qua hic numero Deus est principium quod productivum ad extra, persona est principium quod productivum ad intra.

231

Personalitas autem creata, etsi sit conditio ad actiones naturæ; non tamen est conditio ex vi actionis petita, sed solum petitur ex indigentia naturæ quoad suum esse, quia petit natura esset prius in suo esse completa, quam operetur, eo, quod prius sit, esse, quam operari. Unde cum ante personalitatem creatam detur iam singulare, quod per suam singularitatem realiter distinguitur à suo termino producto, ideo non persona creata, sed singulare, est principium quod elicitivum, quia singularitas, & non personalitas, est in creatis ex vi actionis petita, sicut in Divinis respectu productionum ad extra, non personalitas, sed singularitas, est conditio ex vi productionum ad extra petita.

232

Unde iuxta hanc doctrinam li-

quida differentia inter personam Divinam, & creatam, ut persona Divina sit principium quod elicitivum respectu productionum ad intra, & persona creata non sit tale principium respectu actionum, est: quia respectu productionum ad intra personalitas Divina est conditio, ex vi productionis ad productionem exacta. Personalitas vero creata non est ex vi actionis ad actionem petita. Hanc disparitatem inter personam Divinam, & creatam non adducit Ill. Godoy; sed ne aliquid illius, quod sit contra nostram doctrinam sine impugnatione, vel solutione, relinquatur.

Respondeo secundò, aliam assignando disparitatem inter personalitatem Divinam, & creatam personalitatem. Nam personalitas Divina, nempe, Paternitas respectu processions Verbi, & Paternitas, & Filiatio respectu processions Spiritus Sancti, præsupponuntur ad processiones ordine originativo; ideoque in Divinis respectu processions ad intra actiones sunt suppositorum elicitivè. At personalitas creata non præsupponitur ad actiones ordine causalitatis, ideoque in creatis actiones non sunt suppositorum elicitivè.

Contra hanc secundam disparitatem replicat primò Ill. Godoy num. 210: nam existentia præviè ad operationem requiritur, non solum ordine dignitatis, sed etiam causalitatis; sed substantia complet, ut existat, naturam, & causalitatis ordine eius existentiam præcedit, ut docet D. Thomàs *infra quest. 17. artic. 2*: ergo præcedit operationem ordine causalitatis; & consequenter ad illam saltem, ut conditio prærequisita concurrat. Deinde: nam dato, quod personalitas non præcedat existentiam, est ad minus connaturale complementum existentia: ergo ut natura existat connaturaliter, requiritur; & consequenter, ut connaturaliter operetur. Prima consequentia ex antecedenti colligitur. Secunda probatur: nam vnum quodque operatur, eo modo, quo existit: ergo requisitum ad connaturaliter existendum, etiam requiritur ad connaturaliter operandum.

Denique: nam si humanitas se sola, sine modo substantia, esset complementum operationum hominis, humanitas se sola, absque modo su-

Differentia
inter perso-
nam Divi-
nam, &
creatam.

233
Respond. 2.
aliam dis-
paritatem
assignando

234
Replicat Ill.
Godoy.
Primò.

Secundò.

235
Tertiò.

peraddito, esset completè homo; consequens est falsum; aliàs humanitas esset persona; & consequenter Verbum non solum naturam hominis, sed etiam assumpsisset personam: ergo humanitas sine modo subsistentiæ, non est completa in ratione principij operativi, & consequenter subsistentia est requisita, saltem vt complementum humanitatis connaturale in ratione operatiuæ. Sequela, in qua est difficultas, probatur: nam conceptus naturæ consequitur ad conceptum essentiæ, & cum illo proportionatur: ergo natura completa in ratione naturæ, est completa etiam in ratione, & linea essentiæ; sed ratio naturæ est ratio principij radicaliter operativi: ergo humanitas completa complemento essentiali, & complemento naturali in ratione principij operationum hominis, est completa utroque complemento in ratione naturæ; & consequenter in linea, & ratione essentiæ, omni gaudet complemento. Ex quo ulterius fit, vt si humanitas se sola, absquè modo superaddito esset principium completum operationum hominis, se sola, absquè modo superaddito esset completè homo.

236
Confirmat
hoc.

Confirmat hoc num. 212: si anima rationalis esset principium quo adæquatum omnium operationum hominis, anima rationalis esset homo, non solum ex parte naturæ, sed etiam adæquata natura, & essentia hominis in quantum homo, vt arguit D. Thomas 1. part. quæst. 75. artic. 4: ergo si humanitas se sola esset principium quo, & quod adæquatum operationum hominis, humanitas non solum esset adæquata natura hominis, sed etiam adæquatè homo; & consequenter per se ipsam esset suppositum, & persona.

237
Ad 1. repli-
cam respon-
detur.

Respondeo ad primam replicam, omiſſa maiori (non enim existentia requiritur ordine causalitatis ad operationem, ita vt dicatur, existentiam requiri, vt ratio formalis, sed potius debet dici, pertinere ad complementum causæ in ordine suo, cum existentia sit modus intrinsecus rerum) negando minorem; quia nihil certius in nostra doctrina, quam quod subsistentia, nec compleat naturam, vt existat, nec existentiam illius ordine causalitatis præcedat; est enim natura prius existens, quam subsistens, cum

existentia sit modus intrinsecus naturæ; subsistentia autem realiter ab illa in creatis distinguatur, vt est apud omnes certum, & constat in humanitate à Verbo assumpta.

238
Ad 2.

Ad secundam respondeo distinguendo antecedens: personalitas est connaturale complementum existentia, existentia præsupposita omitto antecedens; non præsupposita existentia nego antecedens, qua distinctione distinguo vtrumque consequens, quin aliud conuincat secundæ consequentiæ probatio. Itaque personalitas est connaturale complementum existentia, quatenus naturam iam existentem constituit personam, eo, quod naturæ iam existenti tribuat incommunicabilitatem alteri, vt actui per se substantialiter completivo. Cæterum personalitas non est connaturale complementum existentia, ita, vt existentiam completivè constituat, vt patet ex dictis num. antecedenti.

239
Ad 3.

Ad tertiam respondeo distinguendo maiorem: si humanitas se sola, sine modo subsistentia, esset completum principium, vt quo, & vt quod elicitivum, & denominativum operationum hominis; humanitas se sola, absquè modo superaddito, esset complete homo concedo maiorem; si esset completum principium vt quo tantum nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Nequè probatio sequelæ aliquid conuincit; nam natura est principium quo adæquatum elicitivum operationum. Singulare est principium quod elicitivum adæquatè correspondens naturæ. Suppositum, seu persona est principium quod denominativum. Vnde nunquam humanitas se sola esset completè homo, in sensu, quo loquitur ill. Godoy, & de quo hic non curo, quia nec est sine singularitate singularis, à quo sunt operationes elicitive vt quod, nec est sine personalitate persona, à qua sunt operationes denominative, vt quod. Et per hoc patet ad confirmationem distinguendo consequens distinctione data.

240
Ad 3.

Denique ad tertiam principalem probationem positam num. 212. concessis præmissis, nego suppositum consequentis; supponit namquè, quod suppositum denominativè per accidens operetur, sicut denominativè per accidens aqua calida calefacit.

Imo nego etiam aliud suppositum, scilicet, quod nos hoc asseramus, quod expressè tradit Ill. Godoy *num. 215*. Deinde nego etiam aliud suppositum, scilicet, quod humanitas sit principium *quo*, & *quod* adæquatum operationum, quod etiam supponit in tertia probatione minoris. Itaque licet verum sit, quod actiones sint suppositorum denominativè; falsum tamen est, quod sint suppositorum denominativè denominatione per accidens, quod optimè convincit Ill. Godoy per probationes minoris, & ultra apparet: nam si actiones essent suppositorum denominativè denominatione per accidens, ita esset vera hæc propositio: *Musicus edificat*, ac hæc: *Petrus operatur*, quod est falsissimum.

241
Personalitas præcedit per se actiones naturæ.

Sunt etenim actiones suppositorum denominativè denominatione per se præcedenti. Et ratio est: nam cum prius sit esse, quam operari, prius etiam est, quod pertinet ad esse, quam quod pertinet ad operari; atqui suppositivitas, seu personalitas pertinet ad esse subiectum, siquidem est eius formale substantiale complementum; actio autem pertinet ad operari: ergo sicut esse per se præcedit operari, ita suppositivitas, seu personalitas, pertinet ad esse, præcedit per se actiones naturæ, quæ pertinent ad operari.

242
Qualis sit hæc præcedentia per se.

Hæc autem præcedentia per se, quam habet suppositivitas, seu personalitas ad actiones naturæ, est præcedentia naturalis præsuppositionis ob rationem datam. Est tamen differentia; nam in sententia constituente personalitatem, seu suppositivitatem in positivo, in qua solet concedi, quod natura possit esse sine omni substantia, suppositivitas, seu personalitas præcedit præcedentia per se connaturali, quatenus connaturaliter exigitur prius, quam ponatur actio, uti est præcedentia accidentis in subiecto prius, quam operetur. In sententia vero constituente suppositivitatem, seu personalitatem (loquimur in creatis) in negativo, (ut nos constituimus contra Ill. Godoy *tom. 3. in 1. Sentent. disput. 80.*) in qua opinione repugnat, quod natura completa sit sine propria, vel aliena substantia, personalitas, seu suppositivitas præcedit actiones naturæ præcedentia per se, non tantum connaturali, sed necessaria, &

inevitabili. Unde nunquam suppositum, vel persona dicitur per accidens operari, et si denominativè operetur, per quod ruit omnino probatio supra posita Ill. Godoy.

Ultra hæc tamen retorqueo primò ad hominem contra Ill. Godoy: si persona non influeret, ut *quod* in operationes propriæ naturæ, sequeretur, solum improprie dici operans tales operationes; atqui nulla ex Divinis personis influit, ut *quod* in operationes Divinas: ergo nulla ex Divinis personis est proprie Deus, quod est absurdum. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy in probatione, quam facit contra nos. Minor est doctrina Theologis communis, traditurque ab Ill. Godoy *numer. 216.* & rationem tribuens, ait: aliàs pro priori ad relationem Paternitatis hic Deus non esset intelligens, & volens volitione, & intellectione Divina.

Respondet Ill. Godoy *numer. 216.* concessa maiori, distinguendo minorem: ratione proprietatis personalis concedit minorem; ratione Deitatis negat minorem, & consequentiam. Nec sequitur, hunc Deum pro priori ad relationes, non esse intelligentem, & volentem completissimè, & perfectè; nam Pater non intelligit intellectione essentiali, nec est principium virtuale, aut eminentiale illius, ratione proprietatis personalis, sed ratione Deitatis, ut subsistentis subsistentia absoluta; ac proinde ex eo, quod Pater sit principium dicto modo actuum intelligendi, & volendi, non sequitur, individuum Deitatis pro priori ad relationes non esse perfectè intelligens.

Sed contra: nulla ex Divinis personis influit ut *quod* in operationes Divinas ratione Deitatis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: pro priori ad Divinas personas datur principium *quo*, & *quod* influens in Divinas operationes, scilicet, in intellectionem essentialem, & essentialem volitionem: ergo nulla ex Divinis personis influit, ut *quod* in operationes Divinas ratione Deitatis. Consequentia est legitima; alioquin pro priori ad Divinas personas esset, & non esset principium *quod* influens in operationes Divinas. Antecedens vero probatur: hic Deus pro priori ad relationes, seu personas, non solum ut

243
Retorq. I. ad homin. contra Ill. Godoy.

244
Respondet ipse.

245
Contra.

quo, sed etiam ut quod est principium virtuale actionum intelligendi, & volendi, ut habet Ill. Godoy *num. 218*: ergo pro priori ad Divinas personas datur principium quo, & quod influens in Divinas operationes.

246
Retorq. 2.
ad homin.
cōtra ipsam

Retorqueo secundo ad hominem etiam contra ipsum: licet suppositum, vel persona non influat, ut quod in operationes propriæ naturæ, persona dicitur cum proprietate operans: ergo nulla est probatio Ill. Godoy. Probatur antecedens: licet Divina persona, v.g. Pater, non influat ut quod in operationes Divinas, scilicet, in intellectionem essentialem, & essentialem volitionem, Pater dicitur cum proprietate intelligens, & volens, in intellectione, & volitione essentialibus: ergo licet suppositum, vel persona non influat ut quod in operationes propriæ naturæ, persona dicitur operans cum proprietate.

247
Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num. 220*. negando paritatem. Disparitas est: nam *Hic Deus* prædicatur cum proprietate de Patre; & ideo, quamvis ratione sui sit completum intelligendi principium, propriè etiam prædicatur de Patre, esse principium intelligendi, quamvis Paternitas nullatenus ad intellectionem essentialem concurrat; humanitas autem, nec propriè, imò nec verè prædicatur de persona; hæc namquè propositio: *Petrus est humanitas*, est falsa; vnde si humanitas ratione sui esset completum principium suarum operationum, non posset de persona humana cum proprietate enuntiari, esse principium prædicatarum operationum. Ratio autem, cur Deitas non compleatur in ratione principij per proprietates personales, humanitas autem personalitate propria compleatur, est; nam Deitas pro priori ad relationes intelligitur subsistens, & perfectissimè existens; vnde à personalitatibus per se existentiam non accipit, nec illis eget, ut sit, sed ex fecunditate ei competunt; & ideo illis non completur; humanitas autem personalitate propria completur in linea essendi, nec ante illam intelligitur subsistens, nec per se existens, & idcirco personalitate propria completur ad operandum.

248
Contra 1.

Sed ultra falsitates, quas supponit solutio, de quibus diximus *num. 237*. & sequentibus; contra primò: ideo

propriè dicitur de Patre, esse principium intelligendi, quamvis Paternitas nullatenus ad intellectionem essentialem concurrat, quia *Hic Deus*, qui est completum intelligendi principium, prædicatur cum proprietate de Patre; atqui *Hic homo* prædicatur cum proprietate de Persona, v.g. de Petro; hæc enim est vera: *Petrus est hic homo*, sicut hæc: *Pater est hic Deus*: ergo etsi *hic homo* sit completum principium operandi, propriè dicitur de Petro, esse principium operandi, quavis personalitas illius nullatenus ad operationem concurrat.

Contra secundo, & vrgetur: ideo, quæ huic Deo conveniunt, de Patre cum eadem proprietate affirmatur, quia *hic Deus* verè, & propriè enuntiat de Patre, iuxta Ill. Godoy *n. 221*; sed *hic homo* verè, & propriè enuntiat de Petro: ergo quæ huic homini conveniunt, de Petro cum eadem proprietate affirmantur. Atqui huic homini verè, & propriè convenit operari: ergo etiam verè, & propriè convenit Petro. Replicæ factæ sunt ad litteram doctrinæ Ill. Godoy, ex quibus apparet, tum falsitas suppositorum, quæ includit tertia illius probatio. Tum etiam veritas nostræ solutionis ad illam.

249
Contra 2.

Soluto iam supra posito argumento Ill. God. solutisque replicis, contra nos ab ipso factis, restat nunc ultra retorsiones factas, argumentum retorquere retorsione communi, ut aliqua singularitate solutionem illius impugnemus. Retorqueo itaque argumentum: non minus oppositur vitæ mors, quam sanctitati peccatum; sed ex eo, quod Verbum summa vita sit, tantum sequitur, mortem illi repugnare in se ipso, non autem, quod illi repugnet mori in humanitate assumpta, ita ut in illa subsistens verè, & propriè mori dicatur: ergo ex eo, quod sit summa sanctitas, solum infertur, repugnare illi in se ipso peccare, non autem, quod illi repugnet peccare in humanitate assumpta, & propterea in illa subsistens, peccans propriè denominari. Minor cum consequentia tenet. Maior constat: nam mors, & vita opponuntur privativè, peccatum autem, & sanctitas privativè, vel contrariè: ergo non minus opponuntur mors, & vita, quam sanctitas, & peccatum.

Retorqueo
argument.
principale
Ill. Godoy.

Confirmatur, & vrgetur: Verbo

251

Confirmatur, & vrgetur.

in se ipso non minus repugnat mors, quam peccatum; sed hoc non obitante, potest Verbum in humanitate mori, & iuxta Ill. Godoy provt in humanitate subsistens, mortuum propriè denominari: ergo paritèr: poterit peccare in humanitate assumpta, & provt in illa subsistens, propriè peccans, & peccator denominari. Quod solet roborari eo, quod repugnantia phisica non est minor, quam moralis repugnantia; sed Verbum, vt in humanitate subsistens, dicitur phisicè mortuus: ergo etiam dicitur peccans. Eadem retorsio est de flagellatione, Crucifixione, &c.

252
Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num. 237.* ditinguendo maiorem: non minus opponitur vitæ mors, quam sanctitati peccatum intensivè concedit maiorem; extensivè negat maiorem, & concessa minori, negat consequentiam. Sanctitati namquè summæ, vel supposito summè sancto, ratione summæ sanctitatis, non solum repugnat denominari peccans in se, sed etiam denominari peccans in alio, vel in aliena natura; supposito autem viventi vita per essentiam, solum opponitur mori in se ipso, non autem mori in natura aliena, quam terminat: vndè etsi æquè opponantur intensivè, & respectu eiusdem naturæ, non tamen æquè extensivè, & respectu eiusdem suppositi in diversa natura.

253
Instat arg.

Et instat argumentum *num. 238:* non minus opponitur mors vitæ, quam peccatum sanctitati; sed mors, licèt repugnet summæ vitæ in subiecto summè vivente, non tamen repugnat summæ vitæ, vt ab illa in alio subiecto causata: ergo licèt peccatum repugnet summæ sanctitati in proprio subiecto; non tamen repugnabit summæ sanctitati, vt ab illa causatum in alio: Cuius præmissæ sunt veræ; nam Deo, qui est summa vita, licèt repugnet mors in se ipso, non tamen repugnat ab illo in alio subiecto causari; nam Deus causat in hominibus mortem; peccatum namquè nec in se, nec in alio causare potest. Paritèr ergo in præsentì, mors non repugnat Verbo in aliena natura, nec vt in illa subsistens mortuum denominari; peccatum autem, & denominatio peccantis, non solum repugnat Verbo in se ipso, & vt subsistenti in natura Divina, sed etiam

in natura humana, & provt in illa subsistenti.

Et ratio discriminis (prosequitur ipse) est duplex. Prima: quia mors est malum phisicum, & ad Deum ordinabile: vndè sicut hac ratione potest illam in alijs causare: ita potest ab illa in alio denominari; peccatum autem est malum morale, quod ad Deum nullatenus potest refferri, & sicut hac ratione non potest à Deo, nec in se ipso, nec in alio causari: ita non potest Deum, nec in se ipso, nec in alio denominare. Secunda ratio discriminis est: nam Verbum, vt subsistens in humanitate, non potest denominari peccans, nisi vt causa particularis insinat in peccatum ab humanitate commissum, & quia influxus iste repugnat, non potest denominari peccans à peccato humanitatis; potest autem denominari mortuum humanitate moriente, quia influxus subtentativus Verbo in mortem humanitatis non repugnat.

Hæc tamen solutio impugnatur primò: nec solutio data, nec instantia facta, nec prima disparitas assignata, sunt ad rem: ergo nulla sunt. Probatur antecedens: solutio, instantia, & disparitas prima fundantur in hoc, quod Deus potest causare mortem in alio; non verò peccatum; sed hoc non est ad rem: ergo nec solutio, nec instantia, nec prima disparitas sunt ad rem. Probatur minor: dicere, quod Deus potest causare mortem in alio; non verò peccatum, est loqui de denominationibus, provt dicunt ordinem effectus ad causam efficientem; sed loqui de denominationibus, provt dicunt ordinem effectus ad causam efficientem, non est ad rem: ergo quod Deus possit causare mortem in alio; non verò peccatum, non est ad rem. Consequentia est legitima. Maior ex terminis patet. Minor autem probatur: hic non loquimur de denominationibus, provt dicunt ordinem effectus ad causam efficientem: ergo loqui de denominationibus, provt dicunt ordinem effectus ad causam efficientem, non est ad rem. Probatur antecedens: loqui de denominationibus, provt dicunt tantum ordinem denominati ad formas denominantes, non est loqui de denominationibus, provt dicunt ordinem effectus ad causam efficientem; sed hic loquimur de denomina-

254
Rationem discriminis dat.

255
Impugn. 1. solutio Ill. Godoy, & 1 illius disparitas.

tionibus, prout dicunt tantum ordinem denominati ad formas denominantes: ergo hic non loquimur de denominationibus, prout dicunt ordinem effectus ad causam efficientem.

Minor probatur 1.

Maiores cum consequentia tenet. Minor verò probatur primò: hic loquimur de denominationibus *mortui, & peccatoris*, prout dicunt solum ordinem Verbi, vt denominati, ad mortem, & peccatum, vt formas denominantes: ergo hic loquimur de denominationibus, prout dicunt tantum ordinem denominati ad formas denominantes. Probatur secundò: nam licet per impossibile Deus non esset causa mortis, nec posset mortem in alio causare, Verbum, vt subsistens in humanitate, mortuum propriè denominaretur; atqui hæc esset denominatio, prout dicit tantum ordinem denominati ad formam denominantem, & de qua loquimur in præsentibus: ergo, &c.

256

Impugn. 2.

Impugnatur secundò solutio allata: quod Deus non possit causare peccatum in se, nec in alio, non tollit, quod Verbum, vt in humanitate subsistens, denominetur peccator, peccato ab humanitate commissio: ergo nulla est solutio, nulla instantia, & prima disparitas nulla. Probatur antecedens primò: quod Deus non possit causare peccatum in se, nec in alio, non tollit, quod Verbum, vt in humanitate subsistens, denominetur mortuum peccaminosè, peccato ab occidentibus commissio: ergo pariter.

Antecedens probat. 1.

Secundò.

Probatur secundò: quod paries non possit causare albedinem in se, nec in alio, non tollit, quod paries, vt subsistentans albedinem, denominetur albus ab albedine, parieti inhærente: ergo similiter. Tertiò: quod aqua non possit causare calorem, nec in se, nec in alio, non tollit, quod aqua, vt subsistentans calorem, denominetur calida, à calore, aquæ inhærente: ergo quod Deus non possit causare peccatum in se, nec in alio, non tollit, quod Verbum, vt in humanitate subsistens, denominetur peccator, peccato ab humanitate commissio. Et ex his in mille exemplis probari potest antecedens.

Tertiò.

257

Impugn. 3.

Impugnatur tertiò: quod peccatum sit malum morale, quod ad Deum nullatenus potest referri, solum probat, quod Deus non possit formaliter,

& elicitive efficere peccatum; sed hoc non obest, vt Verbum, prout in humanitate subsistens, denominetur peccans, vel peccator, vt patet ex proximè dictis: ergo nulla est prima disparitas ab Ill. Godoy assignata. Denique impugnatur: sicut peccatum est malum culpæ, ita mors est malum pœnæ; sed quod mors sit malum pœnæ, non obest, vt Verbum, prout in humanitate subsistens, denominetur pœnans à pœna in humanitate recepta: ergo quod peccatum sit malum culpæ, non obest, vt Verbum, prout in humanitate subsistens, denominetur peccans à peccato ab humanitate commissio.

Impugn. 4.

Secunda etiam disparitas rejicitur primò: Verbum, vt subsistens in humanitate, potest denominari peccans, quin vt causa particularis influat in peccatum ab humanitate commissio: ergo ruit secunda disparitas. Probatur antecedens primò: Pater Æternus potest denominari intelligens, & volens, intellectuione, & volitione essentiali, quin vt principium particulare influat in intellectuionem, & volitionem essentialem: ergo pariter. Secundò: quælibet Divina Persona potest denominari creans, & produciens creaturas, quin quælibet Divina Persona, vt causa principalis, influat in creationem, & productionem creaturarum; alioquin essent tres Creatores: ergo similiter: Verbum, vt subsistens in humanitate, potest denominari peccans, quin vt causa particularis influat in peccatum ab humanitate commissio.

258

2. Disparitas, rejicitur 1.

Rejicitur secundò prædicta disparitas: Verbum, vt in humanitate subsistens, potest (humanitate moriente) denominari mortuum per influxum sustentativum humanitatis: ergo per eundem influxum potest Verbum, vt in humanitate subsistens, denominari peccator, humanitate peccante. Antecedens est Ill. Godoy, vt vidimus num. 254. Consequentia est paritate certa; nam nulla est ratio, vt influxus sustentativus sit sufficiens ad denominationem mortui, & non sit sufficiens ad denominationem peccatoris.

259

Rejicit. 2.

Denique, vt tota doctrina, quam in hoc argumento tradit Ill. Godoy, destructa maneat, dupliciter contra insum insurgo. Primò, probando Christi impeccabilitatem non rectè

260

Argument. Ill. God. ex dicto axioma nō rectè probat.

pro-

probari ex dicto axioma. Secundo probando, falsum supponere. Primum ostendo: impeccabilitas aliter de Deo, ac de Christo, vt homine, enuntiari debet; sed non aliter de Deo, ac de Christo, vt homine, enuntiaretur, si impeccabilitas Christi recte probaretur ex eo, quod actiones sint suppositorum elicitive precise: ergo ex eo, quod actiones sint suppositorum elicitive precise, non recte probatur impeccabilitas Christi. Maior patet ex dictis. Minor probatur: semel supposito, quod actiones sint suppositorum elicitive precise, Christus, vt homo, est æque impeccabilis, ac Deus: ergo, &c. Probatur antecedens: Christum, vt hominem, esse impeccabilem, quia actiones sunt suppositorum elicitive precise, est Verbum Divinum esse impeccabile; sed Verbum Divinum est æque impeccabile, ac Deus: ergo semel supposito, quod actiones sint suppositorum elicitive precise, Christus, vt homo, est æque impeccabilis, ac Deus. Minor, & consequentia tenent. Maior constat; alioquin non recte probaretur impeccabilitas Christi, vt hominis, ex eo, quod actiones sint suppositorum elicitive precise, cuius oppositum tenet Ill. Godoy.

Ostendo secundum: argumentum supponens falsum, falsum est; sed argumentum Ill. God. supponit falsum: ergo falsum est. Probatur minor: Argumentum supponit, quod actiones sunt suppositorum elicitive precise; sed hoc est falsum: ergo argumentum Ill. Godoy supponit falsum. Probatur minor: si Christus Dominus generaret alium hominem, Verbo hypostaticè vnitum, tunc suppositum non esset principium quod elicitivum: ergo falsum est, quod actiones sint suppositorum elicitive precise. Consequentia est legitima. Antecedens autem est evidens, quia si in casu posito suppositum esset principium quod elicitivum, idem se ipsum produceret, quod est apud omnes falsum.

Dices: casum esse impossibilem. Contra: casus est possibilis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: non repugnat, Christum Dominum generare alium hominem, Verbo hypostaticè vnitum: ergo possibilis est ca-

lus. Probatur antecedens: in primis Christus Dominus habet virtutem generativam hominis; cum hæc in Christo nullam dicat imperfectionem, quin potius esset imperfectio in Christo, illa carere. Deinde: personalitas Verbi terminare poterat humanitatem productam; eadem namque personalitas plures potest terminare naturas, vt sentiunt omnes Theologi, de quo diximus tom. 1. in 3. Sent. disput. 16. num. 166. Denique: Deus poterat impedire subsistentiam propriam illius humanitatis productæ, vt fecit de facto, & impedivit propriam subsistentiam humanitatis Christi: ergo de primò ad vltimum non repugnat, Christum Dominum generare alium hominem, Verbo hypostaticè vnitum, consequenterque possibilis est casus prædictus.

§. XII.

In sensu diviso potuisse humanitatem peccare, probatur.

SIt quarta conclusio: *Ex natura rei, & melius de potentia Dei absoluta, potest humanitas Christi peccare, peccatum destruente vnionem hypostaticam.* Oppositum huic conclusioni habet Ill. Godoy num. 271. illamque nos statuimus, vt ordinem ipsius servemus; nam in nostra doctrina multa falsa supponit. Primò supponit: vnionem hypostaticam esse formam sanctificantem, cuius oppositum defensatum habemus tom. præced. disp. 21. Secundo: dato, quod esset forma sanctificans, supponit, quod vnio hypostatica, & peccatum opponantur ex natura rei, quod est falsum ex dictis §. 2. Vnde hæc conclusio apud nos falsum supponit. Sensus autem, quo prædicta conclusio in nostra opinione defendi valet, est: quod supposito, quod vnio hypostatica esset forma sanctificans ex Divina ordinatione, vti est gratia habitualis, posset humanitas ex natura rei peccare, peccato destruente vnionem; sicut homo cum gratia habituali potest peccare, peccato expellente gratiam. Et supposito, quod esset forma sanctificans ex natura rei, posset humanitas de potentia Dei absoluta peccare, peccato destruente vnionem, quod manet probatum num. 126.

Habitis autem falsitatibus suppositorum, & nostris principiis nitten-

262
4. Conclusio per oppositum ad Ill. Godoy.

Conclus. falsa supponit in nostra doctrina.

263
Conclusio à

do,

261

Argument. Ill. Godoy falsum supponit.

Dices.

Contra.

nobis statuenda.

do, sic conclusio est statuenda; *Ex natura rei, & melius de potentia Dei absoluta, potest humanitas Christi peccare, peccato destruyente vnionem hypostaticam, non ob oppositionem, quam ex natura rei habeant peccatum, & vnio, sed quia Deus vellet propter peccatum vnionem destruyere.* Conclusio sic proposita breviter à nobis probatur: nec ex natura rei, nec de potentia Dei absoluta, repugnat cum vnione hypostatica peccatum, siue habituale, siue actuale: ergo multò minus repugnabit peccatum destruyens vnionem. Consequentia est legitima. Antecedens probatum manet, & defensum ex hucusquè dictis. Quod autem peccatum non destrueret vnionem ob oppositionem, quam ex natura rei habeant, conitatur etiam ex dictis, præsertim §. 2. & 7. ex quo sequitur, quod vnionis destructio esset, quia Deus vellet illam destruyere, quod Deum facere posse, vt certum supponit Ill. Godoy num. 271.

264

Argumenta soluta manent.

Argumenta, quæ contra hanc conclusionem sic propositam, potènt Ill. Godoy obijcere, obiecta, & soluta sunt §. 8. antecedentibus; nam argumentum, quod tradit num. 313. ex obligatione Verbi, solutum, & retorsum manet à num. 177. vsque ad 191. Argumentum autem, quod adducit n. 328. vltra plura falsa, quæ in nostra sententia supponit, non procedit contra nos, vt ipse fatetur num. 130. & 131. sed contra illos, qui admittendo repugnantiam peccati in sensu composito vnionis, illam negant in sensu diuiso. Sed quia sub hac quarta conclusione disputat Ill. Godoy de potentia proxima peccandi, in quo stat punctus huius controversiæ præcipuus, vt diximus num. 13. vbi etiam notauimus, quod melius ab Scotistis, quam ab Ill. God. conclusio proponitur, ideò sit.

§. XIII.

Christum potuisse de potentia Dei absoluta peccare, probatur.

265

5. Conclusio

Probat. 1.

Quinta conclusio: *Christus potuit de potentia Dei absoluta peccare, tam in sensu composito, quam in sensu diuiso vnionis.* Hæc est conclusio, quam habet expressè Scotus cit. num. 8. & quam ego cum ipso contra Ill. Godoy defendo, & probatur primò: cui essentialiter non repugnat peccatum, tam habituale, quam ac-

tuale, illi non repugnat essentialiter potentia peccandi, siue remota, siue proxima; sed humanitati vnitæ, siue in sensu composito vnionis, siue in sensu diuiso, non repugnat essentialiter peccatum, tam habituale, quam actuale: ergo humanitati vnitæ, siue sensu composito vnionis, siue in sensu diuiso, non repugnat essentialiter potentia peccandi, siue remota, siue proxima. Consequentia est legitima. Maior est manifesta: nam omnis actus secundus supponit primum. Minor autem, in qua est difficultas, constat ex præiactis conclusionibus. Quod respondere potest Ill. Godoy ad hanc nostram probationem, impugnatum manet per vcusquè dicta.

Probat secundò conclusio: *impeccabilitas negat potentiam ad peccandum: ergo aliter de Deo, & aliter de Christo, vt homine, enuntiari debet. Patet consequentia. Primò: quia impeccabilitas Deo competens est increata, quæ nequit Christo competere. Secundò: quia impeccabilitas Dei est per naturam, Christi verò per gratiam ex D. Augustino contra Maximum lib. 3. cap. 13. dicente: *Cuicumque rationali creaturæ præstatur, ut peccare non possit, non est hoc natura propria, sed gratia Dei.* Tertio: quia impeccabilitas Christi est inferioris ordinis respectu impeccabilitatis Dei ob rationes datas. Summo nunc: atqui impeccabilitas, ita enuntiatur de Deo, vt ab intrinseco, & essentialiter ipsi competat, nec amplioribus verbis explicari potest: ergo aliter de Christo enuntiari debet: ergo Christus ab intrinseco, & essentialiter impeccabilis non est; alioquin non aliter enuntiaretur: ergo hæc propositio: *Christus ab intrinseco, & essentialiter peccabilis est,* vera est.*

Respondet Ill. Godoy numer. 354: quod impeccabilitas Deo propria, est impeccabilitas ab intrinseco essentialiter conueniens; non verò impeccabilitas ex dono intrinseco gratiosè communicato, & hæc secunda, & non prima, est, quæ humanitati conuenit. Quod idem dixerat num. 353.

Et quidem (prosequitur num. 356.) totum argumentum evidentè in sententia Scoti instatur: nam licet humanitas Christi non fuerit impeccabilis ratione vnionis ad Verbum; fuit tamen, & est impeccabilis ratione

266

Probat. 2. conclusio.

267

Respondet Ill. Godoy.

268

Instatur probat.

fruitionis beatificæ, & hoc ex sententiâ Scoti: ergo humanitas Christi ratione fruitionis beatificæ est inexpedita in actu primo ad peccandum. Patet consequentia: nam potentia in actu primo expedita potest coniungi cum actu: ergo si humanitas Christi ratione fruitionis beatificæ, fuit impotens ad peccandum, non fuit ad peccandum in actu primo expedita. Tunc sic argumentor: in humanitate Christi, simul cum beatifica fruitione invenitur, nedum essentia naturæ humanæ, sed etiam omnis humanitatis proprietates; & tamen simul cum beatifica fruitione non est potentia expedita in actu primo ad peccandum: ergo potentia expedita in actu primo ad peccandum non est naturæ humanæ proprietates; & consequenter malè ex hoc principio probatur, debere humanitati vnitæ competere.

Deinde: humanitas fruens Deo, est natura facta ex nihilo; & tamen potens proximè ad peccandum non est: ergo ex eo, quod humanitas Verbo hypostatice vnita, sit natura facta ex nihilo, malè inferitur, esse in proxima potentia peccandi. Denique: in humanitate Deo fruente sunt omnia, quæ Deus in natura humana plantavit; & tamen ex hoc non colligitur, in illa, vt beatifica fruitione exornata, esse potentiam proximam peccandi: ergo pariter: ex eo, quod in humanitate Verbo hypostatice vnita, sint omnia, quæ Deus in natura humana plantavit, perperam inferitur, in humanitate vnita esse proximam potentiam, & in actu primo ad peccandum expeditam. Sicut ergo hæc omnia in humanitate saluantur simul cum visione beata, aut beatifica fruitione, nempe, esse creaturam non habentem esse à se, sed ex nihilo, & habere omnes proprietates humanæ naturæ, & omnia, quæ Deus in humana natura plantavit, quin ex illis colligatur potentia proximè expedita ad peccandum in humanitate beatifica fruitione gaudente, sed tantum potentia remota, hoc est, posse quantum est de se peccare. Ita hæc omnia rectè cohærent in humanitate Verbo hypostatice vnita, quin ex illis colligatur potentia proxima ad peccandum, sed tantum potentia remota.

Hæc tamen solutio non tollit vim nostræ probationis; vnde non contra

ipsam, sed potius ex ipsa argumentum restauro: impeccabilitas Deo propria, scilicet, impeccabilitas ab intrinseco essentialiter illi conueniens, non est impeccabilitas humanitati conueniens: ergo aliter de Deo, & aliter de humanitate enuntiari debet. Atqui ita de Deo enuntiatur impeccabilitas, vt ab intrinseco essentialiter, simpliciter, absolute, & per omnem potentiam Deo repugnet peccabilitas, nec amplioribus verbis explicari potest: ergo nequit impeccabilitas humanitatis eisdem verbis explicari: ergo falsa est hæc propositio ab Ill. Godoy prolata: *Humanitati Christi repugnat peccabilitas ab intrinseco, essentialiter, simpliciter, absolute, & per omnem potentiam*: ergo solum reitat locus, vt prædicta propositio sit vera de facto, & secundum potentiam Dei ordinariam.

Nec instantia, quam evidentem vocat Ill. Godoy, vim aliquam habet contra nos, quin potius etiam ex ipsa restauratur argumentum: humanitas namque cum fruitione beatifica, solum de facto, & secundum potentiam Dei ordinariam est impeccabilis: ergo licet de facto humanitas cum beatifica fruitione non habeat potentiam proximam peccandi: illi tamen non repugnat talis potentia, vt multoties dictum habemus, præsertim *num. 126*. Imò hanc esse expressam Scoti sententiam, est luce clarius, quare in hoc tantum sensu potuit Ill. Godoy instantiam formare, in quo, ne sibi noceret, illam omisisset.

Ob hoc ergo respondebis cum Ill. Godoy *num. 349. & 350*: prædictam rationem probare dumtaxat in humanitate potentiam remotam ad peccandum, quod sufficit, vt aliter de Deo, & aliter de humanitate enuntietur propositio allata; non verò probare potentiam proximam ad peccandum. Primum admittunt omnes. Secundum verò est, quod negat Ill. Godoy cum omnibus, qui nobis in hac disputatione aduersantur. Hæc est genuina responsio. Ob quam.

Probatur tertio conclusio, & simul impugnatur primò solutio: in Christo Domino non fuit impotentia remota ad peccandum: ergo essentialiter ei non repugnat proxima potentia ad peccandum, & consequenter potuit peccare Christus de poten-

ne Ill. Godoy
instauratur
argum.

271
Amplius
restauratur
argum.

272
Respondet
bis cum Ill.
Godoy.

273
Probat. 3.
conclusio, &
impugnatur
solutio. 1.

269

270

Ex solutio.

tia Dei absoluta. Antecedens patet primò ex argumenti solutione. Secundò: quia potentia remota peccandi est liberum arbitrium finitum, & defectibile; sed hoc manet in Christo; est enim omninò eiusdem rationis in omnibus hominibus: ergo, &c. Tertio: potentia remota ad peccandum non est culpabilis; est enim naturalis, & à solo Deo producta ante omnem consensum liberum voluntatis. Quarto: non repugnat humanitati phisica capacitas ad peccandum, quæ nunquam sit in actu redducenda; sed hæc est potentia remota ad peccandum: ergo in Christo Domino non fuit talis impotentia ad peccandum.

274
Consequètia
probat. 1.

Consequètia probatur primò: posita impotentia remota ad peccandum, necessario ponitur aliquid, ob quod repugnet proxima potentia ad peccandum; sed per te in Christo non est impotentia remota ad peccandum: ergo essentialitèr ei non repugnat potentia proxima ad peccandum. Probat. maior: posita essentiali repugnantia potentia proxima ad peccandum, necessario ponitur impotentia remota ad peccandum: ergo posita impotentia remota ad peccandum, necessario ponitur aliquid, ob quod repugnet proxima potentia ad peccandum. Antecedens probatur primò: ablata essentiali repugnantia potentia proxima ad peccandum, necessario aufertur impotentia remota ad peccandum: ergo similiter è contra. Secundò: impossibilitas formalis alicuius actus secundi supponit impossibilitatem in actu primo, seu radicem talis impossibilitatis: ergo, &c. Tertio: essentialis repugnantia potentia proxima cuiuscumque rei supponit radicem, ex qua oriatur; sed radix illa impotentia remota est: ergo posita essentiali repugnantia potentia proxima ad peccandum, necessario ponitur impotentia remota ad peccandum. Maior probatur à simili: essentialis formalis non repugnantia, seu potentia proxima cuiuscumque effectus, supponit radicem, seu potentiam remotam, ex qua oriatur: ergo paritèr.

275
Probat. 2.

Probat. secundò prædicta consequètia: simplex potentia proxima ad peccandum repugnat ex negatione concursus ex parte Dei ad utrum-

libet parati; sed hæc non est essentialis repugnantia: ergo essentialitèr ei non repugnat potentia proxima ad peccandum. Maior patet: nam supposito tali concursu, potentia remota fieret proxima. Minor est certa: nam concursus ex parte Dei est quid extrinsecum humanitati Christi. Consequètia inferitur. Probat. tertio eadem consequètia: simplex potentia proxima ad peccandum non est culpabilis; est enim à Deo absquè vlllo libero consensu; sed ob hoc non repugnat potentia remota: ergo similiter. Probat. quartò dicta consequètia: proxima potentia tantum extrinsecè differt à remota; sed à differentia extrinseca nequit essentialis repugnantia provenire: ergo si Christo convenit potentia remota ad peccandum, ei essentialitèr non repugnat potentia proxima. Maior patet in quacumque potentia proxima, & remota. Minor claret in omni differentia extrinseca, cuius affirmatio, vel negatio de subiecto, non infert in illo aliquam essentialem repugnantiam. Consequètia bona est.

Probat. 3.

Probat. 4.

Probat. quartò conclusio, & solutio allata impugnatur secundò: in humanitate Christi non est radicalis repugnantia repugnantia formalis peccandi: ergo nec repugnantia essentialis peccandi; & consequenter potuit peccare Christus de potentia Dei absoluta. Antecedens patet ex dictis: nam in humanitate Christi non est radicalis impotentia potentia proxima peccandi, quia non est impotentia remota; atqui potentia remota peccandi non potest esse potentia radicans impotentiam proximam peccandi, ut claret in potentia remota ratiocinandi, & agendi; radix namquè in virtute influit in id, cuius est radix, quod nequit facere potentia remota in impotentiam proximam: ergo verum est antecedens.

276
Probat. 4.
cōclusio, &
2. impugn.
solutio.

Consequètia probatur: repugnantia essentialis formalis non convenit rei per meram negationem, sed per aliquid positivum, quod rem essentialitèr constituat, & sit radix talis repugnantia essentialis formalis; sed in humanitate Christi non est positivum aliquod, quod ipsam essentialitèr constituat, & sit radix talis repugnantia formalis essentialis: ergo nec repugnantia essentialis peccandi.

277
Consequen-
tia probat.

Consequentia tenet. Minor est certa; nam hoc positivum, & radix repugnantiae formalis essentialis, est repugnantia radicalis illius repugnantiae formalis essentialis, ut de se conitat; sed haec per te non est in humanitate Christi: ergo in humanitate Christi non est positivum aliquod, quod ipsam essentialiter constituat, & sit radix talis repugnantiae formalis essentialis.

278
Probat
maior.

Maiores verò probatur: nam repugnantia essentialis, & accidentalis, seu negatio aptitudinis, & negatio actus, vel negatio repugnantiae, & negatio non repugnantiae, distinguuntur in hoc, quod ad secundam, scilicet, accidentalem, sufficit non positio positivi negati, vel positio accidentis contrarii positivo negato; ad primam vero, scilicet, essentialem, hoc non sufficit, sed requiritur praedicatum essentialis positivum, ratione cuius sit essentialis repugnantia: ergo repugnantia essentialis formalis non convenit rei per meram negationem, sed per aliquid positivum, quod rem essentialiter constituat, & sit radix talis repugnantiae formalis essentialis. Antecedens quoad primam partem claret: nam ad negationem albedinis in pariete, & amoris in voluntate, sufficit non positio albedinis, & amoris, vel positio nigredinis, & odij, quae sunt accidentia contraria. Quoad secundam partem similiter claret: nam ad negationem aptitudinis ratiocinandi in bruto, seu ad repugnantiam essentialem, quam dicit ad ratiocinandum, non sufficit non positio actus ratiocinandi, seu positio actus inhiendi; sed ultra requiritur praedicatum essentialis positivum radicans praedictam repugnantiam. Consequentia est legitima.

279
Respondet
Ill. Godoy.

Hanc tertiam, & quartam probationem, quae sunt impugnatioes solutionis supra positae, non adducit Ill. Godoy in terminis; adducit tamen num. 358. replicam omnino similem, cuius solutio est ad nostras probationes responsio. Respondet itaque num. 360. distinguendo consequens: ergo essentialiter ei non repugnat proxima potentia ad peccandum, ex vi eiusdem principij, ex quo convenit potentia remota concedit consequentiam; ex vi distincti principij convenientis ab extrinseco negat conse-

quentiam; & haec distinctione distinguet etiam quartam probationem. Solum enim potest colligi, humanitati non repugnare proximam potentiam peccandi, repugnantia orta ex illius entitate, ex qua provenit potentia ad peccandum remota; non autem, quod illi repugnare non possit ratione substantiae Verbi, quae humanitati ab intrinseco communicatur; sicut etiam cui convenit potentia remota, non potest ex eodem principio repugnare actus tali potentiae respondens; bene tamen ex alio principio illi conveniente ab extrinseco; ut constat in humanitate Christi, cui repugnat actuale peccatum cum unione compositum ratione substantiae Verbi, quamvis in illa ratione sui sit potentia remota peccandi.

Haec tamen solutio (omissa falsitate exempli de humanitate Christi respectu peccati cum unione compositi) impugnata manet per probationem consequentiae utriusque nostrae probationis, ut est manifestum; claritatis gratia impugnatur hoc modo: humanitati Christi repugnat potentia proxima ad peccandum, repugnantia orta ex principio ab humanitate distincto, & illi ab extrinseco conveniente, scilicet, a substantia Verbi: ergo humanitati non repugnat essentialiter potentia proxima peccandi. Antecedens est solutio Ill. Godoy. Consequentia probatur: repugnantia orta ex aliquo extrinseco, non est essentialis repugnantia; sed humanitati Christi repugnat potentia proxima ad peccandum, repugnantia orta ex principio ab humanitate distincto, & illi ab extrinseco conveniente: ergo humanitati non repugnat essentialiter potentia proxima peccandi. Probat maior primo: id, quod alicui extrinsece convenit, nequit in illud repugnantiam essentialiter constituit, ut est notorium: ergo, &c. Secundo probatur: si repugnantia orta ex aliquo extrinseco esset essentialis repugnantia, nulla esset differentia inter repugnantiam essentialem, & accidentalem, ut patet; sed hoc est falsum ex dictis num. 278: ergo repugnantia orta ex aliquo extrinseco non est essentialis repugnantia.

Probat quinto conclusio: humanitas Verbo unita ex vi solius unionis ad Verbum, non impeditur

280
Impugnatur solutio
Ill. Godoy.

281
Probat. 5.
conclusio.

in actu primo ad peccandum: ergo in illa, ut sic vnita, seclusis donis accidentalibus gratiæ, & fruitionis beatificæ, manet potentia ad peccandum in actu primo expedita. Consequentia tenet: nam expeditio potentiæ solum potest tolli per potentiæ impedimentum ex parte actus primi se tenens: ergo si humanitas vi solius vnionis ad Verbum non impeditur in actu primo ad peccandum, in illa, prout sic vnita, inspecta tantum vnione, manet potentia peccandi in actu primo expedita.

282

Antecedens probat. 1.

Antecedens autem ostenditur primo: nam humanitas ratione vnionis ad Verbum solum habet subsistere subsistentia Verbi, ut gerente vices subsistentiæ propriæ creatæ propter continentiam eminentialem illius; sed humanitas propria subsistentia subsistens, non esset impedita in actu primo ad peccandum: ergo vi solius vnionis ad Verbum non redditur ad peccandum in actu primo impedita. Secundo: nam vnio humanitatis ad Verbum, & subsistentia, cui vnitur, non immutat modum intrinsecum operandi humanitatis; sed humanitas de se est indifferens in actu primo ad peccandum: ergo humanitas vnita est etiam in actu primo ad peccandum indifferens; & consequenter non impedita in actu primo ad peccandum.

Secundo.

283

*Respondet Ill. Godoy.**Ad 1. prob. anteced.*

Respondet Ill. Godoy *num. 365.* negando antecedens: Ad primam probationem concessa maiori, & minori, negat consequentiam: nam licet subsistentia Verbi terminet humanitatem, & illam subsistentem constituat ratione continentia eminentialis subsistentiæ propriæ creatæ, cui non repugnat peccatum: quia tamen hoc non potest humanitati præstare, nisi vnita illi secundum suum esse formale, & subsistentiæ Verbi repugnat peccatum, & etiam potentia peccandi; sit consequens, ut quamvis humanitas propria gaudens subsistentia, sit expedita in actu primo ad peccandum, terminata per subsistentiam Verbi in actu primo impediatur.

284

Alièr format responsonem ad 1. probat. anteced.

Vel alièr potest primæ probationi occurrere, distinguendo maiorem: solum habet subsistere subsistentia Verbi, ut gerente vices subsistentiæ creatæ, quoad id, quod perfectionis est in creatura subsistentia concedit maiorem; quoad id, quod imperfectionis

dicit subsistentia creatura negat maiorem; & concessa minori, negat consequentiam. Nam quod humanitas propria gaudens subsistentia, sit potens expeditè ad peccandum, provenit ex imperfectione subsistentiæ propriæ creatæ, cui ex eo, quod finita est, non repugnat coniungi cum peccato, & cum potentia proxima ad illud; subsistentia autem Verbi gerit vices subsistentiæ creatæ quoad perfectionem, non autem quoad imperfectionem; & ideo ex eo, quod humanitas propria subsistentiæ vnita, sit potens expeditè ad peccandum, non sequitur, vnitam subsistentiæ Verbi eadem expeditione gaudere.

Ad secundam probationem respondet *num. 366.* negando maiorem: nam modus intrinsecus operandi voluntatis est cum indifferentia exercitij, & specificationis: licet autem subsistentia Verbi humanitati vnita non determinet humanitatè quoad exercitium, determinat illam quoad specificationem ad bonum; ac proinde immutat modum intrinsecum operandi humanitatis, impediendo indifferentiam quoad specificationem, ad quod non requiritur, quod intrinsecè inhæreat, sed sufficit, quod intrinsecè terminet humanitatem, & illam intrinsecè compleat, prout est principium operandi.

Responsio ad primam probationem reijcitur primo: quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens expeditè ad peccandum, non provenit ex imperfectione, nempe, finitate subsistentiæ propriæ creatæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: si quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens expeditè ad peccandum, proveniret ex imperfectione, nempe, finitate subsistentiæ propriæ creatæ, quilibet beatus, v. g. D. Thomàs, esset potens expeditè ad peccandum; sed hoc est omnino falsum, & contra omnes Theologos: ergo quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens expeditè ad peccandum, non provenit ex imperfectione, nempe, finitate subsistentiæ propriæ creatæ. Patet maior: nam D. Thomàs, sicut, & quilibet beatus (Christo excepto) gaudet propria subsistentia, quæ finita est.

Reijcitur secundo eadem solutio: quod humanitas, propria gaudens

285

Ad 2. prob. respondet.

286

Responsio ad 1. prob. reijcitur 1.

287

Reijcitur 2.

sub-

subsistentia, sit potens expedite ad peccandum, provenit ab alio, a subsistentia distincto: ergo non provenit ab imperfectione subsistentiae creatae: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: quod principium quo, & quod elicitive actionis sit potens expedite ad agendum, provenit ab alio, a principio distincto; sed humanitas, propria gaudens subsistentia, est principium quo, & quod elicitive peccati: ergo quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens expedite ad peccandum, provenit ab alio, a subsistentia distincto. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy, asserentis, quod actiones sunt suppositorum elicitive, ut vidimus §. 11. & quando essent tantum suppositorum denominative, eadem esset efficacia impugnationis. Maior vero probatur: quod principium quo, & quod elicitive actionis sit potens expedite ad agendum, provenit ab eo, quod tale principium habeat omnia requisita ad agendum, ut docent omnes; sed requisita ad agendum sunt quid distinctum a principio agente, ut est notorium: ergo quod principium quo, & quod elicitive actionis sit potens expedite ad agendum, provenit ab alio, a principio distincto.

288
Reijcit. 3.

Reijcitur tertio: subsistentia Verbi gerit vices subsistentiae creatae quoad id, quod perfectionis est in subsistentia creatae iuxta solutionem Ill. Godoy; sed subsistentiam creatam non esse impeditivam operationum humanitatis, est quid perfectionis in subsistentia creatae: ergo subsistentia Divina gerens vices subsistentiae creatae quoad id, quod est perfectionis in subsistentia creatae, non est impeditiva operationum humanitatis: ergo subsistentia Divina non est impedimentum, ut humanitas non sit expedite potens ad peccandum: ergo nulla est solutio. Omnia sunt vera, si vera est minor. Minor vero probatur: subsistentiam creatam non esse impeditivam operationum humanitatis, est, subsistentiam creatam esse principium, vel saltem conditionem, ad operationes humanitatis; sed subsistentiam creatam esse tale principium, vel conditionem, est quid perfectionis in subsistentia creatae: ergo subsistentiam creatam non esse impeditivam operationum humanitatis, est quid perfectionis in sub-

289
Reijcit. 4.

sistentia creatae. Maior, & consequentia tenent. Minor probatur: subsistentiam creatam esse principium, vel saltem conditionem, ad operationes humanitatis, est, humanitatem non posse operari absque subsistentia; sed hoc est quid perfectionis in subsistentia creatae, ut patet: ergo subsistentiam creatam esse principium, vel saltem conditionem, ad operationes humanitatis, est quid perfectionis in subsistentia creatae.

Reijcitur quarto: quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens expedite ad peccandum, provenit ex imperfectione subsistentiae propriae creatae: ergo quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens remote ad peccandum, provenit ex imperfectione subsistentiae propriae creatae, quod est apud omnes falsum. Probatur consequentia: ideo quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens expedite ad peccandum, provenit ex imperfectione subsistentiae propriae creatae, quia ex eo, quod subsistentia creatae finita est, non repugnat coniungi cum peccato; atqui ex eo, quod subsistentia creatae finita est, non repugnat coniungi cum potentia expedite ad peccandum: ergo quod humanitas, propria gaudens subsistentia, sit potens remote ad peccandum, provenit ex imperfectione subsistentiae propriae creatae. Consequentia est legitima. Minor certa, & maior Ill. Godoy.

290
Responsio
ad 2. prob.
reijcitur.

Responsio ad secundam probationem reijcitur: subsistentia Verbi humanitati unita non determinat voluntatem quoad exercitium, est illam determinet quoad specificationem: ergo subsistentia Verbi humanitati unita non impedit potentiam expeditam ad peccandum: ergo ruit responsio. Antecedens est solutio Ill. Godoy. Consequentia vero probatur: subsistentia Verbi humanitati unita, non determinans voluntatem quoad exercitium, relinquit voluntatem liberam libertate contradictionis; sed voluntas libera libertate contradictionis, est expedite potens ad peccandum: ergo subsistentia Verbi humanitati unita, non impedit potentiam expeditam ad peccandum. Probatur minor: sola libertas contradictionis sufficit, ut possit dari omisso peccaminosa, quam esse possibi-

lem tuetur Ill. Godoy 1. 2. *disput.* 21: ergo voluntas libera libertate contradictionis est expedite potens ad peccandum.

291

Probat. 6.
conclusio.

Probat. sextò conclusio: si Christus esset de potentia Dei absoluta impeccabilis ex vi vnionis hypostaticæ, esset ob aliquam oppositionem, quam haberet vnio hypostatica cum peccato, & cum potentia expedita ad peccandum; atqui vnio hypostatica nullam habet oppositionem cum peccato, & hoc dato, oppositio non tollit, quod Christus peccare posset, peccato destruente vnionem, imo hoc etiam permisso, vnio hypostatica nullam habet oppositionem cum potentia expedita ad peccandum: ergo Christus de potentia Dei absoluta potuit peccare. Consequentia est legitima. Maior certa. Minor pro prima parte conitatur ex dictis §. 2. *per totum*. Pro secunda patet ex dictis *num.* 126.

292

Minor pro
3. part. probatur.

Pro tertia autem (quam si probamus, intentum habemus) probatur primò ex Scoto in 3. *dist.* 2. *quest.* 1: nam actus primus nullam habet oppositionem cum opposito actus secundi: ergo oppositio vnionis hypostaticæ cum peccato non rectè infert oppositionem eiusdem cum potentia expedita ad peccandum: ergo permisso etiam, quod vnio hypostatica oppositionem haberet cum peccato, nullam habet oppositionem cum potentia expedita ad peccandum. Secunda consequentia ex prima inferitur. Prima autem ex antecedenti. Antecedens verò duplici apparet exemplo. Primum est in homine iusto, in quo actus primus ad peccandum nullam habet oppositionem cum gratia, quæ est oppositum actus secundi, scilicet, peccati. Secundum est in peccatore, in quo actus primus ad amandum nullam habet oppositionem cum peccato, quod est oppositum actus secundi, scilicet, amoris. Et sic in omni actu primo respectu oppositi actus secundi.

293

Probat. 2.
dict. minor.

Probat. secundò dicta minor: potentia proxima peccandi in sua ratione formali nullam includit moralem imperfectionem, aut indecentiam, repugnantem naturæ Verbo vnitæ: ergo dato, quod vnio hypostatica oppositionem habeat cum peccato, nullam oppositionem habet cum potentia expedita ad peccan-

dum. Consequentia est legitima: nam ideò iuxta Ill. Godoy *num.* 198. repugnat, quod Verbum, vt in humanitate subsistens, dicatur adhuc *denominatiuè* peccare, quia talis denominatio est moralis indecentia. Antecedens autem probatur primò: potentia proxima peccandi non est culpabilis. Secundò: omnis moralis imperfectio dependet à libera voluntate operantis; sed potentia proxima peccandi nullomodo dependet à libera voluntate humanitatis assumptæ; cum solum dependeat à concursu Dei ad vtrumlibet parato: ergo potentia proxima peccandi in sua ratione formali nullam includit moralem imperfectionem, aut indecentiam, repugnantem naturæ Verbo vnitæ. Tertio: potentia proxima peccandi statim in homine iusto absque morali imperfectione, aut indecentia: ergo, &c.

Probat. denique conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: ideò iuxta ipsum *num.* 139. vnio hypostatica repugnat essentialiter cum peccato graui, siuè actuali, siuè habituali, quia ratione vnionis redditur humanitas digna complacentia amabili Dei, & aterna beatitudine; peccatum autem actuale, & habituale oppositum præstat effectus, constituendo subiectum, cui inest, obiectum inimicitiae Diuinæ, & beatitudine indignum. Similiter: ideò iuxta ipsum *num.* 140. vnio hypostatica opponitur essentialiter cum peccato leui habituali, quia humanitas ratione vnionis redditur obiectum dignum omni complacentia Diuina, & gloria statim conferenda; peccatum autem leue habituale constituit subiectum, cui inest, dignum aliqua displicentia, etsi leui, & indignum collationis gloriæ statim. Sussumo nunc contra ipsum: atqui potentia proxima peccandi, non constituit subiectum, cui inest, obiectum inimicitiae Diuinæ, nec beatitudine indignum, nec dignum aliqua displicentia, etsi leui, nec indignum collationis gloriæ statim: ergo vnio hypostatica non opponitur essentialiter cum potentia proxima peccandi, & consequenter est compatibilis cum ipsa.

§. XIV.

Argumenta Ill. Godoy solvuntur.

Arguit primò Ill. God. *num.* 289: quia iuxta Patres humanitas ex

294

Denique
prob. concl.

295

Arguit. 1.

vi vnionis reddita fuit impeccabilis; sed si posset peccare, peccato destruyente vnionem, nec deberet, nec posset dici impeccabilis absolute, vt constat in homine iusto, qui non dicitur absolute impeccabilis, eo, quod peccare potest, & peccato gratiam excludente: ergo humanitas non potest peccare, peccato destruyente hypostaticam vnionem. Cæterum hoc argumentum manet quinque solutionibus solum §. 8. & ex his securior declaratur *num. 159.* et si omnes sint sufficientes.

Respondeo.

296

Arguit. 2.

Arguit secundò *num. 295:* Sanctitas namquè ex conceptu sanctitatis dicit oppositionem, distantiam, & elongationem à peccato: ergo summa Sanctitas dicit summam oppositionem, distantiam summam, & supræmam à peccato elongationem; sed oppositio, nedum cum actuali peccato, sed etiam cum potentia peccandi, elongatioque, non solum à peccato, sed etiam à potentia peccandi expedita, maior est, quam sola oppositio cum actu peccandi, & sola elongatio ab illo: ergo summa Sanctitas non solum opponitur cum peccato actuali, sed etiam cum potentia peccandi; at gratia vnionis substantialis est infinita, & summa in ratione Sanctitatis: ergo non solum opponitur cum actu peccandi, sed etiam cum potentia peccandi; & consequenter in humanitate per illam sanctificata potentia ad peccandum non manet: ex quo vltèrius per evidentem consequentiam inferitur: non potuisse peccare in sensu vnionis diuiso, hoc est, peccato ex se vnionem dissolvente, vel propter quod Deus vnionem dissolvat, vel cesset ab eius conseruatione. Omitto confirmationem, quam adducit *numer. 296.* quia non est contra nos, vt ex ipsa apparet. Hoc etiam argumentum solum, & retorsum manet per dicta *numer. 110. cum seqq.*

Respondeo.

297

Retorqueo argum.

Et ne sine impugnatione relinquamus disparitatem, quam tribuit Ill. Godoy inter potentiam remotam, & proximam peccandi, retorqueo argumentum retorsione pluriès facta: Sanctitas namquè ex conceptu sanctitatis dicit oppositionem distantiam, & elongationem à peccato: ergo summa sanctitas dicit summam oppositionem, distantiam summam,

& supræmam à peccato elongationem; sed oppositio, nedum cum actuali peccato, sed etiam cum potentia peccandi, elongatioque non solum à peccato, & à potentia peccandi expedita, sed etiam à potentia remota, maior est, quam sola oppositio cum peccato, & potentia expedita ad illud: ergo summa Sanctitas, non solum opponitur cum peccato actuali, & potentia expedita ad peccandum, sed etiam cum potentia remota peccandi. Atqui gratia vnionis substantialis est infinita, & summa in ratione Sanctitatis: ergo non solum opponitur cum peccato actuali, & potentia expedita ad peccandum, sed etiam cum potentia remota peccandi, & consequenter in humanitate per illam sanctificata, potentia remota ad peccandum non manet, quod est apud omnes falsum.

Alijs etiam terminis formatur retorsio: ideò Sanctitas vnionis, non solum excludit peccatum, sed etiam potentiam peccandi, quia est perfectissima Sanctitas, quæ in genere sanctitatis participatæ potest excogitari; sed hæc ratio probat, sanctitatem vnionis non solum excludere potentiam proximam peccandi, sed etiam potentiam remotam: ergo vel vtramque excludit, vel neutram, quorum vtrumque est contra Ill. Godoy, & omnes adversarios. Probatur minor: si Sanctitas vnionis non excluderet potentiam remotam peccandi, excogitari potest alia Sanctitas perfectior; sed per vos nequit excogitari alia Sanctitas perfectior; cum sit perfectissima, quæ in genere sanctitatis participatæ potest excogitari: ergo ratio allata probat, sanctitatem vnionis non solum excludere potentiam proximam peccandi, sed etiam potentiam remotam.

Respondet Ill. Godoy *numer. 301.* negando paritatem. Disparitas est: nam potentia remota peccandi est humanitati essentialis; & ideò non potest tolli, nisi destructa humanitatis essentia, quod non potest præstare sanctitas, illam perficiens; potentia aurem proxima, & expedita peccandi, essentialis humanitati non est; vnde in sententia Scoti tollitur per visionem beatificam, vel beatificam fruitionem; atque adeò auferri potest per Diuinitatem, vt sanctificantem huma-

Alijs terminis formatur retorsio.

298

Respondet Ill. Godoy.

nitatem, quamvis illi non conveniat à se, sed per communicationē ab alio.

Sed licet vera sit hæc disparitas, & retorsioni aliquomodo satisfaciatur; tamen veritatem nostræ conclusionis non minuit; vnde ad missā disparitate, sic arguo contra Ill. Godoy: non minus est Deo essentialis ratio causæ primæ, ac est humanitati essentialis potentia remota peccandi; sed quia potentia remota peccandi est humanitati essentialis, nequit ab ea tolli, nisi destructa humanitatis essentia: ergo quia ratio primæ causæ est Deo essentialis, nequit à Deo tolli, nisi destructa Deitatis essentia. Ergo sicut nequit tolli ab humanitate id, quod habet ratione potentia remota ad peccandum, scilicet, quod sit potens remotè ad peccandum, ita nequit à Deo tolli id, quod Deus habet ratione causæ primæ. Atqui ratione causæ primæ habet Deus ius offerendi concursum indifferentem omni creaturæ: ergo nequit à Deo tolli, quod possit offerre talem concursum. Tunc sic, sed hoc ipso, quod possit Deus offerre concursum indifferentem omni creaturæ, nulli creaturæ repugnat potentia proxima ad peccandum; cum hæc constituatur ex potentia remota, & concursu Dei indifferenti: ergo nulli creaturæ, quantumque Sanctitate ornata, repugnare potest potentia proxima ad peccandum.

Ex hoc itaque apparet, quod licet potentia remota peccandi sit humanitati essentialis; non verò proxima, ob quod possit de facto tolli à creatura potentia proxima peccandi, ut contingit in beatis, & quod dumtaxat asserit Scotus; tamen ex hoc non valet inferre, quod creaturæ possit repugnare potentia proxima peccandi; nam sicut creaturæ est essentialis potentia remota ad peccandum, ita est Deo essentialis, quod hæc potentia remota fiat proxima. Vnde non repugnantia potentia remota sumitur ab eo, quod est essentialis creaturæ; & non repugnantia potentia proxima sumitur ab eo, quod est essentialis Deo. Si ergo nequit tolli à creatura potentia remota peccandi, quia est creaturæ essentialis, nec potest à Deo tolli, quod potentiam remotam faciat proximam, quia hoc est essentialis Deo, & consequenter nunquam po-

test repugnare creaturæ potentia proxima ad peccandum, quod est nostrum intentum.

Si autem quæras ab Ill. Godoy: quomodo humanitati unitæ repugnare possit potentia proxima ad peccandum? Respondet num. 306: Divinitatem eo ipso, quod humanitatem infinitè sanctificet, sicut ex hoc conceptu illam omni bono dignā constituit, & omne bonum, cuius est capax humanitas, facit debitum humanitati: ita reddit debitam humanitati carentiam omnis mali: ergo facit debitam carentiam peccati; & consequenter ratione Divinitatis, ut sanctificantis infinitè, debetur humanitati, ut Deus non offerat illi concursum indifferentem ad bonum, & ad malum, & ut non permittat illi peccatum, & quia, ut humanitas sit potens proximè, & expedite peccare, necessariò exigitur ex parte Dei concursus ad bonum, & ad malum indifferens; consequens sit, ut ex conceptu sanctitatis infinitæ præstitæ humanitati, tollatur ab illa potentia expedita ad peccandum.

Cæterum, ultra falsitatem, quam sæpè in præsentī supponit Ill. Godoy, scilicet, quod gratia unionis infinitè humanitatem sanctificet, imò, & quod illam sanctificet, quod falsum est ex toties dictis. Contra: stat ex vi sanctificationis infinitæ deberi humanitati negationem concursus indifferentis ad bonum, & malum, & nihilominus Deum de potentia absoluta concursum indifferentem ad bonum, & malum offerre; sed posito ex parte Dei concursu indifferenti convenit humanitati potentia expedita ad peccandum: ergo huiusmodi potentia non tollitur per Divinitatem, ut infinitè sanctificantem humanitatem. Minor cum consequentia tenet. Maior probatur: ratione Divinitatis, ut sanctificantis humanitatem, redditur debita humanitati à Deo gratia in summo, & beatifica visio; sed hoc debito non obstante, potest Deus, utrens potentia absoluta, non conferre prædicta dona humanitati, & semel collata auferre, ut docet communis Theologorum sententia: ergo stat ex vi sanctificationis infinitæ deberi humanitati negationem concursus indifferentis ad bonum, & malum, & nihilominus Deum de potentia absoluta

299
Solutio non
satisfacit.

300
Doctrina
Ill. Godoy.

301

Contra.

concursum indifferentem ad bonum, & malum offerre.

302
Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num.* 308. negando maiorem. Ad illius probationem concessis maiori, & minori, negat consequentiam. Disparitas est: nam Deus visionem debitam negans, non efficitur author peccati; & aliàs in eo, quod illam neget de potentia absoluta, nulla alia repugnantia invenitur; sicut enim potest hominem creare, & suspendendo effluxum proprietatum, seu potentiarum, illi omnes suas proprietates, quamvis debitas, negare; ita poterit de potentia absoluta humanitatem assumere, & omni dono gratiæ nudam relinquere; quamvis talia dona debeantur ratione unionis. Cæterum, si Deus contra id, quod humanitati debetur ratione sanctitatis unionis, peccatum illi permitteret, & illam peccare sineret, esset author, & causa specialis peccati; eo, quod tunc non concurreret ad illud concursu generali, sed speciali; nam concursus generalis est, quo Deus concurrat iuxta debitum, non contra debitum causæ secundæ; cum autem tunc non concurreret iuxta debitum, sed contra debitum humanitatis, concurreret ad peccatum, non generali, sed speciali concursu; & consequenter esset causa specialis peccati, & author illius, quod implicat; & Ideo non potest Deus, etiam de potentia absoluta, permittere humanitati unitæ peccatum, nec concursum indifferentem offerre contra id, quod humanitati ex vi sanctitatis præstitæ à Divinitate debetur. Sicut potest Deus de potentia absoluta non dare homini intellectum; & tamen, si instante aliquo præcepto deberetur homini à Deo gratia efficax, qua præceptum impleret, non posset Deus de potentia absoluta gratiam efficacem ad præcepti adimplerionem negare: quia ex ablatione, vel non concessione intellectus non sequitur Deum esse causam specialem peccati, sed tantum, quod ordinem naturalem rebus debitum invertat, in quo nulla est implicatio; ex eo autem, quod gratiam efficacem debitam non concederet instante præcepto, esset specialis causa transgressionis præcepti, & peccati, quod implicat.

303
Solutio non
est ad rem.

Hæc tamen solutio non est ad replicam, vt à nobis formatam; nos

enim in replicâ non loquimur de peccato, sed de potentia ad illud. Cum ergo ex hoc non sequatur, Deum esse authorem, aut causam specialem peccati, vt de se patet; nec sequatur in Deo aliqua moralis imperfectio, aut indecencia, vt claret ex dictis *n.* 293; nec denique sequatur, quod humanitas sit Sancta, & non Sancta, grata, & ingrata ex dictis *num.* 294. hinc est, quod concessis præmissis, vt ab Ill. God. conceduntur, concedere etiam tenetur consequentiam. Imò quando de ipso peccato loqueremur, nulla adhuc esset responsio ipsius, quia Deus concursu speciali non concurreret ad commissionem peccati, sed ad conservationem unionis, vt dictum est *num.* 156. & rationem dedimus *num.* 157. & 158.

Arguit tertio *num.* 332: implicat Verbum, vt subsistens in humanitate, esse potens peccare peccato destruenti unionem; sed non stat humanitatem unitam posse peccare, & suo peccato unionem destruere, quin Verbum, vt in illa subsistens, sit potens peccare: ergo implicat humanitatem unitam hypostaticè Verbo peccare peccato destruenti unionem, vel propter quod unio destruat à Deo. Consequentia tenet. Maior constat: cui namquæ essentialitè repugnat actus, non potest convenire potentia ad talem actum; sed Verbo, vt in humanitate subsistenti, essentialitè repugnat peccatum destruens unionem: ergo Verbo, vt sic subsistenti, essentialitè repugnat esse potens peccare peccato destruenti unionem. Minor autem probatur: sicut enim voluntas unita subsistentiæ Petri, est voluntas Petri: ita voluntas humana unita subsistentiæ Verbi, est voluntas Verbi, provt subsistentis in humana natura; sed implicat voluntatem unitam subsistentiæ Petri esse potentem peccare, quin Petrus sit potens peccare: ergo implicat etiam humanitatem, aut voluntatem humanam unitam subsistentiæ Verbi posse peccare, quin Verbum, provt in humanitate subsistens, sit potens peccare. Respondeo negando maiorem, ad cuius probationem nego minorem ob dicta *n.* 263.

Ill. Godoy aliud non objicit contra conclusionem supra positam, pro ipso tamen arguitur quarto: ratio vincens, Beatissimam Virginem esse

304
Arguit. 3.

Respondeo.

305
Arguit. 4.
pro Ill. God.

sine peccato conceptam, vincit Christum esse impeccabilem vi vnionis præcisè: ergo Christus ex vi vnionis præcisè impeccabilis est. Probatur antecedens: ratio vincens, B. Virginem esse sine peccato conceptam, est: *Decet, & non repugnat: ergo fuit sine labe concepta*; sed hæc ratio vincit, Christum esse impeccabilem vi vnionis præcisè: ergo ratio vincens Beat. Virginem esse, sine peccato conceptam, vincit, Christum impeccabilem esse præcisè vi vnionis. Probatur minor: in primis decet, vt claret; sed non repugnat: ergo, &c. Probatur minor: impeccabilitas minor Divina, & maior humana, non repugnat; sed hæc esset impeccabilitas Christi ex vi vnionis præcisè: ergo, &c. Maior constat in impeccabilitate, quam de facto habet Christus radicaliter ratione vnionis. Minor claret: nam esset impeccabilitas non per naturam, sed per vnionem substantialem cum Deo, ex quibus primum necessario infert minoritatem respectu Dei, & secundum maioritatem respectu hominis. Consequentia optima est.

Respond. 1.

Respondeo primò: hoc argumentum supponere, humanitatem Christi ex vi vnionis præcisè esse formaliter Sanctam, quod apud nos est falsum.

Respond. 2.

Cæterum hoc omisso, respondeo secundò negando antecedens, ad cuius probationem nego minorem, & distinguo maiorem probationis: impeccabilitas aliqua minor Divina, & maior humana non repugnat concedo maiorem; impeccabilitas omnis nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens: ergo vincit, Christum esse impeccabilem aliqua impeccabilitate ex vi vnionis præcisè concedo consequentiam: omni impeccabilitate nego consequentiam. Itaque certum est: Christum ratione vnionis habere aliquam impeccabilitatem, quæ sit minor Divina, & maior humana, nempe, impeccabilitatem radicalem; falsum tamen est, quod ratione vnionis habere possit omnem impeccabilitatem, quæ sit minor Divina, & maior humana, qualis est proxima impotentia ad peccandum, ita, quod ralis potentia illi repugnet; alioquin illi etiam repugnaret potentia remota ad peccandum, quod sequenti re-torsione ostenditur.

Retorqueo argum.

Retorqueo argumentum: ratio

vincens, Beatissimam Virginem esse sine peccato conceptam, vincit, Christum ex vi vnionis præcisè esse proximè, & remotè Impeccabilem: ergo Christus vi vnionis est etiam remotè impotens ad peccandum, quod est apud omnes falsum. Probatur antecedens: ratio vincens, Beatissimam Virginem esse sine peccato conceptam est, *decet, & non repugnat: ergo fuit sine labe concepta*; sed hæc ratio vincit, Christum ex vi vnionis præcisè esse proximè, & remotè impeccabilem: ergo ratio vincens, Beatissimam Virginem esse sine peccato conceptam, vincit, Christum ex vi vnionis præcisè, esse proximè, & remotè impeccabilem. Probatur minor: impeccabilitas minor Divina, & maior humana, non repugnat; sed hæc esset impeccabilitas Christi proxima, & remota ex vi vnionis præcisè: ergo ratio prædicta vincit, Christum ex vi vnionis præcisè esse proximè, & remotè impeccabilem. Maior constat in impeccabilitate, quam de facto habet Christus radicaliter ratione vnionis. Minor claret: nam esset impeccabilitas, non per naturam, sed per vnionem substantialem cum Deo, ex quibus primum necessario infert minoritatem respectu Dei, & secundum maioritatem respectu hominis. Consequentia optima est.

Arguitur quintò, & simul impugnatur allata solutio: Christus, stante vnione hypostatica præcisè, non est proximè peccabilis: ergo ex vi vnionis præcisè est proximè impeccabilis. Probatur antecedens: Christus ex vi vnionis est radicaliter impeccabilis: ergo Christus, stante vnione hypostatica præcisè, non est proximè peccabilis. Probatur consequentia: cum impeccabilitate radicali non stat peccabilitas proximè; sed per te Christus ex vi vnionis est radicaliter impeccabilis: ergo Christus, stante vnione hypostatica præcisè, non est proximè peccabilis. Probatur maior: deficiente peccabilitate radicali, non stat peccabilitas proximè; sed stante impeccabilitate radicali deficit peccabilitas radicalis: ergo cum impeccabilitate radicali non stat peccabilitas proximè. Maior, in qua potest esse difficultas, videtur evidens. Primò: quia peccabilitas proxima supponit remotam, sicut quodlibet principium proxi-

306
Arguit. 5.

mum supponit remotum. Secundo: deficiente libertate radicali, non stat libertas proxima; ideoque in nostra sententia, si Deus ad extra necessario ageret, causa secunda liberè agere non posset.

Si dicas.

Contra.

Si dicas: vnionem hypostaticam non esse rigurosum radicem impeccabilitatis. Contra: licet non sit radix rigurosa, est saltem conditio necessario obstants peccabilitati proxime: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: peccabilitas proxima supponit necessario peccabilitatem radicalem: ergo impeccabilitas radicalis est saltem conditio necessario obstants peccabilitati proxime. Probatur consequentia: illa est conditio necessario obstants alicui actui, quæ immediatè opponitur illi, quod necessario supponitur ad illum; sed impeccabilitas radicalis opponitur immediatè peccabilitati radicali, quæ necessario supponitur ad peccabilitatem proximam: ergo impeccabilitas radicalis est saltem conditio necessario obstants peccabilitati proxime.

Hoc arg. falsa nititur intelligentia, & multum probat.

Hoc tamen argumentum multum probat, & in falsa nititur intelligentia. Probat multum, quia probat: non esse in Christo potentiam remotam peccandi, quod est contra omnes. Nititur etiam in falsa intelligentia, quia nos non dicimus, vnionem hypostaticam esse radicem, siuè intrinsicam, siuè extrinsecam impeccabilitatis; tum: quia ad hoc necessarium erat, quod vnio hypostatica esset essentialitè cum peccato impossibilis, vel esset ratio formalissimè impeccabilitatis, cuius oppositum declaratum manet *num. 123. cum seqq.* Tum: quia alioquin potentiam remotam ad peccandum tolleremus à Christo, quod non somniamus. Sed dicimus, esse radicem impeccabilitatis, quatenus ratione illius sunt debita Christo debito congruentiæ omnia dona gratiæ, & gloriæ, specialisque mantenentia Dei, ne in peccatum ruat, quæ est specialis impeccabilitas Christo competens ad differentiam omnium aliorum, vt diximus à *num. 138. usque ad 160.* Hoc itaque animadverso.

Respond. 1.

Respondeo primò ad argumentum, distinguendo antecedens: Christus, stante vnione hypostatica practisè, non est proximè peccabilis, ita,

vt proxima impeccabilitas proveniat ab vnione, tanquam ab aliquo essentialitè cum peccato impossibili, vel tanquam ex ratione formali impeccabilitatis nego antecedens; ita, vt proxima impeccabilitas proveniat ab vnione, tanquam ab aliquo, cui debito congruentiæ debetur id, quod cum peccato non componitur concedo antecedens, ad cuius probationem distinguo etiam antecedens: Christus ex vi vnionis est radicalitè impeccabilis, quatenus ratione vnionis debetur id, quod cū peccato non componitur concedo antecedens; ita, vt vnio hypostatica sit radix, siuè intrinseca, siuè extrinseca impeccabilitatis nego antecedens. Ad probationem consequentiæ distinguo maiorem: cum impeccabilitate radicali proveniente à radice intrinseca; vel extrinseca impeccabilitatis, non stat peccabilitas proximè concedo maiorem; proveniente ab aliquo, cui debito congruentiæ debetur radix, saltem extrinseca impeccabilitatis nego maiorem, & distinguo similiter probationem.

Explicatur solutio. Radix itaque intrinseca impeccabilitatis proxime est infinita voluntatis rectitudo, & hac ratione solus Deus est proximè formalitè ab intrinseco, & essentialitè impeccabilis. Radix autem extrinseca impeccabilitatis proxime est specialis Dei mantenentia, seu concursus determinatus ad bonum, & hac ratione Beatissima Virgo, omnes Beati, & Christus sunt proxime impeccabiles formalitè ab extrinseco. Ultra hanc tamen impeccabilitatem, habet Christus aliam specialem ratione vnionis, quæ dicitur radicalis, non quia ipsa vnio sit radix intrinseca, vel extrinseca impeccabilitatis proxime, sed quia vnioni debentur debito congruentiæ, & connaturalitè, gratia, & gloria, specialisque mantenentia Dei, & concursus determinatus ad bonum, cum quo non componitur peccatum. Cum ergo hæc dona, etsi vnioni hypostaticæ connaturalitè, & de congruo debita, possint de potentia Dei absoluta humanitati non infundi, non est vndè humanitas Verbo vnita sit de potentia Dei absoluta proximè formalitè impotens ad peccandum, etsi de potentia ordinaria, seu naturalitè, sit ratione vnio-

Explicatur solutio.

nis radicaliter impotens. Recolantur dicta à num. 138. usque ad 160.

Respond. 2.

Respondeo secundò ad idem argumentum, distinguendo antecedens: Christus, stante vnione hypostatica præcisè, non est proximè peccabilis, de facto, & de potentia ordinaria omniò antecedens; de potentia Dei absoluta nego antecedens, ad cuius probationem distinguo etiam antecedens: Christus ex vi vnionis est radicaliter connaturaliter impeccabilis concedo antecedens; de potentia Dei absoluta nego antecedens, & ad probationem consequentiæ distinguo maiorem: cum impeccabilitate radicali absoluta, non stat peccabilitas proximè concedo maiorem; cum Impeccabilitate radicali connaturali subdistinguo non stat peccabilitas proximè de facto, & de potentia ordinaria concedo maiorem; de potentia Dei absoluta nego maiorem, & hac distinctione maiorem probationis distinguo. Solutio patet ex dictis, & argumentum data distinctione ruit.

§. XV.

Scoti doctrinam immunem esse ab omni censura, ostenditur.

307
6. Conclus.

Sexta conclusio: *Omnis, & qualibet conclusio, ex Scoti doctrina vniuersè posita, est ab omni censura omninò immunis.* Hæc conclusio statuitur contra omnes illos, qui Scoti sententiam censurant, & contra Ill. Godoy, qui in hoc consentire videtur, quatenus num. 124. censuras enumerat, quin verbum in favorem opinionis Scoti proferat. Probanda igitur est conclusio tam in communi, quam in particulari, idest, tam de omnibus conclusionibus simul, quam de qualibet in singulari.

308
Probatur conclusio in generali.
Primò.

Probatur itaque conclusio in generali primò: Opinio illa, quæ est Scripturæ, Concilio, & Patribus conformis, immunis est ab omni censura; sed opinio asserens, Christum non esse ab intrinseco essentialiter, & absolute impeccabilem, est Scripturæ, Concilio, & Patribus conformis: ergo opinio hæc, quæ est opinio Scoti, immunis est ab omni censura. Probatur minor pro prima parte: nã Scriptura, explicando impeccabilitatem Christi illam declarat per decentiam, & congruentiam; non verò per necessitatem absolutam simpliciter ex

parte Dei reddendi Christum impeccabilem: ergo opinio asserens, Christum non esse ab intrinseco essentialiter, & absolute impeccabilem, est Scripturæ conformis. Consequentia est legitima. Antecedens autem patet: nam hoc modo Christi impeccabilitatem explicuit Apostolus ad Hebræos cap. 7. dicens: *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex Sanctus, Innocens, Impolutus, segregatus à peccatoribus.* Vbi ponderandum est illud verbum *decebat*, non enim dixit *oportet*, *opus erat*, *necessè fuit*, &c. Sed *datta opera dixit decebat*, hoc est, congruum erat, vt ostenderet, non fuisse absolutam necessitatem simpliciter ex parte Dei reddendi Christum impeccabilem, sed solam decentiam, & congruitatem; & planè nescio, qua autoritate, vel iuxta quam traductionem Card. de Lugo *disp. 36. Sect. 1. legat: Oportebat.* Confirmatur: nam in Sacra Scriptura dicitur, quod Filius Dei pro nobis factus est peccator, & Fidelissor: ergo opinio asserens, Christum non esse ab intrinseco essentialiter, & absolute implicabilem, est Scripturæ conformis.

Ad Hebr. cap. 7.

Probatur minor pro secunda parte: Concilium Constantinopolitanum, quod contra opinionem prædictam adducit Ill. Godoy num. 126. loquitur expressè de impeccabilitate Christi proportionata cum impeccabilitate voluntatis Adami in statu Innocentiæ; sed hæc impeccabilitas non est ab intrinseco essentialis, & absoluta: ergo opinio asserens, Christum non esse ab intrinseco essentialiter, & absolute impeccabilem, est Concilio conformis. Consequentia est legitima. Minor notoria. Maior autem manifestè apparet ex verbis Concilij, quæ num. 164. transcripsimus. Confirmatur: Autoritas alia, quam ex dicto Concilio obijeit Ill. Godoy num. cit. contra prædictam opinionem, non est Concilij, sed confessio Macharij hæretici in Concilio condemnati, vt elaret ex dictis num. 168. ergo, &c.

309
Prob. min. ex Concilio Constantinopolitano.

Minor probatur ex Scriptura.

Minor pro tertia parte probatur: Omnis intellectualis creatura dici debet iuxta Patres absolute, simpliciter, & ab intrinseco peccabilis: ergo opinio asserens, Christum esse ab intrinseco essentialiter, & absolute peccabilem, est Patribus conformis. Confe-

310
Prob. min. ex Patrib.

quentia legitimè inferitur. Antecedens autem patet ex D. Hieronymo *tract. de Filio prodigo*, dicente: *Solus Deus est, in quem non potest cadere peccatum*. Patet etiam ex D. Ambrosio *lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19.* ubi hæc habet: *Omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia est; sola autem est à peccato immunis, & immaculata sempiterna Divinitas*. Ex quo evidentè deducitur, quod si peccandi potestas à creatura auferatur, vel impediatur, id per aliquod extrinsecum fieri debet, ac proindè creatura ipsa non simpliciter, & absolutè, vt Deus, sed secundum quid impeccabilis dicitur.

Patet etiam ex D. Augustino *contra Maximum lib. 3. cap. 13.* dicente: *Cuicumque rationali creaturæ præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed gratiæ Dei*. Quare, si voluntas aliqua creata impotentia ad peccandum habet, hoc utique erit ex aliqua gratia Divina, qua remota, peccare potuerit, & sic hæc impotentia non est absolutè, & simpliciter, sed tantum secundum quid, & in sensu composito, nempe, illa gratia supposita: ergo etiam constante vnione cum Verbo humanitas Christi non debet dici simpliciter, & absolutè impeccabilis: ergo opinio Scoti est Patribus conformis. Deniquè patet ex facillimis solutionibus, quibus ad mentem Patrum solvuntur, vt solutæ manent §. 8. autoritates Patrum in contrarium adductæ.

Probatur secundò conclusio etiam in generali: Omnes istæ opiniones: *Vnio hypostatica non est forma formaliter sanctificans: Verbo non incumbit specialis obligatio regendi humanitatem: Actiones nõ sunt suppositorum elicitive præcisè*, sunt immunes ab omni censura; atqui ex his opinionibus colligitur evidentè, peccatum non repugnare cum vnione hypostatica: ergo hæc opinio: *Peccatum non repugnat cum vnione hypostatica*, immunis est ab omni censura. Consequentia est legitima; nam si propositio, ex qua alia evidentè inferitur, non est censurabilis, nec censurabilis est propositio illata. Minor constat: nam si ex opinionibus oppositis inferunt adversarij, & cum ipsis Ill. Godoy (suo videri) evidentè, peccatum repugnare cum vnione hypostatica; ex illis opinionibus evidentè colligitur, peccatum

non repugnare cum hypostatica vnione.

Maiores autem patet: nam hæc opinio: *Vnio hypostatica non est forma formaliter sanctificans*, fundatur in Scriptura, Concilio, & Patribus, vt diximus *tom. præced. disp. 21.* illamque tuentur Alensis. D. Bonaventura. Ricardus. Marsilius. Durandus. Paludanus, & ferè omnes Scotistæ cum Doctore subtili. Item: hæc opinio: *Verbo non incumbit specialis obligatio regendi humanitatem*, defenditur à P. Vazquez *disp. 61. cap. 5.* & à Card. de Lugo *disp. 26.* & si per *ly specialis obligatio*, intelligatur, vt intelligit Ill. Godoy, obligatio stricta, & rigurosa, illam defendunt Vazquez, Turian. Arrubal. Alarcon, Lorca, Coninch, Amicus, Oviedus, Scotus, & Scotistæ, inter quos Smising, de Deo vno *tract. 3. disp. 4. quæst. 5.* ait: hanc esse opinionem communem, tam Recentiorum, quam antiquorum, quod idem de antiquis dixerat Vazquez *1. p. disp. 85. cap. 2.* Et deniquè hæc opinio pluribus Patrum autoritatibus à nobis firmata manet *tom. 1. in 3. sent. disp. 7. num. 67. & 68.*

Deindè: hæc opinio: *Actiones non sunt suppositorum elicitive præcisè*, est opinio de fide tenenda; nam actiones ad extra, procedentes à Deo, non sunt suppositorum elicitive iuxta fidem, secundum quam Personæ Divinæ non sunt tria principia elicitiva, nec tres Creatores, sed vnus Creator, & vnum principium, sicut vnus Deus. Imo opinio prædicta vera est, specialiter in sententia Thomistarum, in qua actus essentiales Dei, nempe, intelligere, & velle, qui sunt productiones ad intra iuxta Thomitas, cum quibus Ill. Godoy *tom. 3. in 1. p. disp. 71.* non eliciuntur à personis, sed tantummodo modificantur per relationes, vt ipsi fatentur.

Probatur tertio conclusio etiam in generali: Omnes istæ propositiones sunt immunes ab omni censura: *Verbum, vt subsistens in humanitate, est creatura. Verbum, vt subsistens in humanitate, incipit esse. Verbum, vt subsistens in humanitate, incipit esse Filius Dei. Verbum, vt subsistens in humanitate, est ignorans. Verbum, vt subsistens in humanitate, habet motus inordinatos. Verbum, vt in humanitate subsistens, est facilis ad peccandum*: ergo immunis

etiam

Hieronym.

Ambrosius.

311

D. August.

312

Probat. 2. conclusio in generali.

313

Maiores patet.

314

315

Probat. 3. conclusio in generali.

etiam est ab omni censura hæc propositio: *Verbum, ut subsistens in humanitate, est potens peccare.* Consequentia est evidens. Antecedens autem constat ex dictis à num. 206. usque ad 209. ex quibus apparet, prædictas doctrinas defendere plures Authores, qui nostram in præsentî censurant; ideoquè prius debebant ipsorum doctrinam censurare, si nostra digna esset illorum censura.

316
Probat. 1.
conclusio in
particulari

Probat. conclusio in particulari primò: hæc propositio: *Peccatum grave, tam habituale, quam actuale, non pugnat ex natura rei cum hypostatica unione, infertur evidenter ex hac propositione: Unio hypostatica non est forma formalitèr sanctificans ex natura rei;* atque hæc propositio est immunitas ab omni censura: ergo etiam illa, quæ est nostra prima conclusio. Maior est certa; nam ex propositione opposita oppositam evidenter infert Ill. Godoy in probatione suæ primæ conclusionis. Minor est certa ex dictis numer. 313. & si illam negare vellint censores, dicant, quam censuram mereatur allata propositio. Consequentia legitima apparet.

317
Probat. 2.
conclusio in
particulari

Probat. conclusio in particulari secundò: hæc propositio: *Peccatum habituale leve potest de potentia Dei absoluta cum gratia unionis componi, deducitur evidenter ex hac propositione: Gratia unionis non sanctificat infinitè humanitatem; sed hæc propositio immunitas est ab omni censura: ergo etiam illa, quæ est nostra secunda conclusio.* Consequentia est legitima. Maior est certa; nam ex opposita propositione oppositam infert Ill. Godoy in probatione suæ secundæ conclusionis. Minor est ita certa, ut sine ulla censura probabile sit: gratiam unionis nec finitè sanctificare formalitèr, ut toties dictum est, & præsertim num. 313.

318
Probat. 3.
conclusio in
particulari

Probat. conclusio in particulari tertio: hæc propositio: *Non implicat, humanitatem Verbo unitam delinquere peccato actuali cum unione composito, quæ est nostra tertia conclusio, deducitur ex his propositionibus: Si humanitas unita peccaret, nec Verbo attribueretur peccatum ex obligatione regendi humanitatem, nec Verbum peccaret, eo quod actiones non sint suppositorum elicitive, præcisè; sed utraque hæc propositio est immunitas ab omni censura:*

ergo immunitas est ab omni censura illa propositio: *Non implicat, humanitatem Verbo unitam delinquere peccato actuali cum unione composito.* Probat. prima pars minoris: hæc propositio: *Verbum ex vi unionis non habet specialem obligationem regendi humanitatem, est immunitas ab omni censura: ergo hæc propositio: Si humanitas unita peccaret, Verbo non attribueretur peccatum ex obligatione regendi humanitatem, est immunitas ab omni censura.* Consequentia est legitima. Antecedens autem patet ex dictis num. 314.

1. Pars minoris prob.

Secunda pars minoris probatur: hæc propositio: *Actiones non sunt suppositorum elicitive præcisè, est immunitas ab omni censura: ergo immunitas etiam est ab omni censura hæc: Si humanitas unita peccaret, Verbum non peccaret, eo, quod actiones non sint suppositorum elicitive.* Consequentia tenet. Antecedens verò constat; nam actiones non esse suppositorum elicitive præcisè, est doctrina omnium Theologorum, & de fide; actiones enim ad extra, procedentes à Deo, non sunt suppositorum elicitive; alioquin tres Divinæ Personæ essent tria principia elicitiva, & tres creatores, quod est hæreticum, ut diximus num. 315.

319
2. Pars probatur.

Probat. conclusio in particulari quarto: hæc propositio: *Ex natura rei, & melius de potentia absoluta, potest humanitas Christi peccare, peccato destruyente unionem hypostaticam, quia Deus vellet propter peccatum destruere unionem, quæ est nostra quarta conclusio, infertur ex eisdem ferè principijs, ac deducuntur cætera supra posita; sed omnes propositiones, ex quibus deducuntur conclusiones supra posita, sunt immunes ab omni censura, ut manet probatum: ergo immunitas etiã erit propositio, quæ est nostra quarta conclusio, ab omni censura.* Confirmatur: hæc propositio: *Non repugnat peccatum in sensu composito unionis, est immunitas ab omni censura, ut claret ex tertia probatione: ergo multò magis est immunitas ab omni censura hæc propositio: Non repugnat peccatum in sensu diviso unionis.*

320
Probat. 4.
conclusio in
particulari

Atque hinc iam se se apperit, quod hæc propositio: *Non repugnat cum unione potentia proxima peccandi, quæ eadem est cum hac: Christus potuit de potentia Dei absoluta peccare, quæ est liquida Scoti doctrina, & nostra quin-*

321
Doctores opinio liberatur à censuris.

ta conclusio, est à fortiori, & multò melius immunis ab omni censura. Hoc evidentè patet ex dictis: nam si hæc opinio: *Peccatum non repugnat cum vnione hypostatica*, est ab omni censura immunis: ergo à fortiori, & multò melius, immunis erit ab omni censura hæc opinio: *Non repugnat cum vnione potentia proxima peccandi*, cum de actu ad potentiam valeat consequentia.

Imò hæc propositio: *Non repugnat cum vnione potentia proxima peccandi*, attentata ex vi vnionis præcisè, vt in præsentì contra Ill. Godoy attenditur, tam longè abest, vt sit aliqua censura digna, quod in illa nobiscum conveniunt Suarez in 3. part. disput. 14. sect. 3. vt testatur Turrianus. Molina part. 1. quest. 12. artic. 13. disput. 18. num. 4. Belarmin. tom. 3. lib. 5. de Iustificat. cap. 11. & alij quam plures, tenentes: impeccabilitatem Christi non provenire ex vi solius vnionis, sed ratione donorum, ipsam concomitantium. Ob quod Enriquez tom. 2. lib. de Fide hominis, in Commentario præfatos Authores citat pro nostra sententia, scilicet, quod Sanctitas ratione vnionis non pugnet cū peccato.

Et merito quidem, quia sic discurrendo, vellint, nollint, in sententiam Scoti descendunt, quod Christus non sit impeccabilis præcisè ratione vnionis, sed ratione donorum, ipsam concomitantium, quibus præcisè, non repugnare, Christum posse peccare, quia ratione vnionis præcisè non constituitur in tali statu Sanctitatis, cui formalitèr peccatum repugnet; & in hoc solum puncto à Scoto discrepant, quod vbi Scotus ait, talia auxilia, vel principia, quibus Christus redditur formalitèr impeccabilis, esse debita humanitati Christi solum conaturalitèr, & ex quadā congruitate; Authores illi dicunt, talitèr esse debita, vt nec de potentia absoluta ipsi negari possunt; vnde deducunt, implicare contradictionem, Christum peccare posse: ergo saltem conveniunt nobiscum in puncto principaliori huius controversiæ, quod impeccabilitas Christi non est attendenda præcisè ex vi solius hypostaticæ vnionis.

Concluditur ergo: Scoti opinionem non esse impiam, temerariam, scandalosam, hæreticam, blasphemam, Iudaicam, nec piarum aurium

offensivam, vtpotè, ab omni censura immunem, vt constat ex dictis in hoc §. & convincunt cætera vtriusque dicta, præsertim paritates declaratæ, ex quibus validæ instantiæ contra censores, & illis consentientes formari valent. Imò Scoti opinionem esse omnino catholicam, & probabiliorem, quam Thomistarum sententia, dicentium: humanitatem Christi ratione vnionis præcisè esse impeccabilem, satis ostendunt Authores citati num. 322. Ill. Godoy contra hanc sextam conclusionem nihil adducit, nihilque respondendum.

§. XVI.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis in discursu disputationis colligo primò: impotentiam peccandi convenire humanitati ex negatione concursus indifferentis; non ratione vnionis ad Verbum. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 316. & probatur: nam ratione illius convenit humanitati impotentia peccandi, ratione cuius est proximè impeccabilis; atqui non ratione vnionis, sed ex negatione concursus indifferentis, est humanitas proximè impeccabilis: ergo impotentia peccandi convenit humanitati ex negatione concursus indifferentis. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: id, quo præcisè posito, humanitas est proximè impeccabilis, & quo ablato præcisè, humanitas est proximè peccabilis, est, ratione cuius humanitas est proximè impeccabilis; atqui posita præcisè negatione concursus indifferentis, humanitas est proximè impeccabilis; & præcisè ablata, humanitas est proximè peccabilis ex dictis num. 306: ergo non ratione vnionis, sed ex negatione concursus indifferentis, est humanitas proximè impeccabilis.

Arguit Ill. Godoy num. 416: ratione illius convenit humanitati impotentia peccandi, ratione cuius illi primò repugnat peccare; sed id ratione cuius primò repugnat humanitati peccatum, non est negatio concursus indifferentis, sed vnio humanitatis ad Verbum: ergo ratione vnionis convenit humanitati impotentia peccandi. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: nam ideo Deus non potest parare humanitati

322
Idem intentum profertur.

323

325
Impotentia peccandi convenit humanitati, non ex ratione vnionis ad Verbum, sed ex negatione concursus indifferentis.

326
Arguit Ill. Godoy.

324

vnitæ concursus indifferentem ad bonum, & malum, quia illi, vt vnita Verbo, repugnat peccatum: ergo id, ratione cuius humanitati repugnat primò peccatum, non est negatio concursus indifferentis, sed vnio humanitatis ad Verbum. Optimum argumentum in doctrina Ill. Godoy; cæterum in nostra supponit falsum, & hæc est ad argumentum responsio.

Respondeo.

327

Talis impotentia non est phisica Philosophicè.

Colligo secundò: impotentiam peccandi convenientem humanitati, nec esse phisicam philosophicè, nec Theologicè, sed esse Theologicè moralem. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 417. & prima pars illius probatur: impotentia phisica philosophicè est illa, quæ provenit ex defectu alicuius principij phisici, vel ex aliquo phisicè in actu primo operationem impediente; sed concursus determinatus ad bonum, ex quo impotentiam peccandi in humanitate monstravimus, non est principium phisicum, nec se tenet ex parte actus primi; est enim causalitas, quæ se tenet ex parte actus secundi: ergo iuxta istum modum probandi impotentiam peccandi in humanitate Verbo vnita, consequenter est asserendum, impotentiam peccandi non esse phisicam philosophicè.

328

Talis impotentia non est phisica Theologicè.

Secunda pars corollarij probatur: impotentia peccandi convenit humanitati ex negatione concursus indifferentis; sed impotentia peccandi ex negatione concursus indifferentis non est phisica Theologicè: ergo iuxta hunc modum probandi impotentiam peccandi in humanitate Verbo vnita, consequenter est asserendum, impotentiam peccandi non esse phisicam Theologicè. Probatur minor: impotentia phisica Theologicè ad peccandum est cum repugnantia essentiali, ita, vt implicet, ad actum peccati reduci, vt ait Ill. Godoy num. 419; sed impotentia peccandi ex negatione concursus indifferentis, non est cum repugnantia essentiali, ita, vt implicet, ad actum peccati reduci, vt clarebit ex probatione tertie partis corollarij: ergo impotentia peccandi ex negatione concursus indifferentis non est phisica Theologicè.

329

Talis impotentia est Theologicè moralis.

Probatur tertia pars corollarij: impotentia peccandi convenit humanitati ex negatione concursus indifferentis; sed impotentia peccandi

ex negatione concursus indifferentis est Theologicè moralis: ergo iuxta hunc modum probandi impotentiam peccandi in humanitate Verbo vnita, consequenter est asserendum, impotentiam peccandi esse Theologicè moralem. Probatur minor: impotentia peccandi ex negatione concursus indifferentis est impotentia peccandi ex collatione auxilij efficacis; sed impotentia peccandi ex collatione auxilij efficacis est Theologicè moralis: ergo impotentia peccandi ex negatione concursus indifferentis est Theologicè moralis. Probatur minor: id dicitur in sensu Theologico moraliter impossibile, quod adeo difficile est, vt nunquam sit eventurum; quod autem eveniat, non implicat; sic victoria gravis tentationis dicitur sine speciali gratia impossibilis, quia, nempe, nunquam sine gratia obtinebitur; non tamen implicat, sine speciali gratia obtineri. Atqui impotentia peccandi ex collatione auxilij efficacis, est talis, vt licet nunquam cum peccato sit coniunctura; quod autem coniungatur, non implicat: ergo impotentia peccandi ex collatione auxilij efficacis est Theologicè moralis.

Contra primam partem corollarij arguit Ill. Godoy n. 417. probando: impotentiam peccandi, convenientem humanitati ratione subsistentie Verbi, esse phisicam philosophicè. Et num. 418. arguit contra secundam partem corollarij probando: impotentiam peccandi, convenientem humanitati ratione summe sanctitatis, & ratione obligationis, quæ est in Verbo gubernandi humanitatem, esse phisicam Theologicè, ex quo infert manifestè num. 419: non esse moralem Theologicè, quod est contra tertiam partem nostri corollarij. Arguit, & optimè, doctrina illius in disputatione supposita; in nostra autem supponit falsum, & hæc est ad illa omnia responsio.

Colligo tertio: humanitatem vnitam Verbo hypostaticè potuisse à Deo prævideri in statu conditionato cum peccato actuali coniunctam. Contrarium docet Ill. Godoy n. 420. eo, quod quia humanitati vnitæ essentialiter repugnat peccatum, nec absolute, nec conditionate, potest cum peccato coniungi. Nostrium autem corollarium est commune nos-

328

*notai mal
-dore m
-m*

330

Arguit Ill. Godoy, optimè in sua doctrina in nostra falsum supponit.

331

Humanitas vnita Verbo potuit à Deo prævideri in statu conditionato cum peccato actuali coniuncta.

træsententiæ Authoribus, vltra quos illud defendit Lorca *disp. 57. memb. 2. num. 20.* Et probatur primò per oppositum ad fundamentum Ill. Godoy: actus essentialitèr non repugnans subiecto, potest saltim sub aliqua conditione illi convenire; sed humanitati assumptæ non repugnat essentialitèr peccatum: ergo potest illi sub aliqua conditione convenire, & consequentèr non implicat, humanitatem unitam prævideri à Deo cum actuali peccato coniunctam in statu conditionato. Secundò probatur: actus absolutè non repugnans subiecto, multo minus repugnabit sub aliqua conditione; sed humanitati assumptæ non repugnat absolutè peccatum: ergo multo minus sub aliqua conditione: ergo potest conditionatè cum peccato coniungi; & consequentèr potuit humanitas unita à Deo prævideri cum actuali peccato coniuncta in statu conditionato. Fundamentum Ill. Godoy solum manet per primam probationem.

Colligitur quartò: quod si humanitas Verbo unita traxisset originem ex Adamo per feminalem propagationem, contrahere potuisset peccatum originale, imò, attenda vnione, vt præcissa ab omni dono, illud de facto contraxisset. Corollarium hoc est contra Ill. Godoy *num. 434.* Et ante probationem supponendum est: quod defacto humanitas Christi non descendit ab Adamo per feminalem propagationem, nec fuit in illo secundum feminalem rationem, sed secundum corpulentam substantiam, vt ex D. Augustino docet D. Thom. *in hac quest. art. 1. ad 2. & infra quest. 31. art. 1. ad 3.* quia illius Conceptio non fuit medio semine virili, sed virtute Spiritus Sancti activè concurrente, & Beatissima Virgine materiam ministrante, & quia materia à Virgine ministrata ex Adamo sumpta fuit, dicitur Christus fuisse in Adamo secundum corpulentam substantiam: quia tamen conceptio Christi humana non fuit medio semine virili facta, sed virtute Spiritus Sancti, dicitur non fuisse in Adamo secundum feminalem rationem; potuit tamen de potentia absoluta humanitas Christi formari medio semine virili, & in eodem instanti cum Divino Verbo uniri, cum in hoc nulla sit implicatio.

Probatur corollarium per oppositum ad fundamentum Ill. Godoy: vt peccatum originale nequeat contrahi in instanti generationis, requiritur, quod in illo instanti sit forma cum peccato originali essentialitèr incompossibilis, & vt de facto non contrahatur, requiritur, quod in illo instanti sit forma ex natura rei, vel moralitèr cum peccato originali incompossibilis; atqui si humanitas Christi formaretur medio semine virili, & consequentèr traxisset ex Adamo originem secundum feminalem rationem, & in eodem instanti uniretur, non esset in instanti generationis forma cū peccato originali essentialitèr incompossibilis, imò nec ex natura rei, vel moralitèr: ergo contrahere posset, & de facto contraxisset, peccatum originale in prædicta hypotesi.

Consequentia est legitima. Maior patet: nam absquè essentiali oppositione formæ cum peccato originali, & absquè oppositione ex natura rei, vel morali formæ cum peccato originali, non stat incompossibilitas de facto formæ cum tali peccato: ergo vt contrahi nequeat, nec de facto contrahatur, requiritur, quod in instanti generationis sit forma essentialitèr, aut ex natura rei, vel moralitèr cum peccato incompossibilis. Hinc Authores omnes, sequentes pijsissimam opinionis Scoti, eximentis de facto Beatissimam Virginem ab originali peccato, asserunt, in eodem instanti fuisse præventam per gratiam habitalem, cum qua peccatum originale nequit simul existere, saltim de facto, ob oppositionem, quam habent ex natura rei, vel moralitèr iuxta varias opiniones. Hinc etiam, si aliquis ex posteris Adami in instanti generationis Deum super omnia diligeret, non contraheret peccatum originale, supposito, quod dilectio Dei super omnia habeat oppositionem directam, vel indirectam cū originali peccato.

Minor autem, in qua solum potest esse difficultas, probatur: in hypotesi prædicta sola gratia vnionis, ab omni dono præcissa, esset communicata humanitati Christi in ipso generationis, & formationis instanti; sed gratia vnionis non est formalitèr pugnans cum peccato originali, nec est forma ex natura rei, vel moralitèr cum originali peccato incompossibi-

333
Probatur
corollarium.

334
Maior patet.

335
Probatur
minor.

332
Si humanitas unita traxisset originem ex Adamo per feminalem propagationem, peccatum originale contraxisset.

lis: ergo si humanitas Christi formaretur medio semine virili, & traxisset ex Adamo originem secundum seminalem rationem, & in eodem instanti vniretur, non esset in instanti generationis forma cum peccato originali essentialiter incompossibilis, imò, nec ex natura rei, vel moraliter. Probatur minor: gratia vnionis, nec est forma essentialiter pugnans cum peccato gravi, vel levi personali, nec est forma ex natura rei, vel moraliter cum personali peccato incompossibilis, vt probatum manet §. 2. per totum: ergo gratia vnionis non est formaliter pugnans cum peccato originali, nec est forma ex natura rei, vel moraliter cum originali peccato incompossibilis. Fundamentum Ill. Godoy ad oppositum tuendum diluitur probatione nostra, quin alia indigeat solutione.

Quintò inferitur: in hypotesi prædicta non solum contracturam humanitatem Christi peccatum originale, verum posse habere debitum contractionis illius. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 439. patet tamen manifesta ratione: nam debitum contrahendi peccatum originale in instanti generationis fundatur in peccasse in Adamo, vt in capite; sed humanitas Verbo hypostaticè vnita in instanti generationis, si fuisset formata medio semine virili, & in Adamo contenta secundum seminalem rationem, in illo posset peccare, & de facto peccasset, vt claret ex corollario antecedenti: ergo humanitas Christi in hypotesi prædicta potuit habere debitum contrahendi originale peccatum. Et per hoc patet ad fundamentum Ill. Godoy in oppositum.

Sextò inferitur: casu, in quo Verbum assumeret naturam peccato infectam, nec excludendum fore peccatum habituale, nec debitum poenæ, nedum æternæ, verum nec temporalis, ita, vt de potentia absoluta huiusmodi debita possint in humanitate Verbo vnita manere. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 444. & quidem, quod peccatum habituale non foret excludendum, constat ex dictis §. 2. 3. & 4.

Quod autem debitum poenæ æternæ possit in humanitate vnita manere de potentia Dei absoluta, probatur,

destruendo fundamentum Ill. Godoy: idè debitum poenæ æternæ non posset in humanitate vnita manere de potentia Dei absoluta, quia gratiæ vnionis essentialiter conveniret, constituitur humanitatem dignam æterna beatitudine; sed gratiæ vnionis non convenit essentialiter, constituitur humanitatem dignam æterna beatitudine: ergo debitum poenæ æternæ potest in humanitate vnita manere de potentia Dei absoluta. Confirmatur: peccatum habituale in prædicta hypotesi non foret excludendum ab humanitate vnita ex dictis num. antecedenti: ergo nec debitum poenæ æternæ.

Tercia pars corollarij, quam etiam defendunt Suarez disput. 33. §. Sed inquiri potest, & Cardinalis de Lugo disput. 26. sect. 3. num. 41. ex dictis constat, & probatur, destruendo fundamenta Ill. Godoy: reatus poenæ temporalis consistit in dignitate talis poenæ, ex peccato præcedenti relicta; sed dignitas poenæ temporalis ex peccato præcedenti potest manere in humanitate assumpta: ergo debitum, vel reatus poenæ temporalis potest in illa manere. Probatur minor: idè iuxta Ill. Godoy num. 445. dignitas poenæ ex peccato præcedenti non posset manere in humanitate assumpta, quia natura assumpta ratione vnionis ita fit grata Deo, vt sit digna omni bono, cuius est capax humanitas, vel quia est digna omni complacentia Divina, & vnione beata, vt statim conferenda iuxta ipsum num. 446; at qui hæc omnia sunt in nostra doctrina falsa, vt patet ex dictis: ergo dignitas poenæ temporalis ex peccato præcedenti potest manere in humanitate assumpta.

§. Vltimus.

Triples difficultas, ex dictis emergens, resolvitur.

PRO complemento disputationis (inquit Ill. Godoy num. 459.) restant tres difficultates breviter examinandæ. Prima est: An casu, in quo humanitas assumeretur à Verbo, propria personalitate retenta, posset humanitas assumpta peccare? Et quidem casum impossibilem supponimus, id què ostendimus tom. præced. disput. 19. adhuc tamen difficultas restat sub hypotesi prædicta, quam plures possibilem censent: An humanitas, sic Ver-

nere in humanitate vnita debitum poenæ æternæ.

339
In dicto casu manere etiam posset debitum poenæ temporalis.

336
In data hypotesi contraxisset debitum contrahendi originale peccatum.

337
Casu quo Verbum assumeret naturam peccato infectam, non foret excludendum peccatum habituale.

338
In casu dicto posset ma-

340
Prima difficultas.

bo hypotaticè vnita, posset de potentia absoluta peccare.

341
Triplex conclusio Ill. Godoy.

Huic difficultati triplici conclusione respondet Ill. Godoy. Prima est: *In illo casu non posse humanitatem peccare, peccato cum vnione composito.* Quam probat num. 460. ex eo, quod in illo casu humanitas per gratiam vnionis esset infinite Sancta. Secunda est: *Humanitas sic assumpta non posset peccare in sensu diuiso vnionis, peccato destruente vnionem.* Quam probat num. 465. ex eo, quod peccatum imputaretur Verbo in se ipso, ob obligationem Verbi ad humanitatem gubernandam. Tertia est: *Humanitas sic assumpta non posset peccare peccato impediendo primam existentiam vnionis.* Quam probat num. 473. ex eo, quod humanitas in instanti reali vnionis non haberet potentiam in actu primo expeditam ad peccandum. Tum: quia esset per gratiam vnionis infinite Sancta. Tum etiam: quia, alioquin Verbum, vt in humanitate subsistens, diceretur peccans.

342
Nostra conclusio.

A nobis autem vnica conclusione, triplici supra dictæ opposita, respondetur: *Conclusio: In illo casu posset humanitas peccare in sensu composito, & diuiso vnionis, & etiam peccato impediendo primam existentiam vnionis.* Hæc conclusio patet evidentè ex dictis; nam humanitas assumpta à Verbo sine propria personalitate potest peccare in sensu composito, & diuiso vnionis, & etiam peccato impediendo primam existentiam vnionis, vt probatum manet in disputatione: ergo etiam sic peccare poterit, propria personalitate retenta. Vltra etiam probatur per oppositum ad fundamenta Ill. Godoy: humanitas in illo casu non esset per gratiam vnionis infinite Sancta, vt ostendimus à §. 2. usque ad 10: ergo in illo casu posset humanitas peccare peccato cum vnione composito. Item: peccatum in illo casu non imputaretur Verbo in se ipso, ob obligationem Verbi ad regendam humanitatem, vt diximus §. 10: ergo posset peccare in sensu diuiso vnionis. Deniquè: humanitas in instanti reali vnionis haberet potentiam in actu primo expeditam ad peccandum. Tum, ob dicta §. 13. & 14. Tum, quia vt dictum est, non esset per gratiam vnionis infinite Sancta. Tum etiam: quia Verbum, vt in humani-

Probat. I.

Secundo.

tate subsistens, non diceretur elicitive peccans, vt constat ex dictis §. 11: ergo posset peccare peccato impediendo primam existentiam vnionis. Fundamenta Ill. Godoy nihil petunt præter petita.

Secunda difficultas est: An natura Verbo vnita media propria personalitate posset peccare in sensu composito vnionis, vel saltem in sensu diuiso? Casus istè implicatorius est, vt supra probauimus; non tamen desunt Theologi existimantes, quod sicut natura Divina fuit humanitati vnita media subsistentia Verbi; ita de potentia absoluta potuit natura creata vniri Diuinæ naturæ media personalitate propria, ita, vt ex natura Diuina, & personalitate creata vna resurgeret persona. Inquirimus ergo: an casu isto admissio, natura creata, Diuinæ mediata vnita, redderetur impeccabilis, an verò posset peccare, peccato cum vnione composito, vel saltem in sensu diuiso vnionis?

343
2. Difficult.

Huic difficultati negativè respondet Ill. God. duplici conclusione, quarum prima est: *Humanitas Verbo vnita media propria personalitate foret impeccabilis, peccato cum vnione composito.* Quam probat num. 481. ex eo, quod humanitas sic vnita esset infinite Sancta. Secunda est: *Persona immediate vnita Deo non posset peccare in sensu diuiso vnionis, nec peccato dissolvente vnionem, nec peccato vnionem impediendo,* cuius primam partem probat n. 491. ex eo, quod peccatum hominis coniuncti cum Deo, ob quod dissolventa esset vnio, attribueretur Deo in se ipso, ob obligationem Verbi ad gubernandam humanitatem. Secundam partem probat num. 492. ex eo, quod in persona sic vnita non posset esse potentia proxima peccandi, vtpotè, cum sanctitate infinita non solum repugnat peccatum, verum etiam potentia ad peccandum in actu primo expedita.

344
Opinio Ill. Godoy.

A nobis autem, vnica conclusione: duplici supra dictæ opposita, respondetur. *Conclusio: Humanitas Verbo vnita, media propria personalitate, non foret impeccabilis, peccato cum vnione composito, nec in sensu diuiso vnionis, siue peccato dissolvente vnionem, siue vnionem impediendo.* Hæc conclusio patet evidentè ex dictis in disputatione, & probatur duplici probatio-

345
Nostra conclusio.

ne qua conclusionem præcedentem probavimus.

346
3. Difficult.

Tertia difficultas est: An casu, in quo persona creata uniretur cum existentia Divina immediate, posset peccare in sensu composito unionis, vel in sensu diviso, aliquæ ex prædictis modis, nimirum, peccato destruyente unionem, vel primam illius existentiam impediende? Casum istum esse in nostra sententia impossibilem, manifestum est; possibilem tamen censuit Ill. Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 19. §. 4. num. 73. & 75.

347
Resolvitur
difficultas.

Difficultati propositæ respondemus negativè, & omiſſa prima ratione, quam pro probatione adducit Ill. Godoy num. 495. probatur ratione ab ipſo tradita num. 496: nam persona creata unita existentie Divinæ compleretur per Divinam existentiam in ratione operativæ: ergo non esset ex-

pedita in actu primò ad peccandum; & consequenter non posset peccare peccato dissolvente, vel impediende unionem. Consequentia patet: nam ut posset sic peccare, deberet cum unionem componi potentia ad peccandum in actu primò expedita. Antecedens probatur: nam persona creata non intelligitur in actu primò ad operandum completa, nisi intelligatur existens; sed tunc casus non existeret per existentiam creatam, sed tantum per existentiam Divinam: ergo compleretur in actu primò per illam, cumquæ Divina existentia repugnet cum omni peccato, impediretur per Divinam existentiam in actu primò ad peccandum. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri

in 3. dist. 12. §. 3. & 4.

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA SECUNDA.

An in Christo fuerit, vel potuerit esse fomes peccati?

§. I.

Fomitis essentia explicatur.

Num. 1
De fide est
fuisse in
Christo ap-
petitum sen-
sitivum.

Fuisse in Christo appetitum sensitivum, extra controversiam est, & veritas fide certæ; constatquæ ex Epistola Agathonis, quæ refertur in 6. Synodo Generali, & in 8. supponitur illis verbis: *Consitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius prædicamus, & utramquæ proprietates naturales habere, consitemur, Divinam omnia, quæ Divina, humanam omnia, quæ humana sunt absquæ villo peccato.* Et ex Concilio Calcedonensi actione 5. Vbi dicitur: *Christum rationalem animam perfectam assumpsisse, salva omni eius proprietate, & per omnia nobis similem absquæ peccato; sed appetitus sensitivus est proprietas humanæ naturæ, & peccatum non est: ergo assumptus fuit à Verbo.* Deindè: nam Christus est perfectus homo; & consequenter non solum perfectus sub conceptu rationalis, sed etiam sub conceptu anima-

Probat. 1.
ex Concilio.

Probat. 2.

lis; sed appetitus sensitivus est proprietas naturæ animalis, sicut voluntas est proprietas naturæ rationalis; & consequenter sine illo anima nequit esse perfecta: ergo invenitur in Christo. Quod supponit D. Thomàs in præſenti, & infra quæst. 18. art. 2. Et cum illo omnes Theologi in præſenti, & Scolastici cum Magistro in 3. dist. 17.

Deindè extra controversiam est: fuisse in Christo actus aliquos appetitus sensitivi, ut de tristitia docuit Scotus in 3. dist. 15. & D. Thomas 3. part. quæst. 15. art. 6. constatquæ ex cap. 26. Matth. ibi: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et de Timore art. 7. ut constat ex illo Marc. 14. *Cæpit Iesus pavere, & tædere.* Et de Ira art. 9. Et patet ratione: nam potentia est propter actum; alias frustranea, & otiosa esset: cum ergo in Christo fuerit appetitus, fuerunt aliqui appetitus actus. Deindè: nam in Christo fuerunt actus

2
Aliqui ac-
tus appeti-
tus sensiti-
vi fuerunt
in Christo.

sensuum interiorum, & exteriorum: ergo etiam actus appetitus sensitivi.

His positis, ut examinemus: An in Christo fuerit fomes, oportet, quod breviter explicemus, quid sit fomes? Durandus in 3. dist. 3. quest. 3. docet: fomitem esse ipsam appetitum sensitivum, prout de se inclinatum ad obiectum delectabile, vel contra rationem, vel conformiter rationi. Hoc Durandi placitum displicet communiter Theologis, & merito, rejiciturque primo: quia in Adamo in statu Innocentiae fomes non fuit, nec in Beatis manet; sed in Adamo in statu Innocentiae, & in Beatis similiter est appetitus sensitivus, quantum est de se inclinans in obiecta sensibilia cum praedicta indifferentia: ergo fomes non consistit in appetitu sensitivo, ut de se praedicto modo inclinante in obiecta sensibilia. Praeterea, ut enim Tridentinum definit: *Sess. 5. in decreto de Peccato Originali*: fomes dicitur peccatum, quia a peccato est, & in peccatum inclinatur; sed si consisteret in appetitu sensitivo, ut de se inclinante in obiecta sensibilia, effectus peccati originalis non esset; quando quidem conveniret etiam in statu Innocentiae antecedente peccatum: ergo fomes non consistit in sola entitate appetitus sensitivi. Denique: nam ut docet Tridentinum *ibidem*, fomes in renatis relinquatur ad agonem; sed si esset ab appetitu sensitivo indistinctus, nihilque illi superadderet, falsum esset, ad agonem relinqui; sed ideo, quia a natura sensitiva separari non potest: ergo fomes non est solus appetitus sensitivus secundum suam innatam inclinationem.

Bazquez vero in *presenti disp. 61. cap. 8. num. 48.* & *infra disp. 118. cap. 4. num. 45.* per oppositum affirmat: fomitem non consistere in aliquo habituali, seu per modum actus primi, sed in actuali motu appetitus sensitivi circa obiectum delectabile praeter ordinem rationis. Hoc tamen dictamen rejicitur primo: nam fomes in renatis relinquatur ad agonem, ut docet Tridentinum *ubi proxime*. Manet ergo in pueris baptizatis; at in pueris non est actualis motus appetitus sensitivi in obiectum delectabile praeter ordinem rationis: ergo non consistit in actu inordinato appetitus sensitivi, sed in illius inclinatione habituali. Secundo:

nam fomes est in dormientibus, etiam si in illis nullus motus inordinatus appetitus sensitivi invenitur: ergo non in actu, sed in aliquo habituali vel potentia consistit. Tertio: nam in appetitu, ut expedite potente contra rationem insurgere, & rationem praevinire, salvatur essentia fomitis; sed haec non in actu, sed in potentia consistit: ergo fomes non est actus inordinatus, sed inordinatio habitualis appetitus sensitivi.

Alij autem, praeter inclinationem innatam appetitus sensitivi, docent: fomitem superaddere qualitatem quandam morbidam inclinantem ad motus inordinatos, in nobis relictam ex peccato originali, & in hac qualitate fomitem consistere affirmant. Pro hac opinione referuntur Ochamus in 3. quest. 2. artic. 1. Et quodlibet. 13. quest. 10. Gabriel in 3. distinct. 3. quest. 2. artic. 1. Et in 2. dist. 30. quest. 2. artic. 2. conclus. 3. Et Almainus in 3. dist. 3. quest. 2. Hanc sententiam, ut falsam, & improbabilem rejiciunt communiter Theologi, & merito quidem.

Ratio est: nam huius qualitatis causa assignari non potest: ergo admitenda non est, nec in illa essentia fomitis constituenda. Consequentia patet. Antecedens probatur: non enim causa huius qualitatis est Deus, nec homo per actum proprium, nec peccatum capitale Adami: ergo non est assignabilis causa efficiens huius morbidae qualitatis. Antecedens pro prima parte probat primo Ill. Godoy n. 5. nam haec qualitas determinate inclinatur ad malum; sed Deus non potest causare qualitatem determinate ad malum inclinantem, & ad illud inducentem: ergo Deus non est causa illius qualitatis. Secundo: nam esto posset illam de potentia absoluta causare, sine fundamento asseritur, illam causare de facto, sicut licet plures sentiant, posse Deum se solo habitum vitiosum producere, nullus tamen docuit, illum causasse aliquando. Tertio: nam praefati Authores asserunt, peccatum originale consistere in praedicta qualitate; sed Deus causa peccati originalis non est, nec illud causare potest de potentia absoluta: ergo nec potest causare illam qualitatem morbidam.

Quod autem homo illam per proprium actum non causet, certissimum est: cum derivetur ad parvulos in pri-

3
Opinio Durandi.

Impugn. 1.

Secundo.

Tertio.

4
Placitum Bazquez.

Impugn. 1.

Secundo.

Tertio.

5
Sententia Ocham, Gabriel, & Almain.

6
Reffellitur.

Antecedens pro 1. part. constat.

Primo.

Secundo.

Tertio.

7
Quoad 2. probat.

Quoad 3.
probat.

mo generationis instanti, in quo nihil operantur, nec capaces sunt eliciendi liberas operationes. Quod denique peccatum capitale Adami causa illius qualitatis non sit, breviter primò suadetur: nam peccatum capitale Adami fuit actus immanens voluntatis; sed actus immanentes nullam phisicam entitatem efficiunt extra proprium subiectum: ergo causa esse non potest istius morbide qualitatis. Secundò: nam actus voluntatis Adami, secluso Divino pacto, & transfusione voluntatum posterorum in ipsum, non erat potens de se ad causandam efficienter illam phisicam qualitatem; sed ex pacto, & transfusione prædicta, non fuit phisicè immutatus: ergo etiam pacto, & transfusione suppositis, mansit impotens ad illam efficienter causandam.

8
Quid sit
fomes peccati.

His ergo placitis omisis, asserendum est: *Fomitem peccati consistere in inclinatione appetitus per modum actus primi, orta ex peccato, & in peccatum inclinante. Seu fomitem peccati consistere in inclinatione inordinata habituali appetitus sensitivi ad objecta sensibilia præter ordinem rationis, quod est asser-tum Ill. Godoy num. 9.* Ratione probatur: fomes peccati non consistit in qualitate aliqua superaddita ad inclinationem innatam appetitus sensitivi, ut contra Ochamum, & alios diximus; neque in actuali motu prædicti appetitus, ut contra Bazquez ostendimus; neque in appetitu sensitivo secundum se; alioquin, ut contra Durandum diximus, fuisset in Adamo, & in Beatis maneret: ergo aliquid addendum est supra entitatem appetitus sensitivi. Atqui hoc aliud esse nequit, nisi quod appetitus inclinatio orta sit ex peccato, & in peccatum iaclinat, ut inclinatio sit inordinata: ergo fomes peccati consistit in inclinatione appetitus per modum actus primi, orta ex peccato, & in peccatum inclinante.

9

Vndè fomes peccati ultra inclinationem appetitus superaddit carentiam iustitiæ originalis. Ratio est: nam iustitia originalis erat, quæ refrænabat appetitum, illumque rationi subiciebat: vnum namque ex effectibus iustitiæ originalis fuit perfecta subiectio potentiæ inferiorum voluntati, & voluntatis Deo, seu eius legi (vel ut alij locuntur) carentia

omnis rebellionis contra legem Dei, & consequenter inclinatio ad motus ordinaros: ergo iustitia originali per peccatum amissa, deficit prædicta subiectio, & ordinatio: ergo carentia iustitiæ originalis secum adducit defectum subiectionis, & ordinationis: ergo cum fomes peccati sit inordinata inclinatio, fomes peccati ultra inclinationem appetitus superaddit carentiam iustitiæ originalis.

Advertendum tamen est pro plena intelligentia fomitis, quod quando dicitur: *Fomitem oriri ex peccato*, non est ita intelligendum, ut fomes sit effectus peccati per se, sed tantum per accidens, ita, ut peccatum Adæ solum tanquam removens prohibens sit causa fomitis, nempe, quatenus per peccatum ablata fuit iustitia originalis, quæ, si Adamus non peccasset, erat in nos derivanda, & per quam appetitus subiciebatur rationi. Et hoc modo intelligendum est Tridentinum *Sess. 5. Can. 5.* & explicandi sunt Patres, quoties absolute dicunt: *Fomitem oriri à peccato.*

Ex hoc evidentè sequitur, quod fomes exiitère potest, peccato non existente; cuius ratio est: nam licet effectus non possit esse sine causa illius per se; tamen potest esse sine illius causa per accidens, ut constat in motu gravi in centrum, qui supposito impedimento detinente, ne cum centro coniungatur, provenit à tollente impedimentum, tanquam à causa per accidens, & ut removente prohibens: ex quo tamen non colligitur, grave in centrum non movendum, si talis causa non esset; si namque grave non impediretur, in proprium locum descenderet, quamvis causa removens impedimentum, deficeret. Ita in præ-senti contingit; quia namque iustitia originalis fuit Adamo à Deo concessa pro se, & sua posteritate sub conditione, quod præceptum de non comedendo de ligno non transgrediretur, quæ iustitia contineret, impediretque appetitum, peccatum iustitiam removens fuit causa fomitis per accidens per modum removendi prohibens; ex hoc tamen non colligitur, quod si homo fuisset conditus sine originali iustitia, quæ impediabat appetitum, ne contra rationem insurgeret, fomes in illo non esset, & habitas, inclinatioque ad motus inordinatos expedita.

10
Peccatum
est causa
per accidens
fomitis.

11
Fomes existere potest,
peccato non
existente.

12
Si opponas
Trident.

Non obest.

Nec obest, quod Tridentinus cit. dicat: *Fomitem peccati dici peccatum, quia à peccato est, & in peccatum inclinatur*, & consequenter falsum est, quod fomes existeret possit, peccato non existente. Non, inquam, obest, tum: quia ut diximus, Concilium intelligendum est, ita, ut peccatum sit tantum causa per accidens fomitis. Tum etiam: quia licet peccato non existente, fomes non diceretur peccatum eo, quod effectus peccati esset, diceretur tamen peccatum, quia in peccatum inclinaret; cum enim duplex ratio assignetur à Concilio, cur fomes dicatur peccatum, quamvis vna non interveniret, scilicet, peccatum, ut causa fomitis, dummodo alia intercederet, nempe, inclinare in peccatum, posset ob illam dici peccatum. Et quidem cum non solum effectui adoptetur nomen causæ, sed etiam causa nominetur nomine effectus, licet peccato non existente, fomes effectus peccati non esset, esset tamen causa peccati, quia in illud inclinaret, consequenterque posset in prædicto casu fomes appellari peccatum, non quia esset effectus peccati, sed quia esset causa illius.

13
Fomes peccati esset in natura in puris naturalibus condita.

Probat.

Ex his manifestè colligitur: fomitem peccati non solum esse in natura per peccatum corrupta; sed etiam futurum esse in natura in puris naturalibus condita. Quod patet: nam fomes peccati idem est, quod inclinatio appetitus inordinata; sed in natura in puris naturalibus foret inclinatio appetitus inordinata: ergo naturæ sic conditæ competere fomes peccati. Maior cum consequentia tenet. Minor probatur: inclinatio appetitus inordinata solum addit supra inclinationem appetitus carentiam formæ (scilicet iustitiæ originalis) impediens appetitum, ne motibus inordinatis contra rationem insultet; sed in natura in puris naturalibus condita esset carentia formæ impediens appetitum, ne contra rationem insurgeret: ergo in natura in puris naturalibus foret inclinatio appetitus inordinata. Minor, in qua est posita difficultas, probatur: naturæ enim in puris naturalibus conditæ solum convenirent ea prædicata, quæ essent debita naturæ: ideo enim ille status dicitur puræ naturæ, quia solum includit prædicata, quæ naturæ debentur; sed forma ap-

petitum frænans, ne contra rationem insurgat, non est debita naturæ, sed vel est supernaturalis, vel saltim supra exigentiam naturæ: ergo in natura sic condita, non esset forma appetitus sensitivum impediens, illumque rationi subiciens; & consequenter naturæ in tali statu competere carentia formæ impediens appetitum, ne contra rationem motibus inordinatis insurgeret.

Cæterum cum hoc discrimine, quod huiusmodi carentia esset negatio in statu puræ naturæ; in statu autem originalis peccati est privatio. Et ratio discriminis est: nam iustitia originalis, per quam appetitus frænabatur, fuit debita Adamo, & illius posteritati ex Divina ordinatione, qua fuit à Deo statutum, ut posterius nascerentur cum originali iustitia quantum ad omnes effectus, si præceptum observaret, & ideo carentia originalis iustitiæ est in posteris Adami carentia formæ debitæ, in quo privatio consistit; homo autem in puris naturalibus non esset ordinatus ad originale iustitiam; & consequenter ex nullo principio esset debita, & quia negatio, propterea à privatione distincta, est carentia formæ indebitæ; fit, quod carentia subiectionis appetitus ad rationem, & formæ impediens appetitum, ne contra rationem insurgeret, non privatio, sed negatio impediendi foret.

Difficultas autem est: quomodo fomes peccati importet positivam inclinationem appetitus, & carentiam originalis iustitiæ frænantis appetitum, & illum rationi subiciens? An, scilicet, essentia fomitis constituenda sit in positiva inclinatione appetitus, tanquam in ratione formali, & in privatione solummodo, ut in conditione? Vel è contra: An constituenda sit in privatione de formali, & in positiva inclinatione appetitus de materiali? Vtrumque reputat probabile Ill. Godoy num. 16. & 17. Et vtrumque potest faciliter defendi.

§. II.

Relatis sententijs, statuitur prima conclusio.

Vllo iam, in quo fomitis essentia consistat, restat, ut examine- mus, an fuerit in humanitate Christi, vel saltim esse potuerit de potentia

14

15
Quiddicat
fomes peccati pro formali, & quid de materiali.

16

I. Sententia.
Ill. Godoy.

Dei absoluta, tam in actu primo, seu habitu, quam in actu secundo quoad motus inordinatos? Et relictis aliorum opinionibus, quæ ad nostrum intentum non faciunt, duplex est sententia. Prima asserit: nec fuisse de facto, nec potuisse esse etiam de potentia Dei absoluta fomitem, vel per modum actus primi, vel reductum ad actum secundum per motus inordinatos. Sic Ill. Godoy in presenti, cum omnibus, quos citat num. 26.

17

2. Sententia.

Secunda, & vera sententia docet: non fuisse de facto; potuisse vero esse de potentia absoluta fomitem, vel per modum actus primi, vel reductum ad actum secundum per motus inordinatos. Hæc sententia colligitur ex Scoti principiis, illamque tueri tenentur omnes Scotistæ, ultra quos illam defendunt Bazquez disp. 61. cap. 8. num. 47. Lugo disp. 26. sect. 4. num. 52. Gaspar Hurtado disput. 10. difficult. 8. Beccanus cap. 12. quest. 5. Et Arriaga disput. 35. sect. 4. subsect. 2. à num. 19. Quæ sententia, ordinem Ill. Godoy servando, sequentibus explicatur conclusionibus.

Scotus.

Bazquez.

Lugo.

Hurtado.

Beccanus.

Arriaga.

18

1. Conclusio

Prima conclusio: De facto non fuerunt in humanitate Christi motus inordinati appetitus sensitivi. Ita uniformiter Theologi in eo gradu certitudinis, ut oppositum censeant hæreticum. Probatur primò ex 5. Synodo, actione 8. Canon. 12. vbi damnatur Theodorus, eo, quod asseruerit, alium esse Deum Verbum, & alium Christum à passionibus anime, & desiderijs carnis molestias patientem, & à deterioribus paulatim reddentem, vbi, ut rectè notavit Bazquez citat. num. 50. non solum in Theodoro damnatur, alium esse Dei Verbum, & alium hominem Christum, sed etiam quod asseruerit, hominem Christum molestias carnis passum fuisse; sed fomes in actu secundo in carnis molestijs, hoc est, in motibus carnalibus appetitus contra spiritum, & rationem, consistit: ergo asserendum est, & certa fide tenendum, huiusmodi motus in Christo non extitisse.

Probat. 1.
ex Concilio.

19

Probat. 2.
ex Patribus.

Secundò probatur ex Patribus asserentibus: in Christo non fuisse pugnam carnis contra Spiritum, quam Paulus explicat ad Romanos capit. 7. illis verbis: Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod volo malum hoc facio. Et insuper: Video aliam legem in membris

meis repugnantem legem mentis mee. Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? &c. Id docent Leo Papa Epist. 11. circa finem. Augustin. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 71. lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione, cap. 29. Et lib. de Correctione, & gratia, cap. 11. Cyprianus in Sermon. de Ieiunio, & tentationibus Christi. Damascenus lib. 3. de Fide, cap. 20. & 23. Ac tandem D. Thomàs in hac quest. artic. 2. quest. 27. artic. 3. vbi fomitem excludit ab humanitate Christi. Et quest. 41. artic. 1. ad 3. vbi tentationem carnis à Christo excludendam, docet.

Probatur tertio: nam prædicti motus non essent in Adamo in statu Innocentiæ, nec erunt in statu gloriæ, nec fuerunt in Beatissima Virgine, ut docent uniformiter Theologi: ergo non fuerunt in Christo. Quarto: nam si illi motus fuissent in Christo, fuissent in illo peccata: consequens est hæreticum: ergo prædicti motus in Christo admittendi non sunt. Probatur maior: motus appetitus sensitivi in obiectum delectabile præter ordinem rationis in eo, qui illos vitare potest, peccaminosi sunt, ut fatentur omnes Theologi; sed Christus Dominus potuit prædictos motus vitare, ne contra rationem insurgerent, nec rationem prævenirent: ergo essent in illo peccata. Minor ostenditur: nam beati, vel ratione visionis beatificæ, vel ratione alterius doni, possunt prædictos motus vitare; Adamus etiam in statu Innocentiæ illos vitare poterat ratione originalis iustitiæ; sed Christus Dominus fuit Beatus à primo suæ Conceptionis instanti, habuit etiam in se iustitiam originalem quoad effectum subiiciendi appetitum sensitivum rationi: ergo potuit prædictos motus vitare, ne contra rationem insurgerent, nec rationem prævenirent.

Quod autem contra conclusionem objici potest, adducit, & solvit Ill. Godoy à num. 31. In ipso videatur, quia in hac conclusione litigium cum illo non habemus.

§. III.

Secunda conclusio statuitur.

Secunda conclusio fit: Fomes in actu secundo, hoc est, motus inordinati appetitus potuerunt esse in Christo de potentia absoluta. Hæc conclusio est

20

Probat. 3.
ratione.

Quarto.

21

Argumenta
soluit Ill.
Godoy.

22

Secunda
conclusio.

Probat. 1.

contrall. Godoy *num. 63.* & probatur primò: non solum proxima potentia ad peccandum, verum etiam peccatum, potuit esse in Christo de potentia absoluta: ergo multò melius fomes in actu secundo, seu motus inordinati appetitus potuerunt esse in Christo de potentia absoluta. Consequentia est legitima; nam fomes in actu secundo non magis pugnat in Christo, quam peccatum, quin potius multò minus, vt fateretur Ill. Godoy, & omnes fateri tenentur. Antecedens probatum manet *disput. preced. per totam.* Secundò probatur non repugnantia, solvendo argumenta Ill. God.

Secundò.

23

Arguit. 1.
Ill. Godoy.

Arguit primò Ill. Godoy *num. 63.* ratione ex summa Sanctitate desumpta: nam summa, & infinita sanctitas pugnat essentialitèr, non solum cum peccato, sed etiam cum motibus appetitus ad peccatum inclinantibus; sed humanitas Christi Domini ex vi gratiæ substantialis vnionis est infinitè, & summè sancta: ergo in illa sic vnita repugnant essentialitèr motus inordinati appetitus ad peccatum inclinantes. Minor cum consequentia tenet. Maior autem ostenditur primò: nam Sanctitas summè talis, summè distat à peccato; sed maior à peccato distantia est, non solum opponi cum ipso peccato, sed etiam repugnare cum eo, quod ad peccatum inclinat: ergo summa sanctitas non solum opponitur cum peccato, sed etiam essentialitèr pugnat cum motibus appetitus ad peccatum inclinantibus.

Maiorem
probat. 1.

24

Secundò.

Secundò: nam gratia vnionis, quia summa Sanctitas est; & consequenter summè distans à peccato, non solum peccato opponitur, sed etiam potentia ad peccandum expedita, vt fateretur Card. de Lugo *ubi supra*; sed motus inordinati appetitus, quamvis rationem præueniant, & libertate non gaudeant; & consequenter nec malitia morali formalitèr, magis ad peccatum accedunt, quam potentia proximè expedita ad peccandum; cum ad peccatum inclinent; potentia autem expedita peccandi inclinationem ad peccatum non dicat: ergo ex eodem conceptu, nempe, summæ Sanctitatis, summæquè distantia à peccato, debet essentialitèr opponi, non solum cum peccato, sed etiam cum omni illo, quod ad peccatum inclinat, quales sunt prædicti motus.

Tertiò: nam motus huiusmodi, quamvis quia indeliberati sunt, malitia morali non gaudeant; dicunt tamen quandam indecentiam moralem in natura sensitiva cum rationali coniuncta: vnde viri sancti illos pati, ab illisque vexari erubescunt; sed sanctitas summa ex conceptu summæ sanctitatis, non solum pugnat cum malitia morali, sed etiam cum omni eo, quod moralem indecentiam importat: ergo pugnat essentialitèr cum motibus inordinatis appetitus sensitivi, quamvis rationem præueniant, ideoque non sint peccata formalitèr.

25

Tertiò.

Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur primò: nam sanctitas pugnat, nedum cum morali malitia, sed etiam cum indecentia morali, maior est in ratione sanctitatis, quam illa, quæ solum malitiæ morali opponitur: ergo summa sanctitas ex conceptu summæ sanctitatis opponitur cum indecentia morali. Secundò: vt enim fatentur communiter Authores, impeccabilitatem humanitatis Christi defensantes, gratia vnionis, quia summa sanctitas est, non solum opponitur cum transgressione legis, obligantis ad culpam, sed etiam cum transgressione legis, non ad culpam, sed ad pœnam obligantis: vnde asserunt, Christo ratione summæ sanctitatis repugnare essentialitèr transgredi legem pœnalem, & esse dignum aliqua reprehensione; sed transgressio legis, quæ purè pœnalis est, non est peccatum formalitèr, sed solum indecens aliqua morali indecentia: ergo sanctitas summa ex conceptu summæ sanctitatis, non solum pugnat cum peccato, sed etiam cum omni eo, quod moralem indecentiam importat.

26

Minorem
probat. 1.

Secundò.

Deniquè probatur minor: non enim est implicatoria ex terminis sanctitas essentialitèr opposita, non solum cum malitia morali, sed etiam cum morali indecentia, vel assigna implicationem; sed hoc admissò, non potest huiusmodi oppositio negari gratiæ substantiali vnionis ex conceptu summæ sanctitatis: ergo non solum pugnat cum malitia morali, sed etiam cum morali indecentia. Quod amplius vrgetur: nam Divinitas, vt sanctificans Deum, non solum opponitur cum malitia, sed etiam cum morali indecentia; at nulla est ratio,

27

Tertiò.

Confirmat.

cur oppositio cum indecentia morali essentialiter importet modum conveniendi à se: ergo hanc oppositionem præstat humanitati, cui convenit per communicationem.

28
Respondeo
ad argum.

Hoc argumentum, quod toties repetivit Ill. Godoy *disp. præcedenti*, si aliquam vim in præsentem habet, est tantum contra illos Authores, qui Impeccabilitatem Christi defendentes ex summa sanctitate unionis hypostaticæ, fomitem in actu secundo de potentia Dei absoluta in Christo concedunt. Contra nos autem, qui utrumque negamus, & negatum habemus, nempe, Christi Impeccabilitatem, & sanctitatem unionis, nullam habet vim argumentum, ruit namque negando minorem ob dicta *disp. præced. §. 5. & 6.* Et hæc est ad argumentum responsio, vel responde, ut in *num. 63.*

29
Arguit. 2.

Arguit secundo *num. 78.* ratione ex obligatione Verbi desumpta: nam motus inordinati appetitus, quamvis quia indeliberati; & ideo non potentes à natura rationali coerceri, non essent peccata respectu humanitatis Christi. Verbo in se ipso ad culpam imputarentur; sed implicat hæc imputatio: ergo implicat motus inordinati indeliberati appetitus sensitivi in humanitate unita. Consequentia cum minori tenet. Maior autem probatur: Verbo ex unione humanitatis ad ipsum, inest obligatio specialis gubernandi humanitatem, nedum ut rationalem, sed etiam ut sensitivam; & alias potest prædictos motus coercere, & ne insurgant, evitare: ergo sinere prædictos motus insurgere, illosque non prohibere, imputabitur Verbo ad peccatum. Minor probatione non eget. Maior constat; nam obligatio gubernandi confurgit ex coniunctione in una Christi Persona; sed non solum est coniuncta Verbo natura prout rationalis, sed etiam prout sensitiva: ergo inest Verbo obligatio gubernandi humanitatem, & illius mala vitandi secundum utramque rationem. Consequentia autem probatur: quia namque naturæ prout rationali, incumbit obligatio gubernandi se ipsam, ut sensitivam, si prædicti motus insurgerent, natura rationali advertente, & illos potente impedire, imputarentur ipsi ad peccatum: ergo si Verbo convenit obligatio gubernandi naturam, ut sensitivam; cum

alias possit prædictos motus inordinatos vitare, attribuerentur ipsi ad culpam.

Hoc argumentum, quod etiam multoties repetivit Ill. Godoy *disput. præcedenti*, solum, & late retorsum manet *disput. anteced. §. 10.* nec aliud ad ibi dicta addere, est necessarium.

30
Responde-
tur.

Arguit tertio *num. 85*: repugnat Deum, ut causam specialem, causare motus inordinatos appetitus sensitivi; sed si darentur in humanitate unita, Verbum, prout in ea subsistit, esset specialis causa motuum inordinatorum appetitus sensitivi: ergo tales motus implicat in humanitate unita. Consequentia tenet. Minor constat ex dictis *disp. præced. §. 9.* ubi ostendit omnes operationes humanitatis Verbo hypostaticè unitæ attribundas esse Verbo, ut in illa subsistenti, non solum *denominativè*, verum etiam *influxivè*, & *effectivè*, ut causæ particulari; cum ergo motus inordinati appetitus, sint actiones naturæ sensitivæ, necessario essent Verbo, ut in illa subsistenti, attribuendæ, ut causæ particulari. Maior autem præter quam quod frequentior Theologorum sententia illam docet. Probatur primò: nam motus prædicti, citò non sint peccaminosi formaliter, sunt mali malitia obiectiva: ergo non possunt effici a Deo, ut causa particulari.

31
Arguit. 3.

Maiorem
probat. 1.

Secundò: nam habitus vitiosus non potest à Deo causari, ut causa particulari etiam de potentia absoluta, ut docuit *1. 2. quæst. 71. art. 1.* & hoc ideo, quia licet peccatum non sit, determinatè tamen in peccatum inclinat, & Deo repugnat, esse causam specialem entitatis, determinatè in peccatum inclinatis; sed motus inordinati appetitus sensitivi prævenientis vsum rationis, quamvis peccata non sint, in peccatum tamen inclinant: ergo Deus non potest illos, ut causa particularis, causare. Denique probatur maior; licet namque odium Dei vsum rationis præveniens, non sit peccatum formaliter, ut potè, cum liber non sit, & sine libertate peccatum esse non possit, non tamen potest à Deo efficienter, ut causa particulari, procedere: ergo pariter: motus inordinati appetitus, quamvis peccata non sint ex defectu libertatis, non possunt à Deo, ut à causa particulari, causari.

32
Secundò.

Tertiò.

Et ex his (prosequitur Ill. Godoy

33

Confirmat.

num. 87.) robor accipiunt, quæ in nostra sententiæ probationem adduximus, & in hunc modum vrgentur: odium Dei indeliberatum implicat in humanitate vnita, siuè ratione summæ sanctitatis, siuè ratione obligationis specialis illam gubernandi, & in bono continendi, siuè quia repugnat Verbo, vt subsistenti in humanitate, attribui, vt causæ particulari: ergo ex eisdem principijs implicat in humanitate vnita motus inordinati appetitus sensitivi etiam indeliberati. Antecedens admittunt plures contrariæ sententiæ Authores. Consequentia autem probatur à paritate rationis.

34
Respondet
ad argum.

Hoc argumentum Ill. Godoy solutum, & retorsum manet *disp. præced. §. 11. per totum*, vbi explicavimus, quomodo Actiones sint supposito- rum, & opinionem ipsius fuisse rei- cimus. Et ex his robor accipit nostra secunda probatio per solutionem argu- mentorum Ill. Godoy, & in hunc modum vrgetur: peccatum non implicat in humanitate vnita, nec ratio- ne sanctitatis, vnionis, nec ratione specialis obligationis illam gubernan- di, nec ex eo, quod Verbo, vt subsis- tenti in humanitate, attribueretur, vt causæ particulari, vt probatum relin- quimus *disp. præced.*: ergo nec implicat fomes in actu secundo in humanitate vnita, aliqua ex prædictis rationibus, quæ sunt argumenta ab Ill. Godoy contra nos obiecta.

§. IV.
*De fomite quoad essentiam sumpto,
pro vt in actu primo.*

35
3. Conclusio

Tertia conclusio: *De facto in hu- manitate Christi non fuit fomes quoad essentiam.* Ita communiter Theo- logi, cum quibus Ill. Godoy num. 105. qui hac ratione conclusionem probat num. 114. nam fomes in actu primo expeditus ad motus inordinatos non fuit in Adamo in statu Innocentiæ, vt fatentur omnes Theologi, nec in Bea- tissima Virgine ab instanti Concep- tionis Christi, nec in Beatis existit, vt omnibus est in confesso: ergo nec fuit in humanitate Christi, in qua fuit omnis plenitudo gratiæ, & cui nulla defuit perfectio ex his, quæ possunt illi competere, nisi defectus illius ad finem Redemptionis expediret. Se- cundò: nam in humanitate Christi non solum non fuit peccatum, sed

Probat. 1.

nec etiam potentia ad peccandum in actu primò expedita, vt communis tenet sententia: ergo paritèr: non so- lum non fuerunt in illa motus inor- dinati appetitus sensitivi, sed nec etiam potentia in actu primò ad præ- dictos motus expedita.

§. V.

*Quid de potentia absoluta di-
cendum?*

Vltima conclusio sit: *Fomes sump- tus quoad essentiam potuit esse in humanitate Christi de potentia absoluta.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy num. 160. illiusquè veritas sequitur ex dictis §. 3. vbi ostendimus, motus in- ordinatos appetitus potuisse esse in humanitate Christi de potentia abso- luta, & ex ibi dictis probatur primò: Fomes in actu secundo potuit esse in humanitate Christi de potentia abso- luta: ergo etiam fomes quoad essen- tiam. Antecedens constat ex dictis §. 5. Consequentia est evidens; nam actus secundus supponit primum.

Probat. secundò: impedimen- tum fomitis in humanitate Christi fuit donum intrinsecum in appetitu, vt docet Scotus in 2. dist. 29. §. *potest dici*; sed potuit de potentia absoluta humanitas Verbo vniri sine omni do- no intrinseco, excepta vnione hypos- tatica, vt docet communis Theolo- gorum sententia: ergo potuit Verbo vniri sine fomitis impedimento, & consequentèr potuit de potentia ab- soluta esse in humanitate vnita appe- titus sensitivus, in actu primò expedi- tus ad motus inordinatos, in quo fo- mitis essentia consistit.

Ad hanc probationem, quam de virtutibus moralibus sibi obiecit Ill. Godoy num. 165. relicta duplici solu- tione Vincentij, duplicitèr ipse res- pondet. Primò distinguendo maiorem num. 169. impedimentum vnicum negat maiorem; impedimentum suf- ficiens concedit maiorem, & mino- rem, & negat consequentiam. Nam licèt ex negatione causæ vnice, & ne- cessariæ, rectè negatio effectus colligatur, non tamen ex negatione cau- sæ, quæ licèt sufficiens sit, vnica cau- sa non est, licèt autè virtutes in ea per- fectione, qua in humanitate Christi extiterunt, sufficientes fuerint ad fo- mitem auferendum, sed poterat sine illis fomes in humanitate impediri,

36
Ultima con-
clusio.

Probat. 1.

37
Probat. 2.

38
respond. 1.
Ill. Godoy.

nempè, à subsistentia, & existentia Verbi; cum quibus non possunt motus inordinati appetitus sensitivi componi; atquè adeò, etiam si humanitas Verbo uniretur sine prædictis virtutibus, & sine omni dono gratiæ intrinseco accidentali, vt potuit de potentia absoluta, fomes in illa nõ e flet.

Sed contra: ergo licet virtutes infusæ (loquor in illius opinione, nam in appetitu non ponimus virtutes, vt possuit D. Thomas 3. part. quæst. 15. art. 2. sed habitus, vt docet Scotus in 3. dist. 33.) essent de se sufficientes ad fomitem auferendum, illum tamen de facto non abstulerunt ab humanitate Christi; consequens est falsum: ergo & tradita solutio. Consequentia tenet. Minor constat: nam D. Thomas docet: fomitem in humanitate Christi non fuisse, quia in illa fuerunt virtutes morales perficientes appetitum; illumquè rationi subijcientes in summo perfectionis gradu; sed hæc causalis importat causam, non solum sufficientem ad fomitem impediendum, sed etiam ad illum actum auferendum: ergo aut vera non est propositio D. Thomæ, aut falsum est, virtutes defacto fomitem non abstulisse. Sequela vero probatur: nam causa supponens effectum, illum de facto non causat; sed si subsistentia Verbi esset sufficiens ad fomitem auferendum; cum habitus virtutum prioriori naturæ præcedat, fomitem pro illo priori excluderet, & consequenter virtutes supervenientes illum exclusum supponerent: ergo data, vt Ill. Godoy fatetur, sufficientia in vnione hypostatica ad fomitem excludendum se ipsa, virtutes consequentes ad vnionem, illum non excludunt de facto.

Respondet Ill. Godoy num. 172. negando consequentiam, ad illius probationem concessa maiori, & minori distinguit consequens: ergo virtutes non excludunt fomitem de facto per se primò, & exclusione eiusdem rationis cum exclusione prætitam per gratiam vnionis concedit consequentiam; secundariò, & exclusionem diversæ rationis negat consequentiam. Itaque exclusio fomitis consistit in impedimento appetitus, ne exeat, nec exire possit in motus inordinatos: vnde quot fuerint formæ impedièntes in actu primò appetitum, tot

erunt fomitem auferentes de facto, & si impedimenta sunt diversarum rationum, exclusio fomitis diversæ rationis erit, & forma, quæ primò impedit, primò fomitem excludit; forma autem, quæ subsequitur, non primò, sed secundò illum excludit, non exclusione, quam supponit, sed quam præstat appetitui.

Quam doctrinam duplici exemplo illustrat Ill. Godoy num. 173: primum est in gratia substantiali, & in gratia habituali, quarum vtraque de facto humanitatem sanctificat, licet vna aliam supponat, & sicut ista consequentia non tenet: *Gratia habitualis supponit humanitatem Christi per gratiam vnionis sanctam: ergo illam non sanctificat*; quia vtraque est ad sanctificandum sufficiens, & sanctitas diversæ rationis, sed solum ex illo antecedenti colligitur, gratiam habitalem, posteriorem gratia vnionis, non primò sanctificare, nec præstare sanctitatem eiusdem rationis cum illa, quam præsupponit, ita ista consequentia non tenet: *Virtutes infusæ supponunt exclusum fomitem ab humanitate Christi: ergo illum non excludunt de facto*; sed solum sequitur, illum non excludere primò; nec exclusionem eiusdem rationis; sed secundò, & exclusionem diversam.

Secundum exemplum, & proximius ad rem nostram (ait Ill. God. n. 174.) est in subsistentia Verbi, & beatifica vnione; quarum vtraque de facto humanitatem Christi impeccabilem constituit; & consequenter vtraque potentiam peccandi ab humanitate excludit; & tamen visio beata, cum subsistentiam supponat, supponit etiam potentiam peccandi exclusam. Sicut ergo ista consequentia non tenet: *Visio beata supponit potentiam peccandi ab humanitate exclusam: ergo illam non excludit*, sed solum potest inferri, non excludere primariò, nec eadem exclusionem, quam à subsistentia prætitam præsupponit, non tamen quod illam non excludat secundariò, & exclusionem diversæ rationis: ita in nostro casu consequentia facta non tenet, nisi cum eadem distinctione.

Et ratio omnium eadem est, quia, nempè, excludere fomitem, & potentiam peccandi, est impedire appetitum impedimento actus primi ad motus inordinatos, & voluntatem ad peccatum actuale: & quia vno impe-

39
Contra.

41
Duplici ex
plo illustrat
solutionem.

Primum.

42
Secundum.

40
Respondet
Ill. Godoy.

Rationem
tribuit Ill.
Godoy.

84
 dente supposito, advenit aliud impediens, & si ab vno supponatur ablata potentia peccandi, à superveniente aufertur, non primo, sed secundario, non eadem, sed diversa ablatione. Et similiter vno impediens in appetitu supposito, per superveniens impedimentum tollitur fomes, non primo, sed secundario, non ablatione eiusdem rationis cum præcedente, sed diversæ rationis ab illa.

43
 Impugnatur solutio ad homin. contra Ill. Godoy.

Hæc tamen solutio cum exemplis ab Ill. Godoy traditis impugnatur ad hominem contra ipsum: nam quia gratia substantialis vnionis est iuxta ipsum ratione sui sufficiens ad excludendum peccatum habituale ab humanitate vnita, si peccatum in humanitate præcederet ad vnionem, per illam excluderetur, nec posset per gratiam habitualement excludi, eo, quod pro signo anteriori ad illam supponeretur exclusum: ergo si gratia vnionis se ipsa est sufficiens ad fomitem aufendum, illum abstulit de facto; & consequenter virtutes supponentes gratiam substantialem vnionis, illum non abstulerunt de facto. Idem argumentum est de vnione hypostatica, & beatifica visione in ordine ad excludendum peccatum habituale.

44
 Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num. 175.* esse diversam rationem: nam peccati exclusio est vna, & indivisibilis, consistens in destructione peccati in anima præexistentis; vnde forma supponens destructionem peccati ab alia priori præstitam, non potest peccatum destruere: fomitis autem exclusio non est vna tantum, sed multiplex ob rationem assignatam; quia, nempe, consistit in impedimento appetitus per modum actus primi ad motus inordinatos; vnde multiplex est iuxta impedimentorum multiplicatam, & ideo impedimentum superveniens in impedimento priori, etsi non excludat fomitem, exclusione præstita ab impedimento præcedente, excludit tamen exclusionem sibi propria.

45
 Reijcitur i solutio Ill. Godoy.

Reijcitur primò hæc solutio Ill. Godoy: exclusio peccati est vna, & indivisibilis, consistens in destructione peccati: ergo exclusio fomitis est vna, & indivisibilis, consistens in destructione fomitis. Consequentia est paritate vera, & probatur: ideo exclusio peccati est vna, & indivisibilis, consistens in destructione peccati, quia for-

ma supponens destructionem peccati, ab alia priori præstitam, non potest peccatum destruere; sed forma supponens destructionem fomitis, ab alia priori præstitam, non potest fomitem destruere: ergo exclusio fomitis est vna, & indivisibilis, consistens in destructione fomitis. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy in solutione.

Minor autem, in qua vnicè potest esse difficultas, probatur primò: ideo forma supponens destructionem peccati, ab alia priori præstitam, non potest peccatum destruere, quia supponit peccatum destructum; sed forma supponens destructionem fomitis, ab alia forma priori præstitam, supponit fomitem destructum: ergo forma supponens destructionem fomitis, ab alia priori præstitam, non potest fomitem destruere. Probatur secundò: vel pro priori ad formam supponentem destructionem fomitis, est fomes, vel non? Si primum: ergo talis forma non supponit destructionem fomitis, quod est contra id, quod supponitur, & consequenter exclusio fomitis non erit multiplex contra solutionem Ill. Godoy. Si secundum: ergo forma supponens destructionem fomitis, ab alia priori præstitam, non potest fomitem destruere. Probatur consequentia: vbi non est fomes, nequit esse destructio fomitis, sicut vbi non est peccatum, nequit esse peccati destructio; sed iuxta concessa pro priori ad formam supponentem destructionem fomitis non est fomes: ergo forma supponens destructionem fomitis, ab alia priori præstitam, non potest fomitem destruere.

Reijcitur secundò: nam licet in ordine ad constituere appetitum immunem à fomite, possit duplex forma concurrere, v.g. vnio hypostatica, & virtutes morales; in ordine tamen ad expulsionem fomitis, nequit duplex forma concurrere: ergo exclusio fomitis est vna, & indivisibilis, & consequenter ruit disparitas Ill. Godoy. Probatur antecedens: licet in ordine ad constituere animam sanctam, immunemquæ à peccato, possit duplex forma concurrere, v.g. vnio hypostatica, & gratia habitualis; in ordine tamen ad exclusionem peccati, nequit duplex illa forma concurrere: ergo licet in ordine ad constituere appetitum immunem à fomite, possit du-

46
 Probatur
 minor

Primò.

Secundò.

47
 Reijcitur 2

plex forma concurrere; in ordine tamen ad expulsionem fomitis, nequit concurrere duplex forma. Antecedens conceditur ab Ill. God. Consequentia verò probatur: idè in ordine ad exclusionem peccati, nequit duplex illa forma concurrere, quia vna illarum, v.g. vnio hypostatica, expellit peccatum pro priori ad gratiam habituale; sed vnio etiam hypostatica pro priori ad virtutes morales expellit fomitem: ergo in ordine ad expulsionem fomitis nequit duplex illa forma concurrere.

48

Respond. 2.
ad nostram
probationem.

Respondet secundò num. 176. ad nostram probationem: fomitem posse auferri dupliciter. Vno modo *negatiue*, scilicet, per formam repugnantem motibus inordinatis, non tamen positivè inclinanti appetitum ad obediendum rationi; alio modo *positivè*, scilicet, per formam intrinsicè subijcientem appetitum, intrinsicèque inclinanti ad obediendum rationi: ut primò modo auferatur, virtutes necessariae non sunt, sed sufficit vnio hypostatica, eo, quod illa mediante humanitas substantiæ Verbi coniungitur, cui essentialiter motus inordinati appetitus sensitivi repugnant; ut autem secundo modo auferatur, necessariae sunt virtutes intrinsicè appetitui inhaerentes cum perfectione explicata; cum enim substantia Verbi non constituat humanitatem in actu primo potentem ad operandum per modum principij *quo*; vnde sine donis gratiæ intrinsicis, quamvis humanitas substantia Verbi subsisteret, non esset ad actus supernaturales sufficiens; sit, quod ut fomes auferatur *positivè* per subiectionem positivam intrinsicam appetitus ad rationem, necessariae sint virtutes, illum intrinsicè perficientes, intrinsicèque inclinantes; ex quo non sequitur, casu, in quo humanitas Verbo vniretur sine donis gratiæ intrinsicis, fomitem in illa futurum, sed tantum sequitur, non fore in eo casu auferendum positivè subiectione appetitus ad rationem, quod necessariò est concedendum, sed per formam essentialiter repugnantem motibus inordinatis appetitus sensitivi. Sicut ex eo, quod humanitas Verbo vniretur sine visione beatifica, per quam etiam suo modo impeccabilis constituitur, non sequitur, fore peccabilem, sed tantum

non habituram eam impeccabilitatem, quam visio beata præstat.

Hæc tamen solutio impugnatur: dato, quod fomes peccati auferatur ex vi gratiæ substantialis vnionis, positivè auferatur: ergo ruit solutio. Probatür antecedens: dato, quod fomes peccati auferatur ex vi gratiæ substantialis vnionis, auferatur ratione summæ, & infinitæ sanctitatis illius: ergo dato, quod fomes peccati auferatur ex vi gratiæ substantialis vnionis, positivè auferatur. Antecedens est Ill. Godoy num. 162. Consequentia probatur: summa, & infinita sanctitas positivè opponitur cum fomite peccati: ergo, &c. Probatür antecedens: summa, & infinita sanctitas positivè opponitur cum quacumque indecentia morali; sed fomes peccati est moralis indecentia: ergo summa, & infinita sanctitas positivè opponitur cum fomite peccati. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy. Maior probatur: summa, & infinita sanctitas positivè opponitur cum malitia morali: ergo opponitur positivè cum quacumque indecentia morali. Antecedens est certum, & consequentia vera; nam eodem modo opponitur cum malitia morali summa, & infinita sanctitas, ac cum morali indecentia.

Arguit Ill. Godoy num. 160: nam essentia fomitis non consistit in sola entitate appetitus, sed in illa, ut in actu primo expedita ad motus inordinatos; sed quamvis in humanitate Christi extiterit entitas appetitus, expeditio tamen per modum actus primi ad motus inordinatos non potuit esse in illa, etiam de potentia absoluta: ergo fomes quoad essentiam non potuit de potentia absoluta esse in Christi humanitate. Consequentia probatione non indiget. Maior constat ex dictis §. 1. & insuper à paritate illam probat: etenim potentia peccandi non consistit in sola voluntatis essentia, sed in illa, ut ad peccandum in actu primo expedita: ergo pariter; fomes sumptum quoad essentiam, non consistit in sola entitate appetitus, sed in illa, ut in actu primo expedita ad motus inordinatos. Et insuper: nam aliàs non solū esse potuisset in Christo; sed etiam de factò extitisset, quod communi Theologorum sententiæ adversatur. Patet sequela: nam enti-

49

Impugnatur solutio.

50

Arguit Ill. Godoy.

50

Arguit Ill. Godoy.

51

Arguit Ill. Godoy.

ras appetitus de facto fuit in humanitate Christi: ergo si in sola entitate appetitus essentia fomitis confisteret, extitisset de facto in Christi humanitate.

§1
Minorem
probat. 1.

Minor autem, cui soli inest difficultas, ostenditur primo: potentia expedita peccandi, non solum non fuit de facto in humanitate Christi, sed nec potuit in illa esse, etiam de potentia absoluta: ergo pariter: potentia appetitus sensitivi in actu primo expedita ad motus inordinatos, nec fuit, nec potuit esse in Christi humanitate.

§2
Probat. 2.

Secundo probatur: nam potentia in actu primo expedita, dicit carentiam impedimenti, se tenentis ex parte actus primi in ordine ad operandum; sed implicat in appetitu humanitatis, Verbo hypostaticè vnitæ, carentia impedimenti, se tenentis ex parte actus primi operativi: ergo implicat expeditio in actu primo ad motus inordinatos in humanitate vnita, vel in eius appetitu. Consequentia cum maiori tenet. Minor autem probatur: nam motus inordinati appetitus pugnant essentialitè cum vnione hypostatica, vel ratione summæ sanctitatis, vel ratione obligationis, quam fundat in Verbo, vt Deo, prædictos motus vitandi, vel quia subsistentiæ Verbi repugnat influxus causæ particularis in illos; sed vnio se tenet ex parte actus primi in ordine ad omnes operationes humanitatis vnitæ: ergo implicat in appetitu humanitatis vnitæ carentia impedimenti ad motus inordinatos, ex parte actus primi operativi se tenentis.

§3
Probat. 3.

Tertio, & explicatur magis hoc ipsum: implicat, humanitatem vnitam intelligi in actu primo potentem ad motus inordinatos, nisi intelligatur subsistens, vel existens, saltim subsistentia, vel existentiâ Verbi; sed implicat, intelligi sic existens, vel subsistens, & carere impedimento actus primi in ordine ad illos motus: ergo in humanitate vnita implicat carentia impedimenti actus primi per comparisonem ad illos; & consequenter implicat in humanitate vnita, vel in eius appetitu, expeditio in actu primo ad motus inordinatos. Consequentia tenet. Minor constat; nam existentiâ, & subsistentiâ Verbi impediunt prædictos motus; cum habeant oppositionem cum illis; & aliâs ex parte ac-

tus primi se tenet in humanitate Verbi: ergo implicat, intelligi humanitatem existentem, vel subsistentem, existentia, aut subsistentia Verbi, & carere impedimento actus primi. Maior probatur: vt enim communis sententia tenet: Causa efficiens non potest intelligi potens proximè operari, quin intelligatur subsistens, vel saltim existens; sed humanitas Verbo hypostaticè vnita non existit, nec potest existere, nisi tantum per existentiam, & subsistentiam Verbi: ergo implicat, intelligi humanitatem vnitam in actu primo potentem ad motus inordinatos, quin intelligatur subsistens, vel saltim existens, subsistentia, vel existentia Verbi.

§4
Probat. 4.

Deniquè probatur minor: non stat, humanitatem vnitam esse expeditè potentem ad motus inordinatos, quin Verbum, prout in illa subsistens, sit potens proximè prædictos motus efficere; sed implicat, Verbum, vt subsistens in humanitate, esse potens proximè, & expeditè ad illorum efficientiam: ergo implicat in humanitate vnita expeditio in actu primo in ordine ad tales motus. Consequentia tenet. Minor ab Ill. Godoy supponitur certa, ex ab ipso dictis in hac *disp.* §. 3. Maiorem probat ex his, quæ *disp.* *preced.* §. 9. docuit: sicut enim humanitas subsistentiæ Petri vnita, esset Petri, vt in illa subsistentis: ita humanitas subsistentiæ Verbi vnita, esset Verbi, vt in illa subsistentis; sed implicat, humanitatem vnitam subsistentiæ Petri, esse potentem ad motus inordinatos, quin Petrus, quatenus in illa subsistens, sit potens ad tales motus: ergo implicat, humanitatem subsistentiæ Verbi vnitam esse expeditè potentem in ordine ad motus inordinatos appetitus, & quod Verbum, quatenus in illa subsistens, non possit prædictos motus efficere.

§5
Respondeo
ad argum.
& ad prob.
minoris.

Respondeo ad argumentum, concessa maiori, negando minorem, ad cuius primam probationem nego antecedens, ob dicta *num.* 22. Ad secundam concessa maiori, nego minorem, ad cuius probationem nego maiorem, ob dicta *num.* 34. Ad tertiam nego minorem, ob dicta *disp.* *preced.* §. 2. Ad quartam distinguo maiorem: non stat, humanitatem vnitam esse expeditè potentem ad motus inordinatos, quin Verbum, prout in illa sub-

sistens, sit potens proximè prædictos motus efficere denominativè concedo maiorem; elicitive nego maiorem, distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo minorem distinctione data. Solutio patet ex dictis *disput. preced. §. 11.* Recolantur dicta hoc §. 11. ubi omnia, quæ adducit Ill. Godoy, soluta sunt, & retorfa.

§. Ultimus.

Quid de habitu vitioso dicendum?

Pro complemento huius disputationis disputat Ill. God. n. 178: An habitus vitiosi possint de potètia absoluta existere in humanitate, Verbo hypostaticè vnita? Et quidem, quod Deus se solo illum in humanitate infundere non potuerit, vel illum se solo in humanitate vnita producere, modo supponendum est (ait Ill. God.) cum communi sententia asserente: implicatorium esse, à solo Deo habitum vitiosum efficientèr causari, ex quo à fortiori infert, Deum se solo non posse causare habitum vitiosum in humanitate, sibi hypostaticè vnita.

Supponit etiam Ill. Godoy *numer. citat.* habitum vitiosum non posse ab humanitate vnita post vnionem ad Verbum adquiri, quod probat ex dictis *disputatione precedenti.* Cum enim habitus adquirantur per actus, & habitus vitiosi per actus peccaminosos, istique in humanitate implicaverint, sit consequens, quod omninò implicaverint, ab illa post vnionem habitum vitiosum adquiri. Vndè, quod in examen vocat, est: An si in humanitate ante assumptionem ad Verbum habitus vitiosi proprijs actibus acquisiti præcederent, posset humanitas Verbo vniri, habitibus vitiosis retentis, & cum vnione compositis?

Ex hoc itaque luce clarius apparet: Ill. Godoy non disputare contra nos hanc difficultatem, sed disputatam supponere ex dictis *disputatione precedenti.* Vndè nos etiam contra ipsum disputatam supponere debemus ex dictis *disputatione prædicta;* cum enim habitus adquirantur per actus, & habitus vitiosi per actus peccaminosos, istique in humanitate non implicent iuxta dicta *disput. citat. præsertim §. 7. vsque ad 12.* consequens sit, quod non implicet, humanitatem vnitam hypostaticè Verbo, habitum

vitiosum adquirere. Sed quia argumenta, quibus vtitur pro sua conclusione Ill. Godoy, militant etiam adversus id, quod *disputatione precedenti* probavimus, & in præfenti supponimus, opiniones referamus, conclusionem declaremus, & argumenta solvamus.

In hac ergo difficultate duplex è regione opposita versatur sententia. Prima negans est, quam pro conclusione statuit Ill. Godoy *num. 180.* cum ab ipso citatis *num. 179.* Secunda affirmans est, quam præter Scotistas omnes, qui cum Scoto defendunt: peccatum actuale posse de potentia absoluta in humanitate cum Verbo componi, illam tuentur Bazquez *disp. 61. cap. 6. num. 30.* Cardinal. Lugo *disp. 36. sect. 4. num. 33.* Arriaga *disp. 35. sect. 4. subsect. 2. num. 15.* Et ex his, qui fomitem peccati excludunt ab humanitate vnita, vt impossibilem, etiam de potentia absoluta, compossibilitatem habitus vitiosi cum vnione hypostatica admitit Martinus Perez *disp. 37. section. 5.*

Conclusio: Si in humanitate ante assumptionem ad Verbum habitus vitiosi, proprijs actibus acquisiti, præcederent, posset humanitas Verbo vniri, habitibus vitiosis retentis, & cum vnione compositis. Hæc conclusio facillimè à nobis probatur. Primò: habitus vitiosi non implicant in humanitate post assumptionem ad Verbum: ergo, &c. Antecedens ex dictis manifestè probatur: non implicat actuale peccatum in humanitate post assumptionem ad Verbum, vt ostendimus *disput. precedent. à §. 7:* ergo habitus vitiosi non implicant in humanitate post assumptionem ad Verbum. Consequentia est legitima; nam cum habitus vitiosi adquirantur per actus peccaminosos, ubi isti non repugnant, nec habitus repugnare possunt. Probatur secundò: nulla est implicantia in eo, quod data hypotesi posset humanitas Verbo vniri, habitibus vitiosis retentis, & cum vnione compositis: ergo dicendum est, non implicare. Consequentia est notoria. Antecedens autem constabit ex solutione argumentorum Ill. Godoy.

Arguit primò *num. 183:* summa, & infinita sanctitas, non solum peccato opponitur, sed etiam facilitati ad peccandum; sed habitus vitiosus con-

§9

1. Sententia. Ill. Godoy.

2. Sententia. Scotus, & Scotista.

Bazquez. Lugo. Arriaga.

Perez.

60

Conclusio, & duplex illius prob

61

Arguit. 1. Ill. Godoy.

§6

Deus non potest se solo causare habitum vitiosum.

§7

Difficultas ab Ill. God. proposita.

§8

Difficultas proposita nõ est contra nos

fitit in facilitate ad peccandum: ergo est impossibilis in humanitate vnita summè à Verbo sanctificata; & consequenter implicat cum illa existere, etiam de potentia absoluta. Consequentia, cum minori tenet. Maior ostenditur primò: vt enim Cardinalis de Lugo, & alij farentur, gratia vnionis ex conceptu sanctitatis, non solum pugnat cum peccato actuali, sed etiam cum potentia proxima peccandi: ergo à fortiori pugnat cum facilitate ad peccandum, quæ proximè ad peccatum accedit, quam proxima potentia peccandi. Secundò: nam summa sanctitas dicit summam distantiam à peccato, summamque elongationem ab illo; sed maior distantia à peccato est, distare non solum ab illo, sed etiam à facilitate ad peccandum, quam ab illo solum distare, & cum illo solum opponi: ergo summa, & infinita sanctitas, non solum cum peccato pugnat, sed etiam cum facilitate ad peccandum.

Tertiò: nam facilitas ad peccandum est mala formalitèr in genere moris, licet non malitia actuali, bene tamen habituali; sed summa sanctitas essentialitèr opponitur omni malitiæ morali: ergo opponitur, & repugnat facilitati ad peccandum. Quarto: nam facilitas ad peccandum, est moralis malitiam non importet formalitèr; non tamen potest non dicere moralem indecentiam; sed summa sanctitas ex conceptu summæ sanctitatis, non solum opponitur cum malitia morali, sed etiam cum morali indecentia: ergo essentialitèr pugnat cum facilitate ad peccandum. Deniquè: non enim implicat sanctitas, quæ ex conceptu sanctitatis pugnet essentialitèr cum facilitate ad peccandum; sed eo ipso, quod non implicet, concedenda est huiusmodi repugnantia gratiæ substantiali vnionis ex conceptu summæ sanctitatis: ergo gratia vnionis, prout summè humanitatem sanctificans, pugnat essentialitèr cum facilitate ad peccandum.

Respondeo ad argumentum, omit-tendo maiorem, & concessa minori, nego suppositum consequentis; supponit namquè, quod vnio hypostatica sit sanctitas, cuius falsitas ostendimus tom. precedent. disput. 21. & multoties repetitum manet in presenti, & antecedenti disputatione. Deindè: ne-

go etiam aliud suppositum consequentis, scilicet, quod vnio hypostatica infinite humanitatem sanctificet; nam dato, quod humanitas ratione vnionis ad Verbum sanctificaretur; non tamen infinite ab illa sanctificaretur, vt constat ex dictis disput. precedent. §. 5. & 6. Deniquè argumentum militat tantum contra illos Authores, qui impeccabilitatem Christi defendentes ex summa, & infinita sanctitate vnionis hypostaticæ, habitum vitiosum in humanitate cum vnione ad Verbum componi posse, tuentur.

Vtrà hæc tamen notanda est differentia quintæ probationis Ill. Godoy ab eadem probatione, qua vtitur num. 66. & nos posuimus num. 26: in hac enim vtitur his terminis: *Ex conceptu summæ sanctitatis*; in illa verò vtitur his tantum: *Ex conceptu sanctitatis*. Vndè, si vellis ad quintam probationem specialitèr respondere, responde negando maiorem; nam si non implicaret sanctitas, quæ ex conceptu sanctitatis repugnaret essentialitèr cum facilitate ad peccandum, hoc conueniret omni sanctitati; omnis namquè sanctitas habet sanctitatis conceptum, & consequenter conueniret gratiæ habituali, quæ sanctitas est, quod est apud omnes falsum. Vndè, licet non implicet sanctitas, quæ ex conceptu talis sanctitatis, nempe, infinitæ, & increatæ, repugnet essentialitèr cum facilitate ad peccandum; talis tamen sanctitas ex conceptu sanctitatis repugnat.

Arguit secundo num. 186: implicat, Deum speciali influxu in habitum vitiosum influere: ergo in habitu vitioso aliqua indecentia invenitur, vel aliqua inhonestas moralis, ratione cuius repugnet speciali Dei concursui effectivo, aut conservativo; & consequenter repugnabit ex eisdem principijs in humanitate vnita incipere, aut conservari. Prima consequentia ex antecedenti colligitur. Secunda à paritate probatur. Antecedens suadetur: nam habitus vitiosus determinatè inclinatur ad malum, non solum pro materiali, sed etiam pro formali malitiæ; cum causetur ex actibus inhonestis formalitèr malitia morali, & habitus adquisitus inclinatur in similes actus illis, à quibus causantur; sed implicat, Deum effectivè inclinare ad malum malitia morali formalitèr, sal-

Maiorem
probat. 1.

Secundò.

62
Tertiò.

Quartò.

Quintò.

63
Respondeo
ad argum.

64
Arguit. 2.

tim efficientia speciali, & per specialem concursum; aliàs illi malitia, ad quam inclinaret, vt cause particulari, attribueretur, quod implicat: ergo implicat, Deum speciali concursu, aut influxu, habitum vitiosum causare. Secundò idem antecedens probatur: estò namquè non repugnet, Deum offerre voluntati concursum, quem voluntas quandoque ad malum determinet, & quandoque ad bonum actum, quem Doctores Societatis admittunt; concursum autem determinatè inclinantem ad malum pro formali malitiæ, & quo solum possit vti voluntas ad malum, nullus Theologorum Deo concessit possibilem; sed habitus vitiosus, ita determinatè inclinatur ad malum, vt voluntas vti illo in ordine ad bonum non possit: ergo implicat, talem habitum à Deo speciali influxu, & concursu speciali procedere.

65
Respond. 1.
ad argum.

Respondeo ad argumentum primò: omisso antecedenti, quod late probat Ill. Godoy, & omnia prima consequentia, negando secundam, quia non tenet paritas, nec tenere potest; alioquin omne id, quod Deo negamus, negare etiam humanitati teneremur, quod est plusquam falsum. Primò: quia potentiam rempotam peccandi, quam omnes Deo negant, omnes humanitati concedunt. Secundò: quia omnes Deo negant fomitem peccati, quem plures humanitati concedunt, vt diximus num. 17. Tertiò: nam omnes in Deo negant errorem positivum, quem esse humanitati possibilem, plures tuentur, vt videbimus disput. 44. Et deniquè in Deo esse impossibilem habitum vitiosum, omnes consentiunt; quem tamen esse possibilem in humanitate, defendunt Authores relati num. 59.

66
Respond. 2.

Respondeo secundò ad argumentum, omisso antecedenti, cum prima consequentia, negando suppositum consequentis; supponit namquè quod habitus vitiosus in hypotesi difficultatis à Deo speciali influxu conservaretur in humanitate, quod est falsum, vt constat ex dictis disput. precedenti, num. 156. cum seqq.

67
Arguit. 3.

Arguit tertiò num. 187: cui repugnat essentialitèr primarius effectus formæ, ipsa forma essentialitèr repugnat; sed voluntati humanæ Christi in sensu composito vnionis essen-

tialitèr repugnat effectus primarius habitus inhonesti, & vitiosi: ergo in eodem sensu repugnat habitus vitiosus in illa. Consequentia tenet. Maior constat primò: nam effectus formalis primarius alicuius formæ est ipsa forma subiecto communicata: ergo cum repugnantia effectus primarij formæ, non stat ad formam capacitas. Deinde: non enim alia ratione repugnat Angelo quantitas, & lapidi intellectus, nisi quia Angelus est incapax primarij effectus quantitatis, & lapis omninò est incapax effectus primarij intellectus: ergo verum est, non stare capacitatem ad formam cum incapacitate essentiali ad eius primarium effectum. Minor autem probatur: etenim primarius effectus habitus adquisiti est, reddere potentiam facilem ad proprium actum: ergo primarius effectus habitus vitiosi est constituere potentiam facilem ad actum pravum; sed repugnat voluntati Verbo vnite in sensu composito vnionis, esse facilem ad actum malum moralitèr: ergo repugnat illi in sensu composito vnionis effectus primarius habitus vitiosi.

Antecedens, & prima consequentia tenent. Minor sumpsit probatur: nam potentiam aliquam esse facilem ad actum, necessario presupponit, esse proximè potentem ad illum, nec mente percipi potest potentia facilis, & prompta, nisi intelligatur, vel præintelligatur proximè potens ad actum; sed voluntas humanitatis Christi non est potens proximè ad actus peccaminosos: ergo sic vnita, implicat esse facilem ad illos; & consequenter essentialitèr illi repugnat effectus formalis primarius habitus inhonesti, & vitiosi.

Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem concesso antecedenti cum consequentia, nego sumpsitam, & ad huius probationem nego minorem, cuius falsitas constat ex his, quæ disputatione præcedenti monstravimus, præsertim §. 13. & 14. vbi late firmavimus, non implicare in humanitate, Verbo hypostaticè vnita, potentiam proximam ad peccandum. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 3. dist. 12. vbi disputatio præcedens, & dist. 3. vbi de fomite disputatur in Beatissima Virgine.

68

69
Respondeo
ad argum.

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA TERTIA.

An Christus, quatenus homo, potuerit esse moraliter imperfectus transgressione Consiliorum?

§. I.

Quibusdam presuppositis ratio dubitandi proponitur.

Num. 1
1. Gradus perfectionis Christianæ.

Quatuor gradus Christianæ perfectionis distinguunt Theologi cum D. Thoma 2. 2. quest. 184. Primus in charitate consistit, per quam excluditur omne peccatum mortale, quod charitati opponitur, & in hac substantiam Christianæ perfectionis consistere, docet D. Thomas *cit. artic. 3. in corpore*, & pluribus Sanctis concessum, constat ex ipsorum officijs, quibus ab Ecclesia coluntur, ex quibus habetur, plures totam vitam sine gravi peccato transisse.

2
Secundus.
SS. Patris Francisci, & Seraphici Doctoris puritas, & innocentia commendatur.

Secundus consistit in carentia venialium peccatorum, vel in particulari materia, vel in omni, ex advertentia, & perfecta deliberatione, quorum utrumque aliquibus Sanctis fuisse concessum, plures docent, & nos de Parente nostro Francisco, & Seraphico Doctore piè credimus; hi enim nunquam mortaliter peccaverunt, gratiam primam conservantes; imò nec venialiter cum plena deliberatione, nec etiam ex subreptione, & deliberatione imperfecta, iuxta illud, quod de Patre Seraphico canit Ecclesia: *Franciscus Evangelicum nec apicem, vel unicum transgreditur, nec jota, & de Seraphico Doctore: Videtur in homine isto Adam non peccasse.* Quod satis denotat, in aliquibus saltem materijs nunquam venialiter delinquisse.

3
Tertius.
Excepta B. Virgine, omnes alij S. etiam Ioan. Baptista venialiter peccaverunt.

Tertius consistit in carentia omnis peccati venialis, sive cum advertentia, sive in advertentè commissi, quæ perfectio iuxta D. Thom. *quest. allegata artic. 2. ad 2. & artic. 3. ad 3.* est propria charitatis patriæ, qua Beatus Deum efficaciter diligit, non solum super omnia, à fine ultimo advertentia, qualia sunt peccata mortalia, sed etiam super omnia divertentia, quod præstant peccata levia, quem

statum concessum fuisse Beatissimæ Virgini ex privilegio speciali propter dignitatem Matris Dei, est concursus Patrum, & Doctorum sententia, & fide certa tenendum; ad alios autem, quantumcumque eximie Sanctos hoc privilegium extendere, tutum non est, etiam non desint Theologi, aut Prædicatores, id Beato Ioanni Baptistæ concedentes, propter id, quod de illo canit Ecclesia: *Ne levi, saltem maculare vitam fame posses.* Ac si esset idem, quantum est de se prætere omnia venialia vitare, quod illa de facto per totam vitam excludere.

Ultimus gradus consistit in adimplendis consilijs, faciendo semper, non solum, quæ à Deo præcepta sunt, sed etiam, quæ consiliata, & id, quod iudicatur Divinæ voluntati conformius, & iuxta maius Dei beneplacitum, quem ad substantiam perfectionis Christianæ non pertinere, docet D. Thomas *quest. allegata artic. 3. in corpore, & artic. 7. ad 1.* Vbi comparandum statum Episcoporum statui Religiosorum, primum, in perfectione secundo anteponit, quamvis Religiosi consilijs adherentes omne proprium renuntiaverint, non autem Episcopi, eo, quod (inquit) in consilijs non consistit substantialiter perfectio vitæ Christianæ, sed instrumentaliter; sicut etiam in præceptis à præcepto charitatis distinctis, quia ad charitatem ordinantur, in qua perfectio consistit, aliter, tamen, & aliter: nam præcepta ordinantur ad removenda ea, quæ sunt charitati contraria (quod intelligendum est de præceptis graviter obligantibus) consilia autem ad removendum ea, quæ impediunt actum charitatis, non tamen illi opponuntur, ut est matrimonium, occupa-

4
Quartus.

Episcoporum status, statui Religiosorum ante fertur.

Observatio consiliorum magna perfectionis est inditium.

tio negotiorum, &c. Quamvis tamen executio consiliorum de substantia perfectionis Christianæ non sit, quia sine illa subsistere potest, & de facto in multis subsistit, in omnibus tamen amplecti consilia, & in omnibus cum maiori beneplacito Dei conformari, magnæ perfectionis est, & proprium charitatis patriæ, ut docet D. Thom. *ubi proxime artic. 3. ad 2.* piè tamen credimus, istum perfectionis gradum concessum Beatissimæ Virgini, etiam ex privilegio speciali, ad alios tamen, quantumvis eximie sanctitatis, hoc privilegium extendere, fas non est.

Fuit concessus Beatissimæ Virgini.

5

3. Primos perfectionis gradus fuisse in humanitate, est certum secundum fidem.

Hac graduum perfectionis Christianæ distinctione supposita, ex dictis *disput. 41.* conitat: tres priores gradus fuisse de facto in humanitate Christi, quia nunquam actu peccasse, nec gravi, nec levi peccato, est certum secundum fidem, & oppositum asserere, impium, & blasphemum censetur; ostendimus tamen ibi, hoc non ita esse cum gratia unionis connexum, ut de potentia absoluta non potuerit peccatum admittere, & hoc tam in sensu composito unionis, & potentia consequenti, quam in sensu diviso, & potentia antecedenti. Quam non repugnantiam *disput. preced.* consequenter protendimus ad motus inordinatos appetitus, in quo peccati fomes coniitit, & ad facilitatem peccandi, in qua consistit habitus vitiosus.

6

Christus de facto nullum consilium fuit transgressus

Restat modo de quarto perfectionis gradu inquirere, consistente in sequela consiliorum, & in omnimoda consonantia cum eo, quod conformius est maiori Dei beneplacito. Et quoad hoc unum tanquam certum supponimus, & aliud in examen vocamus: supponimus quidem, de facto ita contigisse, scilicet, Christum, ut hominem, nullum consilium fuisse transgressum, & in omnibus semper sequutum, quod conformius maiori beneplacito Dei fuit, in quo nullus Theologorum dissentit, sed omnes id pro comperto presupponunt, constatque ex illo Ioannis 8: *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Quæ verba vera esse non possunt, si à beneplacito Dei aliquando recessisset. Et ex illo Ioan. 6: *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Semper ergo Christus, ut homo, fuit voluntati Dei conformis; at consilium datum à Deo, eius

Probat. 1. auth. Scrip.

voluntatem importat, nunquam ergo à Dei consilio recessit.

Et ratione id ipsum constat: nam recedere à maiori beneplacito Dei, & illi non conformari, est peccatum non sit, est tamen imperfectio moralis; sed Christo quatenus homini, ratione visionis beatificæ manifestum erat, quod Deo magis placebat: ergo nunquam recessit à maiori beneplacito Dei: aliàs esset moraliter imperfectus, quod piæ aures offendit. Quod amplius vrgetur: nam culmen Christianæ perfectionis in sequela consiliorum consistit, & in exequendo id, quod est conforme maiori beneplacito Dei; sed concedendum est Christo, ut homini, culmen spiritualis perfectionis: ergo est indubitatè asserendum, adhæsisse semper consilijs, semperque sequutum, quod beneplacito Dei iudicavit conformius, in quo, ut diximus, omnes Theologi vno ore consentiunt.

7
Probat. 2. ratione.

Confirmat.

Quod igitur examen desiderat, est: An hæc conformitas cum consilijs, & cum maiori Dei beneplacito fuerit Christo necessaria? An non; sed potuerit à consilijs dissentire, & à maiori Dei beneplacito sibi manifesto, & noto discordare? Ratio dubitandi, eaque vrgentissima est: si namquè non potuit discedere à maiori beneplacito Dei; sequitur, nullam actionem cum libertate exercuisse; consequens est absurdum; aliàs nulla actione meruisset, quod est contra fidem: ergo potuit à consilijs discedere, exequendo oppositum operi sub consilio cadenti, & à maiori Dei beneplacito discordare, id, quod Deo minus placet, faciendo. Consequentia cum minori tenet. Sequela autem, in qua est difficultas, probatur: nam Christo notum erat maius Dei beneplacitum, & hac notitia regulatus, semper eliciebat actum, qui Deo magis placebat; sed si non posset à maiori Dei beneplacito discedere, non posset in oppositum actum, nec in negationem actus, què de facto operabatur: ergo in nullo actu esset liber, sed in omni necessario operaretur. Consequentia tenet: nam libertas contrarietatis consistit in indifferentia ad actum, & ad contrarium illius, & libertas contradictionis in indifferentia ad actum, & ad eius negationem: ergo si non posset in contrarium actum, nec in negationem

8
Punctus difficultatis.

Ratio dubitandi proponitur.

actus,

actus, quem de facto eliceret, nulla libertate in eius efficientia gauderet.

9

Maiores est certa, & minor probatur: eliciendo actum contrarium, vel non eliciendo actum, quem de facto eliciebat, discederet à maiori Dei beneplacito: ergo si posset, vel non elicere actum, vel elicere actum contrarium, posset discedere à beneplacito Dei; & consequenter, si non posset discedere à beneplacito Dei, non posset non elicere actum, nec elicere actum contrarium. Secunda consequentia ex prima clarè colligitur. Antecedens est certum, & consequentia probatur: quod enim actu præstat actus, vel negatio actus existens, præstat possibiliter actus, vel negatio possibilis: ergo si negatio actus, quem de facto eliciebat, vel actus contrarius, actu, & de facto existentes, essent actualis recessus à maiori beneplacito Dei, negatio actus, & actus contrarius possibilis, sunt possibilis recessus à Divino beneplacito; & consequenter, si posset, vel non elicere actum, vel elicere contrarium, posset à beneplacito Dei recedere, etiam non posset recedere, non posset in actum contrarium, nec in negationem actus, quem de facto exercebat.

§. II.

Relatis sententijs, vera eligitur, & probatur.

10

1. Sententia.

Ill. Godoy.

2. Sententia.

Scotus.

Bazquez.

Valentia.

Lorca.

Arriaga.

Antiquiores punctum hoc non attingere; Recemptiores autem Theologi in duas dividuntur sententias. Prima docet: Implicasse Christum, ut hominem, à consilijs Dei recedere, & à maiori Dei beneplacito sibi noto discordare. Sic Ill. Godoy num. 12. cum omnibus, quos num. 11. refert, & citat. Secunda sententia asserit: non implicasse, Christum, ut hominem, à consilijs Dei recedere, & à maiori Dei beneplacito sibi noto discordare. Sic Scotistæ necessariorum cum Scoto; ultra quos sic etiam sentiunt Vazquez disput. 74. cap. 5. Valentia 3. part. quest. 19. punct. 2. Lorca disput. 63. Et Arriaga disput. 43. sect. 3. & 4. ubi docet: Christum, ut hominem, necessitarum non fuisse, nec ratione unionis hypostaticæ, nec ratione visionis beatificæ, nec phisicè, nec moraliter ad adimplenda consilia, exequendumque maius Dei bene-

placitum, & alij, quos sine nomine refert Hurtadus.

Sit nostra conclusio: *Non implicat, humanitatem Verbo hypostaticè unitam omittere actum consilij, & recedere à maiori Dei beneplacito, sibi manifestato de aliquo opere efficiendo.* Ita Authores secundæ sententiæ, & probatur ratione sæpè inculcata, ex peccabilitate desumpta: etenim humanitati ratione unionis hypostaticæ non repugnat essentialiter peccatum: ergo multò minus implicat, humanitatem Verbo unitam omittere actum consilij, & recedere à maiori Dei beneplacito, sibi manifestato de aliquo opere efficiendo. Consequentia est legitima. Antecedens autem constat ex dictis disput. 41. Confirmatur: humanitati ratione unionis hypostaticæ non repugnat essentialiter malitia moralis: ergo nec moralis imperfectio. Atqui recessus à consilijs est ad summum moralis imperfectio: ergo essentialiter illi non repugnat à consilijs recedere.

Contra hanc conclusionem arguit primò Ill. Godoy num. 12: humanitati ratione summæ sanctitatis repugnat essentialiter, non solum malitia moralis, sed etiam moralis imperfectio; sed in recessu à consilijs, esto malitia moralis non sit; est tamen imperfectio moralis: ergo essentialiter illi repugnat à consilijs recedere. Consequentia tenet. Præmissæ autem indigent probatione.

Maiores ostenditur primò: actus intrinsicè mali, quamvis excusati à malitia ob ignorantiam, vel defectum libertatis, repugnant essentialiter in humanitate unita, quia semper retinent indecentiam moralem, quamvis à malitia morali excusentur; summa autem sanctitas, quia talis, non solum pugnat cum malitia morali, sed etiam cum morali indecentia; sed moralis imperfectio, esto formalis malitia non sit, non tamen potest à morali indecentia præscindi: ergo humanitati unitæ ratione summæ sanctitatis, non solum moralis malitia repugnat, sed etiam imperfectio moralis. Secundò: non enim implicat sanctitas, quæ ex conceptu sanctitatis repugnet essentialiter, non solum cum morali malitia, sed etiam cum imperfectioe morali; sed eo ipso, quod huiusmodi sanctitas implicatoria non sit, conce-

11

Conclusio.

Probatur.

Confirmat.

12

Arguit. 1
Ill. Godoy

13

Maiorem
probat. 1.

Secundò.

denda est talis repugnantia essentialis gratiæ substantiali vnionis, aliàs infinita, & summa in ratione sanctitatis non esset; cum posset in ratione sanctitatis excedi à sanctitate maiori: ergo humanitati vnitæ, & summè ab illa sanctificatæ essentialitèr pugnat omnis imperfectio moralis.

14
Minorem
probat. 1.

Secundò.

15
Tertiò.

Minor etiam ostenditur primò in eodem exemplo insistendo: actus intrinsicè materialitèr malus, estò à malitià morali excusetur; non tamen est liber ab indecentia morali: ergo paritèr: actus transgrediens consiliū, & omisio actus consilij à Deo, estò non vitientur malitià morali; non tamen liberantur à morali indecentia, & consequentèr nec à morali imperfectione. Secundò: nam subditum recedere à simplici mandato superioris intimato de aliquo opere efficiendo sine intentione obligandi ad culpam mortalem, nec venialem, estò peccatum non sit, est tamen actus moralitèr imperfectus: ergo paritèr: recessus à consilijs Divinis, & à maiori beneplacito Dei, quamvis peccatum non sit, est tamen imperfectus moralitèr.

Tertiò: transgressio legis pœnalis, hoc est, non ad culpam, sed ad penam obligantis, quamvis non sit mala malitià morali formalitèr, est tamen imperfecta imperfectione morali, & reprehensione digna; vnde si Christus, vt homo, talis legis esset capax, repugnaret illam transgredi, vt fatentur omnes Theologi; aliàs potuisset efficere aliquid pœna, & reprehensione dignum, quod pias aures offendit: ergo paritèr: recedere à consilijs Divinis, & à maiori beneplacito Dei, quamvis non sit peccatum, nec malum malitià morali formalitèr; est tamen aliquid moralitèr imperfectum, & moralitèr indecens; & consequentèr repugnans cum summa sanctitate humanitatis vnitæ.

16
Respond. 1.

Respond. 2.

Respondeo ad argumentum primò, negando maiorem, ad cuius primam probationem nego etiam maiorem ob rationem nostræ conclusionis. Ad secundam probationem nego minorem, & suppositum probationis imbibitæ; supponit namquè, quod gratia vnionis sit sanctitas, cuius fallitatem ostendimus tom. preced. disput. 21. & multoties manet repetitum duplici disputatione præcedenti. Respondeo secundo: argumentum

millitare tantum contra Authores illos, qui impeccabilitatem Christi defendentes ex summa, & infinita sanctitate vnionis hypostaticæ, recessum à consilijs, & omisio actus consilij à Deo, in humanitate cum vnione ad Verbum componi posse, tuentur.

Respondeo tertiò negando maiorem, ad cuius secundam probationem nego etiam maiorem; nam si non implicaret sanctitas, quæ ex conceptu sanctitatis repugnaret essentialitèr, non solum cum morali malitià, sed etiam cum imperfectione morali; hoc conveniret omni sanctitati; omnis namquè sanctitas habet sanctitatis conceptum; & consequentèr conveniret gratiæ habituali, quæ sanctitas est, quod est apud omnes falsum. Vnde licet non implicet sanctitas, quæ ex conceptu talis sanctitatis, nempe, infinitæ, & increatæ, repugnet essentialitèr, non solum cum morali malitià, sed etiam cum imperfectione morali; talis tamen sanctitas ex conceptu sanctitatis repugnat.

Arguit secundo num. 22: ideò Christus, vt homo, necessitatus ad opera consilij non esset, quia ex tali necessitate auferretur ab illo libertas ad meritum requisita; sed hoc inconueniens non sequitur: ergo fuit necessitatus ad obsequendum consilijs, & impotens ad illorum transgressionem in sensu composito vnionis. Consequentia tenet. Maior est certa: si namquè hoc inconueniens non sequitur; cum aliàs ad maiorem Christi dignitatem, maioremque sanctitatis perfectionè conducatur impotentia transgrediendi consilia, à nullo Theologorum negabitur. Minor ostenditur primò: necessitas obediendi præcepto positivo moriendi in voluntate Christi impeccabili, stat cum illius libertate in præcepti adimpletione, vt fatentur omnes Theologi, admittentes in Christo strictum moriendi præceptum: ergo paritèr: necessitas obsequendi consilijs, stabit cum libertate in executione operis præconsilij. Secundò probatur in principijs Thomistarum, iuxta quæ infallibilis connectio prædeterminationis phisicæ cum consensu, & necessitas consensus ex suppositione prædeterminationis, non tollit libertatem in elicentia consensus; ergo paritèr: infallibilis

17
Respond. 3.

18
Arguit. 2.
Ill. Godoy.

Minorem
probat. 1.

Secundò in
principijs
Thomistar.

connexio consilij in voluntate vnita cum opere consiliato, & necessitas orta ex consilio, non obstat libertati in executione illius, & in elicentia operis praconsiliati.

Tertio minorem probat in principijs Scholæ Scoti, in quibus decretum extrinsecum Dei, quamvis infallibiliter connectatur cum actu, & illum inferat necessario in voluntate creata, non tollit libertatem in illius elicentia: ergo pariter: quamvis consilium infallibiliter connectatur cum actu in voluntate Verbo hypostatice vnita, & necessario illum inferat, non obstat libertati in illius elicentia.

Quarto probatur in principijs Societatis, iuxta quæ, vt plures fatentur, prædeterminatio efficax Dei consensus à voluntate elicendi, illius libertati non obstat; & tamen infallibiliter infert actum prædeterminatum, & necessario cum illo connectitur: ergo pariter; infallibilis connexio consilij cum actu in voluntate Verbo hypostatice vnita, & quod illum inferat necessario, non obstat, quominus liberè exequatur consilium, liberèque actum consiliatum eliceat. Præterea: nam esto ab alijs Authoribus eiusdem familiæ prædeterminationes intrinsecè efficaciæ negentur; nullus tamen potest negare coniunctum ex voluntate dandi gratiam sufficientem, & præscientia consensus conditionati, infallibiliter cum consensu connecti, illūque necessario inferre necessitate infallibilitatis; & tamen ex hoc non læditur libertas voluntatis creatæ: ergo pariter: ex necessitate sequendi consilia in voluntate Christi impeccabili, non impediatur libertas in consilij executione.

Denique probatur minor: nam id, quod essentialiter connotat libertatem in actu, estò necessario illum inferat, non tollit, sed potius infert libertatem illius; sed consilium essentialiter connotat libertatem in actu consiliato: ergo necessitas orta ex consilio non potest libertati actus obesse, sed potius illam infert. Consequentia tenet. Maior constat; nihil enim potest destruere id, quod essentialiter connotat, quo circa præceptum Christo positum libertatem non abtulit, quia, scilicet, præceptum pro materia connotat libertatem in actu præcepto, & phisica prædeterminatio,

ideo libertatem non destruit; quia illam connotat, & infert, & iuxta D. Thom. 1. part. quest. 19. artic. 8. ideo voluntas efficax Dei libertatem nostrorum actuum non adimit, quamvis illos inferat necessario, quia est de actu, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum libertatis, ideoque, non solum substantiam infert, sed etiam libertatis modum. Nihil ergo connotans libertatem, potest illam adimere, quamvis necessario connectatur cum actu. Minor autem probatur: nam actus necessarij non possunt sub consilio cadere: ergo consilium habet pro materia actum liberum; & consequenter connotat libertatem.

Quod amplius confirmari potest: non enim stat, Deum efficaciter velle, quod actus liberè fiat, & actum esse necessarium; sed supposita impotentia in voluntate Christi discedendi à consilij, Deus consilians actum Christo, vult efficaciter, quod actum liberum eliciat: ergo hac impotentia supposita, necessario sequitur, Christum liberè operari; & consequenter non destruitur, sed potius infertur libertas ex impotentia transgrediendi consilia.

Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius primam probationem distinguo antecedens primo: necessitas obediendi præcepto positivo moriendi in voluntate Christi impeccabili, stat cum illius libertate in præcepti adimplentione, vt fatentur præcisè omnes Theologi concedo antecedens, vt fatentur; & salvant nego antecedens; & distinguo consequens: ergo necessitas obsequendi consilij stabit cum libertate in executione operis consiliati, in opinione aliquorum concedo consequentiam; in opinione Ill. Godoy, & Thomistarum nego consequentiam. Ex quo ad secundam probationem nego antecedens, cuius falsitatem fuisse ostendimus tom. 2. in 1. sentent. disput. 34. vbi ex eo, quod phisica prædeterminatio libertatem tollat, eam reiecit, tum authoritate Conciliorum; tum Patrum authoritate; tum etiam rationibus, & denique esse contra D. Thomam, & Thomistarum doctrinam, monstravimus.

Ad tertiam, quartam, & quintam probationem concedo totum; quia

19
Tertio illa
probat, in
principijs
Scotistarum.

Quarto in
principijs
Societatis.

Quinto.

20
Sexto.

Confirmat.

21
Respondeo
ad argum.
ad 1. prob.
minoris.

Ad 2.

22
Ad 3. 4. &
5. probat.
tam minoris.

tam Scotistæ in suis principijs, quam PP. Societatis in suis, optimè salvant libertatem in actibus voluntatis, vt contabit pro eo, quod ad nos pertinet, ex responsione ad rationem dubitandi, & pro omnibus constat ex eo, quod nec Scotistæ, nec PP. Societatis admittunt physicam prædeterminationem, quæ vnicè, & necessariò est, quæ libertatem tollit.

23
Ad 6. prob.
minoris.

Ad sextam probationem respondeo distinguendo maiorem: quod essentialitèr connotat libertatem in actu, estò necessariò, necessitate consequenti illum inferat, non tollit, sed potius infert libertatem illius concedo maiorem; necessariò necessitate antecedenti nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo necessitas consequens orta ex consilio, non potest libertati actus obesse, sed potius illam infert concedo consequentiam; necessitas antecedens nego consequentiam. Licèt enim præceptum Christo imposuit libertatem non auferat, supposita necessitate consequenti in adimplerone præcepti; libertatem tamen auferat supposita necessitate antecedenti in præcepti adimplerone; qua ratione tom. 2. in 1. sent. disp. 36. à 8. 5. diximus, & ostendimus: physicam prædeterminationem non inferre, quin potius auferre libertatem.

24
Confirmatio deficit
in pluribus.

Primò.

Ad confirmationem respondeo: in multis deficere. Primò: quia destruit doctrinam de sensu composito, & sensu diuiso, quam tradit Ill. Godoy num. 81. respondendo ad rationem dubitandi. Quod ostenditur: nam si decretum prædeterminans ex efficacia Divinæ voluntatis, non solù dat voluntati Christi operari, sed etià modum operandi liberè, scilicèt, cum indifferentia proxima ad vtrumlibet, positis omnibus prærequisitis ad agendum: ergo ex suppositione talis decreti, & in sensu composito cum illo, fieri potest oppositum absquè vlla necessitate, nequè simpliciter, nequè secundum quid, quod aduersatur manifestè prædictæ doctrinæ Ill. God.

25
Secundò.

Deficit secundò: quia falsum supponit, scilicèt, primam radicem extrinsecam libertatis creatæ esse efficaciam Divinæ voluntatis; cum sit summa eius libertas ad extra, vt dicitur in libris de Anima. Et ratio breuiter est: nam summa efficacia Divinæ volun-

tatis ostenderetur, etiam si omnia necessariò produceret ad extra: ergo efficacia Divinæ voluntatis non respicit libertatem creatam. Vndè licèt omnia ad extra proveniant ex efficacia Divinæ voluntatis; tamen, quod contingenter eveniant, non ex efficacia, sed ex libertate voluntatis Divinæ provenit.

Tertiò deficit: nam talis volitio Divina, sic efficax, est implicatoria, quia in decreto, v. g. quo Deus ab æterno decrevit futuram hanc meam hodiernam lectionem, duo reperiuntur, nempe, velle efficaciter talem effectum, ratione cuius efficaciam implicat, me posse resistere Divinæ voluntati, & facere illam impotentem; alterum simul velle, vt idem effectus fiat liberè, hoc est, à causa habente indifferentiam, & potestatem ad oppositum eius, quod efficaciter decrevit Deus; sed manifestè implicat in mea voluntate ad eundem effectum, scilicèt, ad lectionem, dari, & non dari potentiam proximam; hoc autem sequeretur ex illo decreto; non enim daretur in me talis potentia proxima ad non legendum, quia Deus efficaciter decrevit, quod legam: ergo non possum facere oppositum (tante illo decreto); daretur verò, quia eodem decreto vult Deus, vt liberè scribam: ergo implicatorium est, quod decretum sit antecedens, & quod det modum liberum operandi: ergo ruit confirmatio Ill. Godoy.

Ex hoc itaque ad confirmationem in forma respondeo distinguendo maiorem: non stat, Deum efficaciter velle, quod actus liberè fiat, & actum esse necessarium, si contradictio non adest concedo maiorem; si adest contradictio nego maiorem; & distinguo minorem: sed supposita impotentia in voluntate Christi discedendi à consilijs, Deus consilians actum Christo, vult efficaciter, quod actum liberum eliciat, implicatoriè concedo minorem; absquè implicatione nego minorem, & distinguo consequens: ergo hac impotentia supposita, necessariò sequitur, Christum liberè operari, præcisè nego consequentiam; liberè operari, & liberè non operari concedo consequentiam, & nego subillatam. implicat enim in terminis, Deū efficaciter ab intrinseco velle, quod voluntas liberè operetur, ideòque ex

26
Tertiò.

27
Ad confirmatio-
nem respòd.
in forma.

illa voluntate efficaci vtrumque sequitur, scilicet, actum esse liberum, & non esse liberum.

28
Replicat Ill.
Godoy.

Contra hanc solutionem replicat Ill. Godoy *num. 25*: incrementum efficacitæ in libertate inferenda non potest libertatem destruere; sed efficacitæ intrinsicæ in voluntate inferenda est incrementum efficacitæ illativæ libertatis; efficacior est enim actus ab intrinseco efficaciter inferens, quam solum efficacitæ ab extrinseco: ergo per efficaciam intrinsicam illativam libertatis non potest destrui libertas; & consequenter non implicat, & minus complicat terminos, Deum efficaciter velle efficacitæ voluntatis intrinsicæ independente ab omni prævisione consensus, quod actus voluntatis creatæ fiat, & quod liberè fiat: ex quo ulterius sequitur, stare cum necessitate orta ex voluntate, & beneplacito Dei libertas in actu voluto.

29
Respondeo.

Respondeo distinguendo maiorem; incrementum efficacitæ in libertate inferenda non potest libertatem destruere, si incrementum est possibile concedo maiorem; si incrementum est repugnans nego maiorem; distinguo minorem: sed efficacitæ intrinsicæ in libertate inferenda est incrementum efficacitæ illativæ libertatis, & possibile nego minorem, & repugnans concedo minorem, & distinguo consequens: ergo per efficaciam intrinsicam possibiliter illativam libertatis, non potest destrui libertas concedo consequentiam; implicatorie illativam nego consequentiam, & subillatas. Item: hæc replica Ill. Godoy in duobus deficit, sicut & confirmatio. Primò in eo, quod adversatur doctrinæ ipsius traditæ *num. 81*. Secundò in eo, quod falsum supponit, quorum vtrumque declaravimus *numer. 24. & 25*.

30
Respond. 2.
ad argum.
principale.

Respondeo iam secundò ad argumentum principale, aliter distinguendo antecedens primæ probationis: necessitas obediendi præcepto positivo moriendi in voluntate Christi impeccabili moraliter, stat cum illius libertate in præcepti adimplerione concedo antecedens; in voluntate Christi philicè impeccabili nego antecedens, & distinguo consequens: ergo necessitas moralis obsequendi consilij, stabit cum libertate in executione operis consiliati concedo consequen-

tiam; necessitas phisica nego consequentiam. Tertio aliter distinguo: necessitas consequens obediendi præcepto positivo moriendi in voluntate Christi impeccabili, stat cum illius libertate in præcepti adimplerione concedo antecedens; necessitas antecedens nego antecedens; distinguo similiter consequens. Hoc itaque est, quod omnes Theologi fatentur; nullus namquè vcusquè dixit, quod moralis impeccabilitas, & necessitas consequens libertatem auferant; quod autem phisica impeccabilitas libertatem tollat, plurimi clamant, & quod necessitas antecedens libertatem adimat, omnes PP. Societatis vno ore cum Scotistis vociferant, & clarebit ex impugnatione responsionis Ill. Godoy ad rationem dubitandi.

§. III.

Solutio Ill. Godoy ad rationem dubitandi impugnatur.

Relictis varijs dicendi modis, ad rationem dubitandi propositam *num. 8*, respondet Ill. Godoy *n. 81*, negando sequelam, ad illius probationem concessa maiori, distinguit minorem: non posset in actum, nec in negationem oppositam actui consiliato, & magis Deo placenti, potentia consequenti, & in sensu composito concedit minorem; potentia antecedenti, & in sensu diviso negat minorem, & consequentiam. Ut enim supposito consilio de aliquo actu eliciendo, & maiori beneplacito Dei, Christus sit liber in actu consiliato, & magis Deo placente eliciendo, non requiritur, quod possit in negationem actus consiliati potentia consequenti, & in sensu composito consilij, & maioris beneplaciti Dei, sed sufficit, quod possit in oppositum, scilicet, in negationem actus consiliati potentia antecedenti, & in sensu diviso; Christus autem, etsi potentiam consequentem non habeat in prædictam negationem, nec illam possit cum consilio Dei, & cum maiori ipsius beneplacito componere, habet tamen potentiam antecedentem ad illam in sensu diviso, & ideo cum impotentia recedendi à consilio, & maiori Dei beneplacito, subsistit in ipso libertas. Ad probationem sequelæ, quatenus distinctioni traditæ obviare potest, concessa antecedenti, negat conse-

Tertio.

31
*Solutio Ill.
Godoy ad
rationem
dubitandi.*

quentiam. Quia actualis negatio actus existens componitur cum consilio actus, & ideo est actualis descensus à consilio, & à maiori beneplacito Dei in consequenti autem fit sensus diuisus, & ideo potentia ad negationem actus consiliati non est potentia discedendi à consilio Divino, nec discordandi à maiori beneplacito Dei.

32 Vel claritatis gratia distinguit consequens num. 82: si posset potentia consequenti, & in sensu composito concedit consequentiam: si posset potentia antecedenti, & in sensu diuiso negat consequentiam. Ad cuius probationem distinguit antecedens: quod prætat actu negatio actus existens, prætat possibiliter negatio possibilis, possibilitate consequenti, & in sensu composito concedit antecedens; negatio possibilis, possibilitate antecedenti, & in sensu diuiso negat antecedens, & distinguit consequens: negatio possibilis potentia consequenti, & in sensu composito, est possibilis recessus à consilio, & maiori beneplacito Dei concedit consequentiam; negatio actus consiliati possibilis, possibilitate antecedenti, & in sensu diuiso, est possibilis recessus à consilio, & maiori beneplacito Dei negat consequentiam. Sicut ista consequentia non valet: *Negatio consensus actu existens præsupposita efficaci præmotione, est actualis præmotionis frustratio: ergo si præmotione supposita est possibilis negatio consensus, est possibilis frustratio efficaci præmotionis: nec ista consequentia valet: Negatio actus præsciti à Deo actu existens, est actualis falsificatio scientiæ Divinæ: ergo negatio actus à Deo præsciti supposita scientiæ possibilis, est possibilis falsificatio scientiæ.* Antecedens namque est verum, & consequens falsum in omnium Theologorum sententia.

33 Et ratio (inquit num. 83.) est: quia in actuali existentia negationis non præscinditur ab ullo accidenti, & quia supposita physica præmotione ad consentium, negatio consensus habet ex accidenti adiunctum, quod sit physice præmotionis frustratio, & negatio actus præsciti habet ex accidenti adiunctum, quod sit Divinæ scientiæ falsificatio; fit, ut si actu existerent, actu frustrarent physicam præmotionem, & actu falsificarent scientiam: potentia autem antecedens est præci-

31 fiva ab his, quæ ex accidenti conveniunt negationi actus, & solum illam respicit secundum sibi essentialia: unde ad illam tendit, non ut coniunctam cum scientia, nec cum physica præmotione, nec cum præcepto, aut consilio, sed ab his præscindendo; & ideo negatio actus præsciti, ut possibilis potentia antecedenti, non est possibilis falsificatio scientiæ, negatio consensus, ut possibilis, non est possibilis frustratio decreti, aut præmotionis efficaci, nec negatio actus consiliati, ut terminans potentiam antecedentem, & ut possibilis potentia antecedenti, est possibilis discessus à consilio: quia in discessu à consilio importatur negatio actus consiliati, ut coniuncta cum consilio, non autem est possibilis, ut coniuncta cum consilio, sed præcisivè, aut diuisivè ab illo.

Hæc solutio Ill. Godoy ad salvandam in Christo libertatem circa actum consiliatum (supposita Christi impeccabilitate, & impotentia physica ad esse moraliter imperfectum: transgressione consiliorum, eo, quod tam peccatum, quam moralis imperfectio essentialiter repugnet cum unione hypostatice) eadem omnino est cum doctrina, qua utitur ad physicam prædeterminationem defendendam: unde hac repulsa, ut repulsa manet tom. 2. in 1. sentent. disput. 36. à §. 5. repulsa manet solutio. Deinde: hæc solutio Ill. Godoy ad salvandam in Christo libertatem circa actum consiliatum, eadem omnino est cum doctrina, quam tradit disput. 49. ad defendendam in Christo libertatem in obediendo præcepto. Unde, quæ ibi dicimus, hic applicentur, ne eadem repetamus.

35 Cæterum ultra dicta tom. cit. & ultra dicenda disput. 49. impugnatur solutio Ill. Godoy ad hominem contra ipsum: decretum efficax Divinæ voluntatis non solum dat voluntati Christi operari, sed etiam modum operandi liberè: ergo ex suppositione talis decreti, & in sensu composito cum illo, potest voluntas Christi omittere actum consiliatum, & à consilio recedere. Antecedens est Ill. Godoy num. 24. Consequentia est legitima; alioquin decretum efficax Divinæ voluntatis non daret voluntati Christi modum operandi liberè. Sussumo nunc: atqui hoc manifestè contraria-

34
Vide disp.
49. & tom.
2. in 1. sent.
disput. 36. à
§. 5.

35
Impugnatur solutio
Ill. Godoy,
ad hominem
contra ipsum.

tur solutioni III. Godoy; In illa namque concedit, non posse voluntatem Christi in sensu composito illius decreti omittere actum consiliatū, nec a consilijs recedere: ergo contra ipsum est solutio ab ipso tradita ad rationem dubitandi.

§. IV.

Traditur, & defenditur vera rationis dubitandi solutio.

36
Vera solutio rationis dubitandi.

Relicto itaque modo dicendi III. Godoy, ad rationem dubitandi respondeo negando sequelam; quia impotentia recedendi a consilijs in humanitate Christi, & necessitas acquiescendi consilijs, non fuit physica, sed moralis, quæ libertati non obstat. Quare clarius in forma respondeo distinguendo maiorem: si non potuisset physice discedere a maiori beneplacito Dei concedo maiorem; si non potuisset moraliter nego maiorem. Quæ distinctio accomodanda est omnibus alijs probationibus. Sicut omnes negant, quod confirmatus in gratia non habet libertatem sufficientem ad merendum. Ferè eadem instantia fieri potest de prædestinato, nec non & de prævento per auxilium efficax: & longè vrgentior est instantia gloriosissimæ Virginis, quæ non solum fuit prædestinata, & confirmata in gratia, sed etiam semper fuit præventa auxilio efficaci ad non peccandum venialiter; & tamen habuit sufficientem libertatem ad merendum.

37
Ratio solutionis.

Et omnium eadem est ratio, nempe, quod etsi prædestinatus habeat potentiam physicam, seu antecedentem, per quam physice potest damnari; & quamvis confirmatus in gratia habeat physicam potentiam ad peccandum mortaliter, & quamvis præventus auxilio efficaci habeat physicam potentiam ad non respondendum auxilio: tamen omnes isti de facto non exequentur potentiam istam propter impotentiam moralem, ortam ex voluntate Divina, quæ decrevit, cum illis non concurrere, vel propter aliud morale impedimentum, secundum diversas sententias, quæ de hoc circumferuntur. Sic ergo Christus Dominus habuit quidem physicam potentiam ad peccandum (scilicet voluntatem creatam defectibilem) non impeditam per aliquod physice incompensabile cum peccato.

Tamen cum propter specialem mantenentiam Dei esset moraliter determinatus ad non peccandum, semper, & infallibiliter adimpletur grat præceptum: & consequenter erat infallibile, quod nunquam erat peccaturus.

Si autem quæras, quid sit Dei mantenentia, & quænam sit causa proxima moralis impeccabilitatis Christi Domini? Respondeo ad primum: mantenentiam Dei esse voluntatem Divinam prævenientem Christi Domini voluntatem, ut semper continuet actum fruendi, insuper, & ut nunquam prorumpat in peccatum; ex quo proxime provenit, quod Christus Dominus nunquam reducet ad actum potentiam remotam non fruendi, vel peccandi; ut docet Scotus in 4. dist. 49. q. 6. §. dico ergo. vers. Sic dico. Unde notabis, Christum Dominum, secundum quod homo est, seu eius humanitatem, etiam ut unitam, imò etiam ut Beatam, non esse physice impeccabilem. Quia neque unio, neque gratia sanctificans, neque beatitudo pugnat physice cum peccato habituali, aut actuali, ut latè ostendimus disput. 41.

Ad secundum respondeo: quod moralis impeccabilitas Christi Domini non provenit proxime ab unione hypostatica, à gratia sanctificante, aut à Beatitudine; sed tantum remote, scilicet, quatenus excellentia unionis petit ex congruentia, quod humanitati unitæ conferantur dona supernaturalia, & præcipue Beatitudo. Quibus omnibus adhuc collatis, nondum manet proxime impeccabilis moraliter Christus Dominus secundum humanitatem, sed tantum remote, scilicet, quatenus status beatitudinis debito congruentiæ petit, ne Deus permittat, voluntatem Beati, quæ est physice libera, prorumpere in aliquod peccatum. Sicut philosophamus de confirmato in gratia, de prædestinato, de illo, qui est præventus auxilio efficaci. Quare concludendum est, illud, quod Christus Dominus secundum humanitatem mansit, & manet moraliter impeccabilis proxime, esse mantenentiam Dei nupèr explicatam.

Firmatur primò solutio: impotentia moralis faciendi aliquid, non tollit, quod quis possit illud liberè facere; sed impotentia recedendi a con-

38
Si quæras.

Respondeo ad 1.

39
Ad 2.

40
Firmatur 1 solutio.

filij in humanitate Christi, & necessitas acquiescendi consilijs, est moralis: ergo impotentia, & necessitas prædicta concordat cum libertate. Consequentia est legitima. Minor, ut certa à nobis supponitur, & constat ex duplici *disput. antec.* Maior constat primò in Beatissima Virgine, Apostolis, & alijs Sanctis in gratia confirmatis, qui dum erant viatores, post acceptum Spiritum Sanctum, non poterant non diligere Deum, nec mandata eius despiciere, & tamen liberè ipsum diligebant, eiusque mandata servabant. Constat secundò in his, qui habent gratiam efficacem ad aliquid faciendum, qui sunt moraliter determinati ad illud, & tamen liberè illud faciunt. Tertio constat in impotentia vitandi omnia peccata venialia, quæ cum libertate demeritoria compatitur.

41
Firmatur 2
Solutio.

Firmatur secundò solutio: voluntas potest liberè se determinare ad illud, ad quod ab extrinseco, & moraliter cogitur, ac determinatur; sed cum impeccabilitate Christi, ex speciali manutentione Dei proveniente, qua Christus est impeccabilis, optimè stat potentia physica ad recedendum à consilijs, & ad omittendum actum consiliatum: ergo verus modus conciliandi libertatem cum impeccabilitate Christi in ordine ad non recedendum à consilijs, nec ad omittendum actum consiliatum, consistit in eo, quod licet Christus non potuerit moraliter recedere à consilijs, nec omittere actum consiliatum; potest tamen id physice facere. Consequentia inferitur. Minor apparet ex duplici *disput. antec.* Maior constat: nam non obstante impotentia morali, aut vi agentis extrinsece determinantis, stat physica, & ab intrinseco indifferentia.

42
Duplex re-
plicat Ill. Go-
doy omitti-
tur.

Contra hanc solutionem, & modum salvandi libertatem replicat Ill. Godoy à num. 26. quadropliciter, sed quia prima, & secunda replica sunt tantum ad hominem contra Cardin. de Lugo, qui *disput. 26. sectio. 10.* amplectitur hunc nostrum modum conciliandi libertatem cum impeccabilitate Christi in ordine ad non recedendum à consilijs, nec ad omittendum actum consiliatum; ideo his omiſſis, quia contra nos non militant, aliam duplicem replicam obijciemus, & solvemus.

Replicat primò Ill. Godoy num. 28; nam impotentia non acquiescendi consilijs, & ab illis recedendi, & à culmine perfectionis moralis, vel præstatur humanitati à gratia unionis formaliter, vel ab amore Dei super omnia moraliter imperfecta; quodcumque istorum dicatur, utraque impotentia inducitur: ergo inconsequentè adstruitur impotentia moralis, & physica impotentia negatur. Maior cum consequentia tenet. Minorem probat: quia namque vel gratia unionis formaliter, vel amor Dei super omnia leviter offendentia excludunt ab anima Christi potentiam venialiter peccandi, inducunt impotentiam, non solum moralem, sed physicam ad peccandum venialiter: ergo si aliquid ex his excludit potentiam ab humanitate Christi ad moralem imperfectionem, quæ in recedendo à consilijs invenitur, utramque impotentiam inducit.

Respondeo ad replicam primò negando maiorem, quia ut diximus num. 39. causa proxima moralis impeccabilitatis Christi Domini, est manutentione Dei, quæ est auxillum Dei efficax. Respondeo secundò omiſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem nego causalem maiorem, cuius falsitas apparet manifeste in Beatissima Virgine, quæ semper fuit præventa auxilio efficaci ad non peccandum venialiter, & consequenter efficax illud auxillum exhibuit ab anima Beatissimæ Virginis potentiam solum moralem ad venialiter peccandum; non verò physicam, ut est apud omnes in confesso. Falsa igitur est causalis Ill. Godoy.

Replicat secundò num. 29; quia namque amor Dei super omnia leviter offendentia, physice est incompatibilis cum peccato veniali, excludit potentiam physicam ab humanitate Christi venialiter peccandi; sed amor Dei super omnia moraliter imperfecta, est physice incompatibilis cum morali imperfectione: ergo tollit, non solum moralem, sed physicam potentiam ab humanitate Christi ad imperfectionem moralem, quæ invenitur in transgressione consiliorum, & in recessu à maiori Dei benedictione. Respondeo negando suppositum præmissarum, ex dictis

43
Replicat 1.

44
Respond. 1.

Secundò.

45
Replicat 1.

Respondeo.

num. 38. quin necessarium sit, allud addere pro solutione huius replicæ.

Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magist. in 3. dist. 12. §. 3. & 4.

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA QUARTA.

An in intellectu humano Christi ignorantia, aut error esse potuerit?

§. I.

Premittuntur, quæ apud omnes sunt certa.

Num. 1

Hucusquæ perfectionem voluntatis Christi indagavimus, immunemque de facto ab omni morali defectu, pro nostra tenuitate defendimus, cum impotentia morali, nedum ad moralem malitiam, sed etiam ad quodvis genus morales imperfectionis. Restat modo de perfectione intellectus Christi humani disserere, & quia sicut imperfectio voluntatis est malitia, ita imperfectio intellectus est falsitas, ignorantia, vel error, idè in præsentis examinandum suscipimus: An in humano Christi intellectu error, vel ignorantia, esse potuerit?

2

Et ut ad rem deveniamus, breviter est advertendum, duplicem esse ignorantiam. Vna positiva, ut error; altera negativa, quæ est defectus scientiæ. Utraque est duplex. Positiva, seu error, alius est speculativus, & alius practicus. Error speculativus est, qui scientiæ speculativæ opponitur. Error practicus est ille, qui peccatum regulariter antecedit, iuxta illud: *Omnis peccans est ignorans*, eo, quia aliquis error, ignorantia, vel practica inconsideratio, antecedit regulariter omne voluntatis peccatum. Ignorantia negativa, una est, quæ debita est alicui subiecto, & vocatur *privativa*. Alia est, quæ non est debita tali subiecto, & vocatur *negativa*. Ex his, ignorantia privativa est vera, & propria ignorantia; non verò negativa, & vocatur *nescientia*.

3

His positis, consentiunt omnes Theologi primò: non fuisse in humanitate Christi ignorantiam privativam moralem, hoc est, illarum rerum, quæ

quis scire ex aliqua lege tenetur, quod patet: ut enim docet D. Thomas 1. 2. *quest. 76. artic. 2.* & cum illo Theologi omnes, talis ignorantia est peccatum, utpotè, carentia scientiæ, quam quis habere tenetur; sed est de fide, nullum peccatum actu fuisse in humanitate Christi: ergo etiam est, ut certum de fide tenendum, nihil ignorasse ex his, quæ ex lege tenebatur scire; & consequenter non fuisse in Christo ignorantiam privativam moralem.

Secundò omnes Theologi fatentur, errorem practicum in humanitate Christi non fuisse, quod patet: nam talis error, est peccatum non sit; est tamen causa peccati; sed in Christo nec peccatum fuit, nec causa actu influens in peccatum: ergo non fuit in humanitate Christi error practicus intellectus. Explicatur, & amplius vrgetur: nam error practicus, vel positivus, est dictans hic, & nunc amandum, ut bonum, quod re vera bonum non est, nec amandum, vel practica inconsideratio eorum, quæ à peccando, amoverent, & detinerent voluntatem; Christo autem nihil horum potuit accidere; cum clarè Divinam Essentiam viderit; videns autem clarè Deum non potest apprehendere, ut bonum, quod re vera bonum non est, sed tantum apparens, nec inconsideratè aliquod obiectum cognoscere, ut docet D. Thomas 1. *part. quest. 62. artic. 7.* & 1. 2. *quest. 4. artic. 2.* ergo in Christo error practicus non extitit.

Tertio ferè apud omnes est certum: Ignorantiam purè negativam, quæ propriè *nescientia*, & non ignorantia dicitur, fuisse de facto in huma-

Ignorantia alia positiva, alia negativa.

Ignorantia positiva alia speculativa, alia practica.

Ignorantia alia est privativa, & alia purè negativa.

In Christo non fuit ignorantia privativa moralis.

Potuit in
Christo
esse
error
practicus
non
fuit
in
Christo
error
practicus
intellectus

4
Nec error practicus.

Confirmat.

5
Fuit in illo ignorantia purè negativa.

nitate Christi repertam. Quod patet: nam Christus non cognovit per humanum intellectum omnia, quæ cognoscit Deus, nec de facto cognovit per scientiam infusam omnia singularia possibilis, ut docent communiter Theologi: ergo in illo fuit aliquarum rerum nescientia, ac per consequens negativa ignorantia, quæ improprie ignorantia dicitur.

6

Potuit in illo esse ignorantia privativa non moralis, nec peccaminosa.

Probat. 1.

Quarto ferè omnes fatentur: ignorantiam privativam, non moralem, nec peccaminosam, potuisse esse in humanitate Christi de potentia Dei absoluta; imò potuisse humanitatem Verbo hypostaticè uniri sine omni cognitione. Quod patet primò: nam ex vi unionis non magis debentur humanitati perfectiones, & habitus intellectus, quam debeantur gratiæ, & virtutes perficientes voluntatem; sed potuit de potentia absoluta humanitas Verbo uniri sine gratia habituali, & donis consequentibus ipsam, ut *suprà* ex communi sententia docuimus: ergo potuit etiam uniri sine donis intellectus, & illius perfectionibus; ac proinde omni destituta notitia.

7

Secundò.

Deinde: nam connexio perfectiorum, aut donorum intellectus cum gratia substantiali unionis, essentialis non est, imò nec connaturalis connaturalitate phisicæ dimanationis ad modum, quo proprietates connectuntur cum essentia; sed tantum condecenciæ, aut condignitatis moralis: ergo non est, vnde repugnet Omnipotentia Divinæ, unione humanitatis ad Verbum supposita, illa dona non infundere, aut iam infusa destruire.

8

Tertiò.

Præterea: nam estò connecterentur phisicè cum unione hypostatica, & ad illam sequerentur phisica consequentione, ad modum, quo proprietates connectuntur cum essentia, & ad illam consequuntur, possent de potentia absoluta non consequi; sicut de alijs passionibus ad essentias rerum secutis, docet communis sententia Thomistarum, supposito, quod realiter distinguantur ab illis: ergo etiam illa connexion admisa, potuit humanitas Verbo uniri sine vlla perfectione actuali, vel habituali intellectus; ac proinde sine aliqua cognitione.

9

Quartò.

Deinde: nam iuxta Thomistas potuit humanitas Verbo uniri sine

vlla sensitiva, aut intellectiva potentia: ergo à fortiori sine habitibus intellectus, & sine omni cognitione. Consequentia tenet. Tum à paritate rationis. Tum à fortiori: magis enim connectuntur cum humanitate potentia, quam habitus, & actus cum potentijs: ergo si potuit humanitas uniri sine potentijs, potuit uniri cum potentijs sine habitibus, & actibus. Antecedens autem probatur: nam, supposita sententia D. Thomæ, distinguente realiter potentias animæ ab anima, potest de potentia absoluta anima sine potentijs existere; sed sic existens est à Verbo assumptibilis: ergo posset sine potentijs assumi. Probatur minor: potest irrationalis natura Verbo hypostaticè uniri de potentia absoluta, ut cum communi sententia docuimus *tom. preced. disput. 18*: ergo etiam est assumptibilis, & Verbo hypostaticè unibilis anima rationalis, sine potentijs existens.

Denique: nam estò gloria corporis esset humanitati debita ratione unionis, fuit de facto multò tempore suspensa: ergo quamvis gloria animæ debeat ratione unionis, potuit de potentia absoluta per aliquod tempus suspendi; & consequenter potuit, illo debito non obstante, in æternum non conferri: ex quo ulterius fit, quod potuerit omni cognitione privari: nulla enim cognitio est magis cum unione connexa, quam ipsa visio beatifica; & consequenter, si hæc potuit, nunquam humanitati unitæ concedi, potuit ei omnis aliqua cognitio negari: ac proinde potuit de potentia absoluta inveniri in humanitate ignorantia privativa, hoc est, illarum rerum, quarum cognitio debetur aliqua ratione subiecto. Patet hæc ultima consequentia: nam cognitio illarum rerum, quas Christus de facto cognovit, est debita humanitati, ut tenet communis sententia; sed potuit de potentia absoluta hac cognitione carere: ergo potuit de potentia absoluta habere ignorantiam privativam.

Quintò tandem: omnes Theologi fatentur: errorem actualem positivum in humanitate Christi non fuisse, & præterquam quod ex *infra* dicendis constabit, probatur: nam error positivus est malum naturæ intellectualis, & nulla ratione ad finem Redemptionis conducit, officioque uni-

Quintò.

10

Non fuit in intellectu humano Christi error actualis, nec habitualis positivus.

ver-

versalis Magistri, quod in se Christus suscepit, ad versatur: ergo relegandus est ab humanitate Christi. Ex quo sequitur, nec errorem habitualem, hoc est, habitum erroneum esse in humanitate Christi admittendum, quod etiam omnes Theologi, ut certum supponunt, & patet: nam habitus erroris actibus erroris acquiritur; sed in Christo actus erronei non fuerunt: ergo in illo habitus erroneus non fuit; aliàs à Deo fuisset infusus, quod vel implicat, vel nunquam à Deo fuit factum, ut docent omnes Theologi.

§. II.

Referuntur sententia, & statuitur prima conclusio.

His positis, in quibus parum, aut nihil controversiæ invenitur, duo restant examinanda. Primum: de ignorantia privativa non morali. An fuerit de facto in humanitate Christi? Secundum de errore positivo, tam speculativo, quam practico. An potuerit de potentia absoluta in humanitate inveniri? Hæc duo examinanda proponit Ill. Godoy num. 14. Nos autem addidimus de errore etiam practico agendum, quia eodem fundamento speculativum, & practicum defendemus.

Circa primum prima sententia, seu potius error, defendit, Christum, in quantum hominem, plura ignorasse, & inter alios defectus ignorantiam suscepisse. Ita quidam hæretici, qui Valentiniiani sunt dicti, relati ab Irineo lib. 1. *adversus hæreses*, cap. 17. asserentes alphabetum sub ferula præceptoris, & plura alia, quæ ignoravit, ab hominibus didicisse. Ita etiam Agnoitæ, vel Ignoitæ relati à Nicephoro lib. 18. *historiæ* cap. 50. & à Sanderone lib. 7. *de visibili Monarchia hæresi* 180. quibus accessere Melanthon, Lutherus, Erasmus, Brentius, Calvinus, & alij, Christo in pueritia communem cum alijs pueris ignorantiam tribuentes, imò etiam adultum errasse, asseverantes, quos ex Canisio lib. 3. *de Deipara Maria* cap. 22. refert Bazquez *disput. 51. cap. 1.* ubi hæreticis adiungit Originem homil. 30. in *Matth. non longè à fine* super illud Matth. 24. *De die autem illa nemo scit,* &c. Athanasium *oratione 4. contra Arrianos post medium.* Cyrillum lib. 9. *Theauri*, cap. 4. & lib. 5. *de recta fide ad*

Reginas, cap. 1. Et ex Recentioribus Jansenium in *concordia Evangelica*, cap. 123. *circa finem.* His accessit Doctor quidam Complutensis, quem sine nomine refert Magister Medina in *presenti artic. 3.* ubi addit ab Inquisitoribus fuisse punitum, & sententiam retractare coactum.

Secunda, & vera sententia oppositum docet, negans Christo, ut homini, non solum positivum errorem, sed etiam ignorantiam privativam illarum rerum, quas scire ad statum Christi spectabat. Ita ex Patribus Justinus Martyr *quest. 58. ad Orthodoxos.* Clemens Alexandrinus in *lib. Pedagogij*, cap. 6. in principio. Hylarius, Hieronymus, Chrysostomus, Basilus, Ambrosius, Nazianzenus, Bernardus, & alij, quorum verba refert Bazquez *disp. allegata*, cap. 2. D. Thomàs in *quest. 15. artic. 3.* Cui omnes Theologi vni consensu adhæserunt.

Circa secundum duplex versatur sententia. Prima negat, potuisse esse in Christo iudicium speculativum erroneum, etiam de potentia absoluta, adeòquè repugnare cum vnione hypostatica, ut si naturam assumeret, in qua error speculativus existeret, non posset, eadem potentia inspecta, cum vnione conservari. Hanc tenet Ill. Godoy num. 98. cum omnibus, quos citat num. 17.

Secunda sententia affirmat: quod licet Christus de facto nunquam erraverit, potuit tamen de potentia Dei absoluta error positivus reperi, non solum speculativus, sed etiam practicus. Sic Scotus omnibus locis, quibus docet: Christum ab intrinseco non esse impeccabilem. Et saltem de errore speculativo tenent Bazquez in *presenti disput. 51. cap. 9.* Gaspar Hurtado *disput. 10. difficult. 9.* Lugo *disput. 23. sect. 3.* falso asserens, esse communem. Arriaga *disput. 40. sect. 4. subsect. 3.* Luisius de Torres 2. 2. *disput. 3. dubio 4.* Et Ripalda *tom. 1. de Ente supernaturali*, *disput. 59. sect. 2.* quos refert Prudentius *tom. 2. in 3. part. tract. 2. disput. 1. dub. 1. sect. 3.*

Sit prima conclusio: *In Christo de facto nulla fuit ignorantia, sumpta privativè, hoc est, illarum rerum, quas scire, ad statum Christi spectabat.* Ita omnes Theologi in eo gradu certitudinis, ut Medina oppositum censeat hæreticum, cui consentit Bazquez

Fansenius.

13
2. Sententia.

Justinus.
Clemens.
Hylarius.
Hieronym.
Chrysostom.
Basilus.
Ambrosius.
Nazianç.
Bernard.
D. Thom.

14
1. Sententia.
Ill. Godoy.

15
2. Sententia.

Scotus.

Bazquez.
Hurtado.
Lugo.

Arriaga.
Torres.
Ripalda.

Prudentius

16
1. Conclusio

Bazquez
redarg. 1.

cit.

11
Circa ignorantiam privativam non moralem.

12
1. Sententia.

Hæretici Valentiniiani

Agnoitæ.
Melanthon.
Luther.
Erasmus.
Brentius.
Calvinus.

Origines.

D. Athanasius.
Cyrillus.

Secundò.

Aliæ censu-
ra.

cit. cap. 2. docens, quod licet in nullo generali, aut Provinciali Concilio, hactenus fuerit diffinitum, Christum cognovisse omnia futura, & nullam ignorantiam habuisse, nihilominus id certa fide Catholica tenendum esse, eo, quod Sancti Patres ita vno ore id pronuntiant, vt oppositum, tanquam errorem damnent; ex quo inferitur, hanc fuisse in Ecclesia Dei indubitatae fidei traditionem. Ceterum cum Vazquez sentiat Originem, Athanasium, & Cyrillum in opposita fuisse sententia, quomodo potest esse verum, Patres vno ore à Christo ignorantiam excludere, & oppositum, vt errorem damnare? Præterea, nam Athanasium, & Cyrillum traditionem, ita vniuersalem, ignorasse, credendum non est, idque asserere, irreverentiæ speciem præferret. Tannerus *disp. 1. de Incarnat. quæst. 5. dub. 4. assertione 8.* censet, conclusionem esse de fide. Valentia *disp. 1. de Incarnat. q. 15. punct. 1.* esse omnium Orthodoxorum sententiam. Suarez *vbi supra*, esse omnino certam affirmat, quod etiam alij supponunt.

17
Propriam
iudicium
profertur.

Mihi autem cum Ill. Godoy n. 19. distinguendam videtur, asserendumque: ignorantiam propriè dictam intellectui Christi attribuire, esse ad minus temerarium: quia opponitur vniuersali Theologorum sententiæ in re Theologica, & gravi, asserere, quod hæc, vel illa, etiam ex futuris, non noverit, v. g. numerum arenæ Maris, & si falsum sit, non tamen censura dignum; quia minimarum rerum notitiam Christo, vt homini, deberi, etsi verum sit, non tamen potest evidentè ostendi, quod tamen necessarium erat, vt itius notitiæ defectus probaretur esse ignorantiam privativam, quæ sola potest dici propriè ignorantia; ac proinde, quamvis certum sit, Christum nullam ignorantiam habuisse, non sequitur esse certum, omnia quomodolibet futura cognovisse. Sicut ex eo, quod nullam ignorantiam propriè talem habuerit, non sequitur, cognovisse omnia, quæ Deus cognoscit, nec omnia singularia possibilis, vt diximus *num. 5.*

18
Probat. 1.
conclusio.

Quod autem in Christo, vt homine, nulla fuerit ignorantia propriè dicta, quod asserit nostra conclusio, & tenet Ill. Godoy *numer. 18.* ostenditur primò ex illis verbis Ioannis *cap. 1. Vi-*

dimus gloriam eius, quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Quæ accipienda esse non solum de Christo, vt Deo, sed etiam quatenus homine, docet D. Thomas *ibi lect. 8.* Et ad *Colosens. 1. lect. 5.* vbi in eodem sensu accipit illa verba Pauli: *Quia in ipso, (scilicet, Christo) complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare;* & verba illa Ecclesiastici *cap. 24. Et in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Ex quibus, sic intellectis, habetur, humanitatem fuisse plenam veritatis, idest, cognitionis; sed si habuisset ignorantiam privativam, plena cognitionis, & veritatis non fuisset; cui namque deest aliqua cognitio debita, plenum cognitionis non est, sicut cui deficit gratia aliqua sibi debita, plenum gratiæ dici nequit: ergo in Christi humanitate non fuit ignorantia privativa.

Deinde probatur conclusio: nam cum scientiæ plenitudine ignorantia stare nequit; sed in humanitate Christi fuit scientiæ plenitudo: ergo in illa nulla fuit ignorantia. Consequentia tenet. Maior est certa: nam ignorantia opponitur scientiæ: ergo cum plenitudine scientiæ nequit ignorantia componi. Minor autem ostenditur primò ex adductis verbis Ioannis de Christo, vt homine, à D. Thoma acceptis. Secundò: quia vt arguit Div. Thomas *3. part. quæst. 7. artic. 1.* in humanitate Christi fuit omnis plenitudo gratiæ, quia ratione vnionis ad Verbum fuit summè approxinata Deo, qui est fons, & origo gratiæ; sed etiam est fons, & origo cognitionis, & scientiæ: ergo ratione vnionis summè approximantis humanitatem ad Deum, fuit in illa cognitionis, & scientiæ plenitudo. Tertiò probatur: vt enim omnes Theologi fatentur, in humanitate Christi ratione vnionis ad Verbum fuit omnis perfectio sine inconnaturalitate possibilis, cum vnione composibilis, & fini Redemptionis non opposita; sed plenitudo scientiæ est huiusmodi: est enim perfectio possibilis, cum vnione composibilis, fini Redemptionis non obitans, nullamque inconnaturalitatem dicens: ergo adtribuenda est in humanitate, Christi.

Deniquè probatur minor: nam Magistro vniuersali decet plenitudo scientiæ; sed Christus, vt homo, institutus fuit à Deo vniuersalis Magister: ergo decet illi, vt homini, omni-

19
Secundò.Minor pro-
batur. 1.

Secundò.

Tertiò.

20
Quartò.

scien-

Occuritur
obiectioni.

scientiæ plenitudo; & consequenter fuit illius humanitati concessa. Nec obstat, quod Christus, ut homo, de facto speculativas scientias non docuerit, ex quo videtur inferri, ad illius universalem doctrinam necessarias non fuisse. Licet namque illas non docuerit de facto; posse tamen illas docere, ad perfectionem universalis Magisterij spectat; ut autem posset prædictas scientias docere, illas scire debebat: ac proinde oportuit, quod omnes illas haberet, cognitionemque omnium rerum ad statum Christi spectantium.

21
Ultim. prob.
conclusio.

Denique suaderetur conclusio: nam Christus illos defectus assumpsit, qui ad finem Redemptionis conducunt; sed ignorantia est defectus ad finem Redemptionis non conducens: ergo illam non assumpsit; & consequenter in eius humanitate non fuit. Maior est D. Thom. 3. part. quest. 15. artic. 1. & 2. & communis Theologorum. Minor autem probatur primò: quia in hoc, quod est ignorare, nulla ad nos homines redimendos conducuntia invenitur, nec in cognitionis defectu meritum esse potest. Secundò: ut enim arguit Div. Thom. 3. part. quest. 15. artic. 3. ignorantia per ignorantiam non tollitur; Christus autem venit, ut ignorantias nostras auferret: ergo ad finem, ad quem destinatus fuit, ignorantia non conducit; & consequenter in Christo ignorantia non extitit.

22
Has probationes pro conclusione adducit Ill. Godoy §. 2. Argumenta verò ab authoritate tradit, & solvit §. 3. Argumentum à ratione ex admiratione, quæ verè, & propriè fuit in Christo, comparatione facta ad scientiam experimentalem, ut constat ex illis verbis: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel*, proponit, & optimè solvit §. 4. Et hæc de prima difficultate, in qua cum Ill. Godoy litigium non habemus.

III.
De iudicio erroneo speculativo, & pratico errore.

23
Conclusio

Sit secunda conclusio: Non solum iudicium speculativum erroneum, verum etiam practicus error, possunt esse in humanitate unita de potentia Dei absoluta. Hæc conclusio est contra Ill. Godoy num. 98. contra quem, & om-

nes adversarios facillimè probatur ex dictis: Peccatum grave, sive habituale, sive actuale, potest de potentia absoluta Dei esse in humanitate unita: ergo etiam error, sive speculativus, sive practicus. Consequentia est paritate evidens. Antecedens verò constat ex dictis disput. 42.

Contra conclusionem arguit primò Ill. Godoy num. 101. Deo namque repugnat, ut causam particularem in errorem influere, illumque speciali concursu causare; sed si humanitas unita Verbo erraret, Verbum, ut illa subsistens, esset causa particularis erroris: ergo implicat error in humanitate unita. Consequentia tenet. Minorem non probat Ill. Godoy, sed probatam supponit ex ab ipso dictis disput. 41. ubi probavit: actiones omnes humanitatis Verbo hypostaticè unitæ, esse Verbi, ut in illa subsistentis, nedum denominativè, verum etiam influxivè, ex illo axiomate asserente, actiones esse suppositorum, quod non solum denominativè, sed etiam influxivè accipiendum, ibi ostendit; sed iudicium erroneum esset actus ab humanitate elicitus: ergo Verbum, ut in illa subsistens, ut quod in errorem influeret, sicut causa particularis.

Maior autem (ait Ill. Godoy num. 102.) præterquam quod frequentior est apud Theologos 2. 2. quest. 1. artic. 13. probatur primò: quia namque Deus est summè bonus, non solum non potest peccare, sed etiam non potest esse causa particularis peccati, & quia summè verax est, non solum non potest mentiri, sed etiam ipsi repugnat, esse causam particularem mendacij; sed etiam est summè verus: ergo non solum non potest errare, sed nec etiam potest, ut causa particularis, in errorem influere. Patet consequentia: non enim minus opponitur error summæ veritati, quam mendacium summæ veracitati, & peccatum summæ bonitati: ergo si Deo, quia summè verax, & summè bonus est, non solum repugnat mentiri, & peccare, sed etiam, ut causam particularem in mendacium, & peccatum influere, repugnabit ipsi, quia summè verus est, non solum errare in se ipso, sed etiam in nobis errorem, ut particularem causam, efficere, & in illum speciali influxu influere.

Secundò probatur maior: Deo

Probatur.

24
Arguit. 1.
Ill. Godoy.

25
Maiores
probat. 1.

26

nam-

Secundò.

namque non solum repugnat falli, rem aliter, ac est in se, cognoscendo, sed etiam repugnat fallere, nos inducendo ad rem aliter, ac est in se, cognoscendam; sed si ut specialis causa iudicium erroneum infunderet, falleret nos *effectivè*; faciendo, quod intelligeremus rem aliter, quam est in se: ergo repugnat Deo, ut particularem causam, in iudicium erroneum influere.

27

Tertiò.

Tertiò: si namque posset Deus, ut causa particularis, efficere iudicium erroneum, posset errorem, ut errorem, intendere; sed repugnat Deo intendere per se errorem: ergo repugnat illi particulari influxu in errorem influere. Consequentia tenet. Maior constat, quod enim Deus, ut particularis causa, operatur; intendit illud per se; cum omnis effectus ex intentione alicuius causæ procedat; effectus autem Dei, ut causæ particularis, in aliam non reducat: ergo si Deus esset causa particularis erroris, intenderet illum per se. Minor autem probatur: nam si Deus intenderet per se errorem, mentiretur, sumpto inadæquate mendacio; sed asserere Deum posse mentiri, sumpto inadæquate mendacio, temerarium videtur: ergo asserendum non est, Deum posse errorem per se intendere.

28

Respondeo
ad argum.

Respondeo ad argumentum concessa maiori, negando minorem ex dictis *disput. 41*: nam in dicta disputatione §. 11. ostendimus, actiones omnes humanitatis, Verbo hypostaticè unitæ, esse Verbi, ut in illa subsistentis, *denominativè tantum*; non vero *influvivè*, aut *elicitivè*. Quomodo autem intelligendum sit illud axioma: *Actiones sunt suppositorum*, latè ibi ostendimus, & Ill. Goddy solutiones impugnavimus, in ipsamque plures ex illius doctrina retorsiones fecimus.

29

Arguit. 2.

Arguit secundo *numer. 104*: Deo namque repugnat peccatum, etiam in natura assumpta; sed assensus speculativus erroneus, est actus peccaminosus: ergo repugnat Verbo in humanitate assumpta, etiam de potentia absoluta. Consequentia est bona. Maior ex superius dictis constat. Minor autem ostenditur primò: ut enim docet D. Thom. 2. 2. *quest. 110. artic. 3.* mendacium ideo est peccatum ex genere, quia ex se cadit supra materiam indebitam. Cum enim (ait D. Thom.) *voce naturalitèr sint signa intellectuum, in*

naturale est, & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente; sed non minus naturalitèr ordinantur conceptus ad res significandas, ut sunt, quam voces ad manifestandum conceptus: ergo non minus inconnaturale, & indebitum est, res alitèr, ac sunt, significare conceptibus, quod fit per assensum erroneum, quam vocibus significare res alitèr, ac sunt in conceptu, quod fit per mendacium; & consequentèr, sicut mentiri est ex genere suo peccatum, ita rei alitèr, ac est, assentiri, est ex genere suo peccatum.

Secundò minorem probat: mendacium non solum est malum ratione deformitatis vocum ad conceptus, sed etiam ratione animi, & intentionis fallendi, inclusa in ipso mendacio, vel expressè, & superadditè, ut communiter docetur à Theologis cum D. Thoma *cit. artic. 1.* ergo animus fallendi alium, quo formalitèr constituitur, vel saltem completur mendacium, est peccatum; & consequentèr peccatum est, alium in errorem inducere: ergo etiam erit peccatum, quod aliquis in se ipso voluntariè causet errorem: ac proinde error voluntariè alicui est formalitèr peccatum. Hoc argumentum ruit negando maiorem, ut negare tenemur ex dictis *disput. 41.* ex quibus nostram probavimus conclusionem.

Arguit tertiò *numer. 109*: ex nostra sententia sequitur, Christum, ut hominem, non esse infallibilis autoritatis in dicendo; consequens est falsum: ergo & nostra sententia. Consequentia tenet. Minor videtur certa: si namque Christus, ut homo, infallibilis autoritatis in dicendo non esset, non essent certa, nec ut talia credenda fide, quæ in Evangelio nos docuit; consequens est absurdum: ergo absurdum etiam est, Christo, ut homini, negare infallibilem autoritatem in dicendo. Sequela probatur: non stat infallibilitas in dicendo sine infallibilitate in cognoscendo, ideoque Deus infallibilis est in dicendo, quia nec falli potest, nec fallere, quod si Deus falli in cognoscendo posset, etiam posset alios fallere, loquendo, ut ipse cognosceret, alitèr tamen, ac res esset in se ipsa; sed si Christus, quatenus homo, posset elicere assensum erroneum, non esset infallibilis in cognos-

30

Secundò.

Respondetur

31

Arguit. 3.

Minorem
probat. 1.

28

cendo; cum falleretur hoc ipso, quod erroneè assentiretur: ergo infallibilis in dicendo non esset.

32
Confirmat.

Quod amplius vrgetur: nam hoc ipso, quod Christus quatenus homo, de re aliqua aliter, quam esset, iudicaret, posset rem illam, vt à se iudicantem, verbis manifestare; sed hæc manifestatio esset falsa loquutio: ergo hoc ipso, quod posset iudicium erroneum elicere, posset etiam falsum loqui, falsitate saltem materiali; & consequenter infallibilis in dicendo non esset. Consequentia tenet. Minor est certa: nam huiusmodi loquutio, etsi esset menti conformis, non tamen conformaretur cum re ipsa, vt est in se, & consequenter esset materialiter falsa. Maior autem non minus aperta videtur: omne namque, quod quis concipit, potest alijs manifestare verbis: ergo Christus, vt homo, concipiens rem aliter, ac esset, posset conceptum istum manifestare verbis, & vt conciperet, loqui.

33
Respondeo
ad argum.

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: sequeretur Christum, vt hominem, & vt Doctorem particularem, non esse infallibilis authoritatis in dicendo concedo maiorem; vt Doctorem fidei, & Magistrum vniuersalem, & prout est caput Ecclesiæ nego maiorem, & hac distinctione nego minorem, & probationes vtriusque præmissæ, cum confirmatione, negoque consequentiam. Itaque Christus, vt homo, potest considerari dupliciter. Primo, vt Doctorem fidei, & Magistrum vniuersalem, & prout est caput Ecclesiæ. Secundo, vt Doctorem particularem, & priori modo inspectum, non posse falli, nec fallere etiam materiali fallacia: secus autem secundo modo, & hoc sufficere, vt quæ in Evangelio traduntur, certa sint, & vt talia fide Divina credenda, eo, quod ab ipso, vt Ecclesiæ capite, vniuersali que Magistro, sunt dicta.

34
Si opponas.

Si autem opponas: non posse certo constare, quæ in Evangelio continentur, esse à Christo tradita, vt Ecclesiæ capite, & Magistro vniuersali, & non ex cognitione, ipsi potente competere; vt particulari Doctori: vnde namquæ hoc certo constare potest? Ergo si potest vt Doctor particularis errare, & verbis errorem manifestare, non constat esse certa

ea, quæ in Evangelio continentur.

Hæc tamen obiectio (ait Ill. Godoy *num. 112.*) non vrget, instaturque in his, quæ diffinit Pontifex, quæ certa sunt, & fide Divina tenenda, & hoc ideo, quia licet possit, vt particularis Doctor, errare, non potest errare, vt Doctor, & caput Ecclesiæ; & tamen obiectio facta potest fieri eodem modo; vnde namquæ constat, Pontificem loqui, vt caput vrsibile Ecclesiæ, & non vt Doctor particularis? Sicut ergo de hoc constat ex Ecclesiæ propositione, & quia Ecclesiæ id, vt diffinitum à Pontifice, vt Ecclesiæ capite, proponit, ita constare potest ea, quæ continentur in Evangelio, esse à Christo, vt Ecclesiæ capite dicta; quia Ecclesiæ illa, vt ita dicta, proponit. Explicatur, & vrgetur in instantia: quod Pontifex, vt Ecclesiæ caput, non possit errare, quamvis, vt Doctor particularis errare possit, sufficit, vt certæ sint, & fide Divina credendæ illius diffinitiones: ergo pariter: quod Christus, vt caput Ecclesiæ, & vt Doctor vniuersalis, non possit falli, nec fallere, etsi vtrumque possit, vt particularis Doctor, & vt homo particularis, sufficiet, vt ea, quæ in Evangelio tradidit, certa, & indubitata sint, & fide Divina credantur.

Vnde aliter (inquit Ill. Godoy *numer. 113.*) potest infringi solutio à nobis tradita. Primo: quia multum derogat authoritati Christi, vt hominis, posse nos fallere, etiam vt particularem Doctorem; sed hoc saltem sequitur ex hoc, quod possit errare: ergo asserendum est, implicare errorem in humanitate vnita, vt dictum inconueniens videtur. Secundo: nam humanitati vnitæ ratione vnionis ad Verbum debetur negatio concursus ad mendacium etiam materiale, sicut illi ratione vnionis debetur negatio concursus ad odium Dei, etiam indeliberatum; sed hoc ipso non potest Christus, vt homo, dicere materiale mendacium, etiam de potentia absoluta: ergo Christus, vt homo, nullatenus potest fallere, & consequenter nec falli. Maior (ait Ill. Godoy) constat ex his, quæ *disput. 41.* docuit, ne in pæ, humanitati vnitæ ratione vnionis ad Verbum deberi omne bonum possibile, & carentiam omnis mali; mendacium autem est materiale sit, malum est: ergo illius carentia debetur hu-

35
Obiectio nõ
vrget.

36
Replicat r.
Ill. Godoy.

Secundo.

manitati; & consequenter etiam est debita illi carentia concursus Dei ad mendacium materiale. Minor etiam ex *ibidem* dictis constat: nam hoc ipso, quod humanitati debeatur negatio concursus ad mendacium materiale, Deus, concurrens *positivè* cum humanitate ad mendacium, non concurreret, ut causa universalis, sed ut causa particularis, quod implicat; sed implicante concursu Dei ad mendacium materiale, implicat tale mendacium in humanitate unita: ergo eo ipso, quod negatio concursus sit debita humanitati; implicat, Christum, ut hominem, materiale mendacium proferre.

37
Respondeo
ad 1. replicam.

Respondeo ad primam replicam, negando maiorem. Primò: quia nihil derogat auctoritati Pontificis, ut particularis Doctoris, posse nos fallere. Secundò: quia magis derogaret supràmo dominio Dei, Deum non posse facere, quod Christus, ut homo, & Doctor particularis, non esset fallibilis in dicendo. Tertio: quia per hoc, quod Christus, ut homo, & Doctor particularis, possit saltem de potentia absoluta nos fallere, ostenditur fragilitas, & veritas talis humanitatis. Quarto: quia alioquin Christus, ut homo particularis, esset ita infallibilis, ac Deus; cum ad infallibilitatem in dicendo, antecedit, vel concomitetur infallibilitas in cognoscendo, ut fateatur Ill. Godoy in argumento. Denique replica indebitè formata videtur; nam hoc, quod est derogare, vel non derogare auctoritati alicuius, potius pertinet ad actum, quam ad potentiam; in ordine namque ad potentiam non est attendendum ad auctoritatem rei finitæ, sed ad Omnipotentiam Dei, eiusque supràmum Dominium.

38
Retorqueo
replicam
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

Antecedens
probat. 1.

Ex quo retorqueo replicam contra Ill. Godoy: quod multum derogat auctoritati Christi, ut hominis, posse nos fallere, non arguit physicam impotentiam in Christo, ut homine, ad nos non fallendum: ergo replica est indebitè formata. Probatur antecedens primò ad hominem contra ipsum: quod multum deroget perfectioni Christi, ut hominis, posse esse privativè ignorans, non arguit physicam impotentiam in Christo, ut homine, ad non esse privativè ignorans, ut tenet Ill. Godoy *num. 5.* ergo pari-

ter. Secundò, & etiam ad hominem contra ipsum: quod multum deroget excellentiæ Christi, ut hominis, posse esse sine donis supernaturalibus, scilicet, gratia habituali, gloria, &c. non arguit physicam impotentiam in Christo, ut homine, ad esse sine illis, ut concedit Ill. Godoy *numer. 6. & 7.* ergo similiter.

Tertio probatur dictum antecedens, ad hominem etiam contra ipsum: quod multum deroget integritati Christi, ut hominis, posse esse sine sensitivis, & intellectualibus potentijs, non arguit physicam impotentiam in Christo, ut homine, ad esse sine illis, ut expressè confitetur Ill. Godoy *numer. 8.* opinionem D. Thomæ de distinctione reali potentiarum ab anima supponens: ergo similiter. Denique: probari valet antecedens per omnia illa, quæ licet ratione perfectionis, excellentiæ, aut dignitatis Christi, ut hominis, illi de facto conceditur; non tamen repugnat, Christum, ut hominem, esse sine illis. Undè, sicut derogatio perfectionis, excellentiæ, & integritatis Christi, ut hominis, probant univè, quod Christus, ut homo, non sit de facto privativè ignorans, nec sit sine supernaturalibus donis, ac sine potentijs sensitivis, & intellectualibus; ita derogatio auctoritatis Christi, ut hominis, probat dumtaxat, Christum, ut hominem, de facto nos non fallere, seu esse infallibilem in dicendo.

Ad secundam replicam respondeo distinguendo maiorem: humanitati unitæ ratione unionis ad Verbum debetur debito congruentiæ negatio concursus ad mendacium, etiam materiale, sicut illi ratione unionis debetur negatio concursus ad odium Dei, etiam indeliberatum concedo maiorem; debetur debito essentiali, aut debito connaturalitatis physicæ dimanationis nego maiorem, & minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem distinctione data & concessa minori, distinguo similiter consequens. Solutio patet ex dictis *disput. 41. num. 144. & alibi*, estque conformis doctrinæ, quam tradit Ill. Godoy in *presenti num. 6.*

Ex qua ad hominem contra ipsum secundam replicam retorqueo: humanitati unitæ ratione unionis ad Verbum debentur, tum perfectiones, & habitus intellectus; tum perfectio-

Secundò.

39
Tertio.

Quarto.

40
Respondeo
ad 2. replicam.

41
Retorqueo
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

nes, & virtutes perficientes voluntatem; tunc denique: potentie sensitivæ, & intellectivæ; atqui hoc debito non obstante, potuit humanitas Verbo uniri de potentia absoluta sine omni cognitione, sine gratia habituali, & sine potentijs sensitivis, & intellectualibus: ergo non obstante, quod humanitati unitæ ratione unionis ad Verbum debeatur negatio concursus ad mendacium materiale, poterit Christus, vt homo, de potentia absoluta dicere materiale mendacium. Præmissæ sunt Ill. Godoy num. 5. & seqq. Consequentia probatur: ideò potuit humanitas Verbo uniri de potentia absoluta sine omni cognitione, sine gratia habituali, & sine potentijs sen-

sitivis, & intellectualibus, quia licet hæc omnia sint debita humanitati ratione unionis hypostaticæ, illi tantum sunt debita debito congruentiæ; atqui negatio concursus ad materiale mendacium est tantum debito congruentiæ debitum humanitati ratione unionis hypostaticæ, vt constat à pari: ergo non obstante, quod humanitati unitæ ratione unionis ad Verbum debeatur negatio concursus ad mendacium materiale, poterit Christus, vt homo, de potentia absoluta dicere materiale mendacium. Recolantur dicta *disp.* 41. Et hæc de ista disputatione, & tractatu.

TRACTATUS DUODECIMUS.

DE MERITO CHRISTI.

DISPUTATIO QUADRAGESIMA QUINTA.

An Meritum Christi sit simpliciter infinitum?

§. I.

Duobus præsuppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1
*Christum
meruisse,
supponitur.*

VT ad difficultatis punctum præsentis disputationis veniamus, vt extra controversiam, & indubitata fide tenendum, supponimus, Christum aliquid meruisse. Quæ veritas constat primò ex Tridentino *Sess.* 6. *cap.* 7. vbi diffinitur, Christum fuisse causam meritoriam nostræ Iustificationis. Deindè ex illo *Isaia cap.* 53. *Si passuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, videbit, & saturabitur.* Vbi Christo Domino sub conditione mortis pro hominibus sustinendæ, præmium promittitur; ac proindè illud sua morte promeruit. Præterea ex Paulo ad Philipenses *cap.* 2. illis verbis: *Humiliavit semetipsum factus obediens*

vtque ad mortem, propter quod, & Deus exaltavit illum. Quibus verbis exaltatio Christi, illius humilitati, & obedientiæ, tanquam præmium, attribuitur. Ac denique hæc ratio: nam opus liberum, honestum, charitate Dei informatum, in obsequium Dei factum, ad præmium ordinatum, & ab homine viatore procedens, meritum est apud Deum; cum illi nulla ex conditionibus ad meritum exactis deficiat: talia fuerunt omnia opera Christi Domini: ergo fuerunt meritoria, & per illa Christus meruit.

Supposito ergo, vt de fide, Christum Dominum suis operibus meruisse, huius meriti quantitatem indagamus. An, scilicet, fuerit infinitum?

2
*Explicatur
difficultas.*

Non in genere phisico; etenim in hoc genere, vt omnino certum supponimus, illius operationes infinitas non fuisse; fuerunt enim in linea phisica eiusdem rationis eum illis, quæ ab homine puro procedere possunt; hæc autem finita phisicè sunt, cum principia, à quibus procedunt, vel procedere possunt, tam proxima, quam remota, sint in linea phisica finita. Vnde tota difficultas ad genus moris deuoluitur. An, scilicet, operationes Christi fuerint in genere moris infinitæ dignitatis, & rationem meriti infiniti obtinuerint? Pro quo.

3
Meritum
Christi fuit
sufficiens
pro culpis
delendis, &
pro gratiæ,
& gloriæ
collatione.

Secundò supponendum est cum communi Theologorum consensu, & est dogma præcipuum nostræ fidei: Meritum Christi Domini sufficiens fuisse pro culpis hominum delendis, & pro gratiæ, & gloriæ collatione; eiuque opera sufficientem habuisse valorem ad satisfaciendum pro peccatis, & nedum adæquasse, sed longius excessisse delicta nostra; imò sufficientia fuisse pro infinitis hominibus redimendis, si tot ab Adamo propagati fuissent, & consequenter valorem quemdam infinitum habuisse, tum ad merendum, tum ad satisfaciendum; sic enim sonant illa verba Ioann. Epist. 1. cap. 2. *Ipsè est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi,* & similiter alia loca Scripturarum, Patrum, & Conciliorum, quæ hanc vniuersalem, & amplam Christi redemptionem exaggerant; non enim limitari potest quoad sufficientiam ad certum numerum peccatorum, aut peccantium; & idè ab omnibus eius meritum, & satisfactio ponenda sunt infinita.

4 Vnde quæstio non est de re, sed de modo, vnde hæc sufficientia infinita meritorum, & satisfactionis Christi proveniat; an, nimirum, infinitus hic valor operum Christi ad merendum, & satisfaciendum pro nobis, proveniat ab intrinseco, ita, quod ex propria ratione formali opera Christi sint infiniti valoris ob infinitam dignitatē personæ Christi; An verò hic infinitus valor advenerit operibus eius ab extrinseco, scilicet, ex acceptione Divina ex quadā congruitate Divini suppositi, qua ratione dici debeant infiniti valoris secundum quid tantum, non verò simpliciter.

Nec placet distinctio ab aliquibus tradita de merito in ratione meriti, & in ratione valoris. Quod ostenditur primò: nam meritum tam in ratione valoris, quam in ratione meriti, dicit ordinem ad præmium: ergo quod affirmatur, vel negatur de vno, pari ratione affirmari, vel negari debet de altero. Antecedens pro prima parte fatetur ab Authoribus, talem distinctionem tribuentibus. Pro secunda autem patet ex ipsorum declaratione: nam cum dicunt: meritum esse simpliciter infinitum, importare, quod sit tale, vt non possit aliud maius meritum excogitari, hoc idem omnino est, & prorsus coincidit cum alio distinctionis membro, scilicet, meritum habere valorem simpliciter infinitum, importare, quod sit tale, vt habeat valorem ad quodcumque præmium excogitabile, vt ex ipsis terminis constat.

Ostenditur secundò: quia meritum dicitur tale, nedum penès bonitatem moralem ipsius operis, sed etiam penès totum illud, quod ad præmium causandum concurrat, siquidem meritum in tantum dicitur tale, in quantum est causativum præmij eo modo, quo medium respectu finis; idèdque, quod intrat rationem illius causalitatis, verè meritum erit, & rationem meriti habebit; sed meritum eo modo ad præmium concurrat, nedum per bonitatem moralem operi intrinsecam, sed etiam per valorem, quod recipit à persona; nam præmium illud malus, quod ratione personæ tribuitur, utique causatur à conditione, & dignitate personæ: ergo à primò ad vltimum male configitur discrimen illud inter meritum, & valorem moralem operis.

In nullo ex dictis ab Ill. Godoy discimus, & quia in dictis convenimus, opus non est, vt nos faciamus divisionem conclusionum, quam ipse facit, scilicet, de merito in ratione valoris vnam, & alteram de merito in ratione meriti, cuius ratio est evidens: nam ex valore, & condignitate meriti infert Ill. Godoy n. 92. quantitatem meriti in ratione meriti, nec aliam rationem adducit ad tuendam in merito in ratione meriti infinitatem simpliciter, vt claret ex ab ipso traditis §. 5. vbi conclusionem de merito in ratione meriti statuit. Cum

§
Distinctio
de merito
in ratione
meriti, & in
ratione va-
loris displi-
cet.

Primò.

Secundò.

6
Sensus dif-
ficultatis à
nobis trac-
tandæ de-
claratur.

igitur idem dicat Ill. Godoy de merito in ratione valoris, & in ratione meriti indivisum de illo agemus in presenti difficultate.

Qua in re, relicta aliorum opinione, duplex ex diametro versatur sententia. Prima defendit, operationes Christi, & in ratione valoris, & in ratione meriti, fuisse infinitas simpliciter. Sic Ill. Godoy *num. 14. & 91. cum omnibus, quos citat num. 13. qui indifferenter de merito, & satisfactione Christi loquentes, docent: fuisse in linea moris simpliciter infinitas. Secunda per oppositum affirmat: operationes Christi, nec in ratione valoris, nec in ratione meriti, fuisse in linea moris simpliciter infinitas, sed tantum secundum quid. Ita Scotus in 3. dist. 19. §. contra hunc modum. Et §. quantum ad sufficientiam. Et in 4. dist. 15. §. De secundo dicitur. Cū quo & ego.*

§. II.

Meritum Christi non esse simpliciter infinitum, defenditur.

Prima conclusio: *Meritum Christi Domini non fuit simpliciter infinitum.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *cit.* qui probationes, quibus *tom. 1. in 3. part. disput. 3.* probare conatus fuit, Christi satisfactionem fuisse valoris simpliciter infiniti, repetit in presenti, ad ostendendum: meritum Christi esse valoris simpliciter infiniti. Conclusio tamen est sententia, quam habet Doctor *cit.* qui §. *quantum ad sufficientiam*, eam expressè docet, dicens: *Dico, quod meritum Christi fuit finitum, quia à principio finito essentialiter dependens, etiam accipiendo ipsum cum omnibus respectibus, sive cum respectu ad suppositum Verbi, sive cum respectu ad finem, quia omnes respectus isti erant finiti, & idò quomodocumque circumstantionatum finitum erat.* Et in 4. *cit.* ait: *Passio Christi fuit bonum finitum, etiam accepta secundum totam rationem meriti in ea.* Pro cuius probatione nobis licet dicta repetere, vestigia Ill. Godoy sequentes.

Et omiſſis aliquorum Scotitarum rationibus, quas adducit, & non probare, ostendit Maſtrius in *presenti disp. 3. quest. 8. num. 288. cum sequentibus.* Probatur primò conclusio: quando ad vnum effectum plura concurrunt, licet vnum sit infinitum, si alia sunt finita, effectus non est simplici-

ter infinitus; sed ad meritum Christi plura concurrunt, quæ finita sunt, nempe, voluntas creata, gratia habitualis, obiectum, & alia: ergo etsi ad illum concurrat dignitas personæ Verbi, quæ infinita est; non erit meritum simpliciter infinitum. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur primò ratione: quando ad vnum effectum plura concurrunt, licet vnum sit infinitum, si alia sunt finita, effectus limitatur à principijs finitis: ergo, &c. Probatur antecedens regula illa generali: *Bonum ex integra causa; malum ex quocumque defectu*, quæ in phisicis, & præsertim in moralibus, est certissima: ergo, &c.

Probatur secundò prædicta maior paritatibus: Pœna infinita, quoad durationem, & finita quoad intentionem, non est simpliciter infinita in genere pœnæ, sed secundum quid. Item: corpus infinite extensum quoad vnam tantum dimensionem, v.g. longitudinem, non est simpliciter infinitum in genere quantitatis, sed tantum secundum quid. Atqui hoc idè est, quia limitantur à principijs finitis: ergo, &c. Probatur tertio paritate peccati mortalis: peccatum in ratione offensæ non est simpliciter infinitum, estò persona offensa sit infinitæ dignitatis, quia limitatur ab alijs principijs, à quibus dependet, vt *tom. 1. in 3. sent. disput. 1.* monstravimus: ergo quando ad vnum effectum plura concurrunt, licet vnum sit infinitum, si alia sunt finita, effectus non est simpliciter infinitus.

Hanc probationem in presenti non adducit Ill. Godoy, illam tamen tradit *tom. 1. in 3. part. disp. 3. num. 26.* vbi respondet distinguendo maiorem: si pars infinita ingrediens constitutionem, eminenter partes finitas contineat negat maiorem; si non continet illas eminenter transeat maior, & sub eadè distinctione minoris, negat consequentiam; nam valor à persona Verbi sumptus, eminenter continet alios valores, qui in actu meritorio Christi sumuntur ex alijs capitibus.

Dupliciter hoc comprobatur Ill. Godoy. Primò: hoc complexum: *Deus homo*, est simpliciter infinitum, etsi humanitas sit quid finitum; quia Deus, ex quo simul cum humanitate coalescit, eminenter continet illam.

7
1. Sententia.
Ill. Godoy.

2. Sententia.
Scotus.

8
1. Conclusio

9

Probat. 1.
conclusio.

Maiorem
probat. 1.

10
Probat. 2.

Probat. 3.

11
Respondet
Ill. Godoy.

12
Dupliciter
comprobat.

Similiter : ergo meritum Christi erit valoris meritorij simpliciter infiniti, quia valor personalis eminenter continet valores ex alijs capitibus sumptis. Secundò : quia si vnum ex componentibus est infinitum simpliciter, non potest ex consortio alterius componentis finiri suam amittere infinitatem, nec illam constituto à se non præstare: ergo quando pars infinita ingrediens constitutionem eminenter continet partes finitas, effectus erit simpliciter infinitus.

13

*Impugn. 1.
responsio hæc*

*Antecedens
probat. 1.*

Probat. 2.

Hæc tamen solutio impugnatur primò: quod pars infinita contineat eminenter eminentia æquivalentiæ (de hæc enim loquitur Ill. Godoy, vt ait *num. 28 disp. 3. tom. 1. in 3. part.*) partes finitas, non obest, vt effectus non sit simpliciter infinitus, si ad illum finita concurrant: ergo ruit solutio illius. Antecedens probatur primò: Deus, vt potè, infinitus, continet eminenter eminentia æquivalentiæ creaturam; sed non ob hoc effectus à Deo, & creatura productus, est simpliciter infinitus: ergo, &c. Probatur secundò ad hominem contra ipsum: supernaturale continet eminenter eminentia æquivalentiæ naturales; sed non ob hoc effectus ab vtroque productus, est supernaturalis: ergo similiter. Minor est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. part. disp. 16. asserentis: intellectum non esse principium proximum visionis; quia visio esset naturalis. Maior, & consequentia tenent.*

14

Probat. 3.

Probatur tertio dictum antecedens: partes ingredientem constitutionem Christi sunt suppositum Divinum, & humanitas, ex quibus suppositum Divinum continet eminenter eminentia æquivalentiæ humanitatem; sed non ob hoc Christus est infinitus, immortalis, impassibilis, & temporaliter ingenuus: ergo, &c. Ex hoc patet ad comprobationem primam. Nego itaque, quod hoc complexum *Deus homo*, sit simpliciter infinitum, vt claret in hoc composito *Christus*, vt diximus. Vel hoc admissio respondeo: exemplum non esse ad rem, quia hic non loquimur de complexo ex infinito, & finito, sed de ipso actu meritorio in se; An scilicet, ex eo, quod proveniat à supposito dignitatis infinitæ, sit intrinsicè infiniti valoris. Ad secundam probationem nego antecedens quoad secundam

partem, vt claret in exemplo posito de Christo, & in adductis *n. 10. & 13.*

Impugnatur secundò eadem solutio: ad hoc vt meritum sit in genere meriti simpliciter infinitum, requiritur, quod omnia principia ipsum causantia sint infinita: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò, vt poena in genere poenæ, corpus in genere quantitatis, visio in ratione visionis, & Christus in ratione Christi, habeant infinitatem simpliciter, requiritur, quod omnia principia ad ipsa concurrentia sint infinita, vt ex dictis, & ex terminis claret: ergo, &c.

Probatur secundò idem antecedens: magis requiritur ad meritum simpliciter infinitum, quam ad meritum secundum quid infinitum; sed ad istum requiritur saltim vnū principium infinitum: ergo plus ad illum requiritur: ergo quando ad meritum plura concurrunt, licet vnum sit infinitum, si alia sunt finita, meritum non erit simpliciter infinitum: ergo vera est maxima illa nostræ probationis, scilicet, quando ad vnum effectum plura concurrunt, licet vnum sit infinitum, si alia sunt finita, effectus non est simpliciter infinitus: ergo solutio Ill. Godoy nec obest, nec facit ad rem.

Tertio impugnatur prædicta solutio: si continentia eminentialis finiti in infinito redderet effectum simpliciter infinitum, falsum esset dictum axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*; sed hoc nec Ill. Godoy potest asserere: ergo continentia eminentialis, ab ipso pro solutione adducta, vim nostræ probationis non minuit: ergo vera est maxima prædicta.

Quartò impugnatur ad hominem contra Ill. Godoy: adæquata causa meriti Christi est aliquod infinitum, scilicet, persona Verbi, & aliquod finitum, nempe, voluntas humana Christi, gratia habitualis, obiectum, & alia: ergo meritum Christi non est valoris simpliciter infiniti, etiam si finitum contineatur eminenter in infinito. Antecedens est certum, & ab Ill. Godoy in responsione concessum. Consequentia probatur: quod finitum eminenter contineatur in infinito, non tollit, quod adæquata causa meriti Christi sit infinitum, & finitum; sed hoc ipso meri-

15

*Impugn. 2.
responsio.*

*Antecedens
probat. 1.*

16

Secundò.

17

Impugn. 3.

18

Impugn. 4.

tum Christi non est valoris simpliciter infiniti : ergo. Probatur minori : hoc ipso, quod adæquata causa meriti Christi sit infinitum, & finitum, finitum est vna causa meriti Christi; sed hoc ipso, quod finitum sit vna causa meriti Christi, meritum Christi non est valoris simpliciter infiniti : ergo. Probatur minor : hoc ipso, quod finita sit vna causa, nequit effectus evadere infinitus : ergo, &c. Consequentia est legitima.

Antecedens, in quo poterat esse difficultas, docetur ab Ill. Godoy tom. preced. disp. 26. num. 33. ubi hac ratione probat, implicare lumen gloriæ infinite intensum : adæquata causa, ad quam radicaliter consequitur lumen gloriæ, non est gratia habitualis, sed conflatum ex illa, & intellectuali natura, & consequenter, ut lumen evaderet infinitum, utriusque partis causæ radicantis lumen infinitas esset necessaria; nam infinitas effectus ex limitatione cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur; sed implicat natura intellectualis infinita : ergo & lumen gloriæ infinitum. Docetur etiam ab ipso cit. qui pro implicancia visionis infinite intensi assignat hanc rationem: *Cum adæquata eius (nempe visionis) causa sit intellectus, & lumen, intellectus autem infinite perfectionis repugnet.* Hæc Ill. Godoy, & certè nihil clarius pro veritate nostræ probationis, & pro falsitate responsionis illius.

§. III.

Alia Scoti ratione probatur conclusio, & solutio Ill. Godoy rejicitur.

VNum infinitum simpliciter in aliquo genere non est maius alio; sed vnus actus meritorius Christi est maior alio: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur minor: actus charitatis est maior actu humilitatis; charitas enim omnes virtutes excedit : ergo vnus actus meritorius Christi est maior alio.

Ad hanc rationem respondet Ill. Godoy tom. 1. cit. num. 27. veram esse maiorem de maioriata intensiva, secus autem de extensiva; nam hoc complexum *Deus homo*, quid maius est extensivè, quam Deus solus, non verò intensivè, eo, quod humanitas

eminenter continetur in Deo. Quia ergo valor meritorius actui charitatis à Christo elicitò ex objecto conveniens continetur eminenter in valore actus humilitatis Christi, sumpto à persona operante, consequens sit, quod actus charitatis à Christo media humanitate elicitus extensivè solum excedat actum humilitatis, non autem intensivè.

Hæc Ill. Godoy solutio (exemplo de complexo, *Deus homo*, omisso, quia reiectum manet num. 14.) rejicitur primò: vnus actus meritorius Christi est maior alio intensivè: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur antecedens primò: si vnus actus meritorius Christi non esset maior alio intensivè, Christus non plus mereretur omnibus suis actibus, quam vno actu singulari; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor: totum est maius sua parte: ergo falsum est, quod Christus non plus mereatur omnibus suis actibus, quam vno actu singulari. Probatur secundò idem antecedens: si vnus actus meritorius Christi non esset maior alio intensivè, non magis Christus nos redemisset per suam Passionem, & mortem, quam per quemlibet alium actum suæ vitæ; sed hoc est contra Scripturam, & Patres, ut claret: ergo, &c.

Rejicitur secundò prædicta solutio: valdè diversum est, vnum actum meritorium esse tantum numero distinctum ab alio, ac esse maiorem alio; sed utrumque habet vnus actus meritorius Christi respectu alterius: ergo non solum est numero distinctus ab alio, sed etiam est maior illo. Maior patet; nam esse tantum numero distinctum ab alio, est maioritas extensiva; ac esse maiorem alio, est intensiva maioritas. Probatur minor: actus charitatis respectu actus temperantiæ non solum est numero distinctus ab illo, sed etiam est maior: ergo, &c. Probatur antecedens: maior distinctio reperitur inter actum charitatis, & temperantiæ, ac inter duplicem actum temperantiæ; sed inter duplicem actum temperantiæ solum est distinctio numerica: ergo, &c. Atqui hæc est maioritas intensiva: ergo vnus actus meritorius Christi est maior alio intensivè.

Confirmatur clarissimè, & fortiter: distincta maioritas versatur inter

22
Rejicitur 1
Solutio.

23
Rejicitur 2

24
Confirmatur
fortiter.

19
Antecedens
constans est
ex Ill. God.

20
Probatur 2.
conclusio.

21
Respondet
Ill. Godoy.

actum charitatis, & actum temperantiae, ac inter duplicem actum temperantiae; sed inter duplicem actum temperantiae solum versatur maiortas extensiva: ergo inter actum temperantiae, & charitatis versatur maiortas intensiva: ergo actus charitatis est maior intensivè actu temperantiae: ergo vnus actus meritorius Christi est maior alio intensivè: ergo nulla est solutio.

Dices tamen cum Ill. Godoy: vnum actum meritorium Christi esse maiorem alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circumstantijs; non verò ratione valoris desumpti ex persona operante. Quam doctrinam expressè tradit tom. 1. in 3. part. disp. 1. num. 139. his verbis: *Quia namque valor personalis à Verbi persona desumitur, & hæc infinita est, & se ipsa valor at operationes Christi, est equalis in omnibus Christi operationibus, et si valor illius competens ex obiecto, & alijs circumstantijs sit inæqualis iuxta inæqualitatem bonitatis actuum.* Sic Ill. Godoy. Nunc autem in ipsum.

Contra primò: iuxta hanc solutionem vnus actus meritorius Christi in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circumstantijs: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur consequentia: si actus Christi meritorij essent in ratione valoris simpliciter infiniti, vnus actus meritorius Christi in ratione valoris non esset maior alio intensivè; sed iuxta solutionem vnus actus meritorius Christi in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circumstantijs: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur maior: si actus meritorij Christi essent in ratione valoris simpliciter infiniti, illa infinitas, quam in ratione valoris haberent actus meritorij Christi, deberet auferre ab illis omnem maiortatem, & minoritatem in ratione valoris: ergo, &c. Probatur antecedens; si substantia, quæ nunc finita est in esse entis, elevaretur ad esse simpliciter infinitam in esse entis, nihil finitum in esse entis in ea remaneret: ergo similiter.

Contra secundò: iuxta prædictam solutionem vnus actus meritorius Christi in ratione valoris est maior

alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circumstantijs: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum in genere moris. Probatur consequentia: repugnat, quod meritum Christi sit simpliciter infinitum in genere moris, & quod vnus actus meritorius sit maior alio in genere moris, atqui semel concessio, quod vnus actus Christi meritorius sit maior alio in ratione valoris intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circumstantijs, vnus actus meritorius est maior alio in genere moris: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum in genere moris. Consequentia legitime infertur ex præmissis. Ex his autem minor est certa; nam valor actus meritorij est quid morale. Maior verò probatur: repugnat, quod meritum Christi sit simpliciter infinitum in genere moris, & quod vnus actus meritorius sit maior alio intensivè in eodem genere; sed si vnus actus meritorius in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & circumstantijs, vnus actus meritorius est maior alio intensivè in eodem genere: ergo, &c. Maior, & consequentia tenent. Minor probatur: maiortas, & minoritas intensiva in ratione valoris in actibus meritorijs, est maiortas, & minoritas illorum actuum in genere moris: ergo, &c.

Contra tertio: vel tota collectio operationum Christi in linea meriti est intensivè maior vnica operatione meritoria, vel non? Si primò: ergo nullum meritum Christi operativum est simpliciter infinitum; quia vnum infinitum intensivè nequit ab infinito intensivè excedi. Si secundò: arguo primò: ergo falsum est hoc principium: *Totum est maius sua parte.* Probatur hæc consequentia: tota collectio operationum Christi in linea meriti est totum, & vnica operatio meriti est pars; sed iuxta concessa tota collectio operationum Christi in linea meriti non est intensivè maior vnica operatione meritoria: ergo falsum est hoc principium: *Totum est maius sua parte.* Arguo secundò: tota collectio operationum Christi in linea meriti est maior intensivè vnica operatione meritoria: ergo falsè hoc negatur. Probatur antecedens: tota

25

Dices cum Ill. Godoy.

26

Contra 1.

27

Contra 2.

28

Contra 3.

collectio operationum Christi in linea meriti est maior extensivè vnica operatione meritoria: ergo etiam intensivè est maior. Probatur consequentia: idè tota collectio operationum Christi in linea meriti est maior extensivè vnica operatione meritoria, quia excedit in multitudine; sed etiam excedit in intensione: ergo, &c. Probatur minor: quælibet pars illius multitudinis habet suam particularem intensiorem; sed tota collectio operationum Christi in linea meriti excedit in multitudine vnica operationem meritoriam: ergo etiam excedit in intensione.

§. IV.

Alie probationes pro Scotica conclusione assignantur.

29
Probat. 3.
conclusio.

Probatur tertio conclusio: personalitas Verbi increata, potens de se reddere naturam infinitè subsistentem, limitatur in humanitate assumpta, ne illam reddat infinitè subsistentem; & Divina essentia potens de se, vt species, vniri cum intellectu modo infinito ad infinitè videndum, limitatur in intellectu beati, ne illum constituat infinitè videntem: ergo pariter: persona Verbi, potens de se dignificare, & valorare infinitè operationes, limitatur in humanitate Christi, ne illius operationes infinitè dignificet, & valoret. Probatur consequentia: idè personalitas Verbi increata limitatur in humanitate assumpta, ne reddat illam infinitè subsistentem, quia humanitas finita est, & idè essentia Divina limitatur in intellectu beati, ne illum reddat infinitè videntem, quia intellectus beati finitus est; atqui humanitas Christi finita est: ergo, &c.

30
Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 35. negando paritatem ob duplicem rationem. Prima est: nam subsistentia Verbi vnitur humanitati, substituendo vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis, quia illam continet eminentè, idèque non constituit illam subsistentem, ita perfectè, ac subsistentem redderet naturam Angelicam; quia subsistentia naturæ Angelicæ, cuius vices gereret subsistentia Verbi, si naturam Angelicam redderet subsistentem, perfectior est subsistentia propria humanitatis; & inde fit, vt humanitas,

etsi per infinitam subsistentiam subsistat, non dicitur subsistere infinitè per illam. Divina etiam essentia vnita per modum speciei gerit vices obiectioni determinantis ex parte principij, & vnitur, non dando virtutem, sed illà in intellectu supponendo; vnde commensurari debet cum virtute principij proximi effectivi, & quia hæc finita est in intellectu creato, nequit essentia Divina, vt species, illum constituere potentem infinitè videre, nec cum illo ad intellectionem infinitam concurrere. Quæ rationes in persona Verbi, vt valorante actus humanitatis non militant; non enim valorat illos, substituendo vices valoris finiti, nec vnitur, vt comprincipium, non dans, sed supponens virtutem, sed vt adæquata forma dignificans, & valorans in ordine ad satisfaciendum, & merendum; idèque non limitatur ex limitatione phisica actuum, vt illis infinitè præstet valorem, eosque infinitè valorosos constituat.

Hæc solutio displicet primò: personalitas Verbi increata reddit humanitatem subsistentem, quia eminentè continet subsistentiam creatam humanitatis: ergo vel personalitas Verbi increata reddit humanitatem infinitè subsistentem, vel persona Verbi non valorat infinitè operationes Christi. Probatur consequentia: iuxta doctrinam Ill. Godoy disput. citat. numer. 20. idè persona Verbi valorat infinitè operationes Christi, quia quando pars infinita ingrediens constitutionem continet eminentè partes finitas, effectus est simpliciter infinitus; sed personalitas Verbi increata ingrediens constitutionem personæ Christi, continet eminentè personalitatem creatam: ergo, &c. Nec facit ad rem, quod personalitas Verbi perfectiori modo personaret naturam Angelicam, si illam assumeret. Tùm, quia æquè de vtraque probat ratio. Tùm etiam, quia idem argumentum fit de natura Angelica in dicto casu, quam nunquam personalitas Verbi increata redderet infinitè subsistentem.

31
Solutio hæc
displicet 1.

Displicet secundo: nam sicut personalitas Verbi increata reddit humanitatem subsistentem, substituendo vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis; ita persona Verbi valorat operationes humanitatis, substituendo vices personæ creatæ propria

32
Displicet 2.

humanitatis : ergo nullum est discrimen. Probat^{ur} antecedens: ideo personalitas Verbi increata substituit vices substantiæ creatæ propriæ humanitatis, quia reddit humanitatem substantentem loco substantiæ creatæ; sed etiam persona Verbi valorat operationes humanitatis loco personæ creatæ: ergo, &c.

33
Displicet 3.

Displicet tertio: quod operationes Christi satisfactoriæ accipiant maiorem valorem à persona Verbi, quàm acciperent à persona creata propria humanitatis, non tollit, quod personalitas Verbi increata substituat in valorando vices personæ creatæ: ergo sicut personalitas Verbi increata reddit humanitatem substantentem, substituendo vices substantiæ creatæ propriæ humanitatis, ita persona Verbi valorat operationes humanitatis, substituendo vices personæ creatæ propriæ humanitatis: ergo ruit datum discrimen. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem ex antecedenti. Antecedens verò probatur: quod humanitas Christi perfectiori modo subleuat per substantiam Verbi increatam, quam per substantiam creatam propriam humanitatis subsisteret, non tollit, quod substantia Verbi increata in substituendo substituat vices substantiæ creatæ: ergo, &c.

34
Displicet 4.

Displicet quarto: nam quod essentia Divina vnita per modum speciei gerat vices obiecti determinantis ex parte principij, & vniatur, non dando virtutem, sed illam supponendo, non tollit vim paritatis supra positæ: ergo nulla est disparitas. Probat^{ur} antecedens: quod essentia Divina vnita per modum speciei gerat vices obiecti determinantis ex parte principij, & vniatur, non dando virtutem, sed illam supponendo, non tollit, quod essentia Divina sit infinita in ratione obiecti, nec quod activè concurrat ad visionem: ergo nec tollit vim paritatis supra positæ. Antecedens est certum pro prima parte, & etiam pro secunda; nam ab obiecto, & potentia paritur notitia, ex D. Augustino. Consequentia probatur: etiam persona Verbi valorat actus humanitatis, substituendo vices personæ creatæ, & supponendo virtutem in humanitate: ergo, &c. Antecedens pro prima parte probatum manet ex proximè dictis. Pro secunda patet: quia non omnis

valor actus satisfactorij oritur ex sola persona, sed etiam ex alijs circumstantijs, scilicet, ex intensione, libertate, duratione, loco, obiecto, & alijs: ergo supponit virtutem in humanitate. Tenet ergo paritas ad intentum tradita.

Secunda ratio differentiæ traditur ab eodem *disput. citat. & num. citat.* & est, quod substantia vnitur humanitati, & Divina essentia, vt species, mentibus Beatorum modo phisicè finito, ideoque limitantur à subtractis quoad influxum suum formalem, ne illis præbeant infinitum effectum formalem: persona autem Verbi, vt forma, vnitur actibus meritorijs modo infinito moralitèr, ideoque non limitatur ab illis quoad influxum formalem valoris, nec impeditur, vt illos infinite meritorios constituat. Hæc tamen disparitas petit principium, & falsum asserit; nam falsum est, quod Verbi persona, vt forma, vniatur actibus meritorijs modo infinito moralitèr, vt conitatur ex probationibus adductis, & magis ex adducendis constabit, simulque ex solutione argumentorum; sicut enim Ill. Godoy promittit *infra* declarare, ita nos, vbi id declaret, declarare oppositum promittimus, & vt promissum statim adimpleamus.

35
2. Disparit.
Ill. Godoy.

Hæc etiam
disparitas
displicet.

Probat^{ur} quarto conclusio: vt subiectum a forma recipiat infinitatem, non sufficit infinitas formæ, sed insuper est necessarium, vt infinito modo vniatur cum illa; vnde, quia intellectus beati non vnitur cum essentia Dei, vt specie, modo infinito, quamvis essentia vnita infinita sit, non determinatur per illam, nec potens constituitur ad videnda obiecta infinita; & quia natura humana à Verbo hypotatticè assumpta modo finito vnitur substantiæ Verbi, non redditur per illam substantens infinite, quamvis substantia Verbi, cui vnitur, sit infinita; sed actus meritorij à Christo media humanitate elicit non vniuntur personæ Verbi modo infinito, sed finito, cum modus visionis prædictorum actuum cum Verbo non sit alius à modo, quo humanitas eidem Verbo vnitur, qui modus finitus, & limitatus est: ergo quamvis persona Verbi operans, & merens infinita sit, & se ipsa, vt forma, det actibus meritorijs dignitatem, non dat illis dignitatem infinitam, nec infinitum valorem.

36
Probat. 4.
conclusio.

37
1. Solutio
Ill. Godoy.

Tripliciter respondet Ill. Godoy *disput. citat. num. 51.* ad hanc rationem. Primum: quod ut forma non limitetur à modo vnionis, sufficit, modum illud infinitum esse moraliter, non ratione moralitatis sibi identificatae, sed ratione valoris sumpti à persona, quam vnit, ut forma; nam eo ipso, quod vnio sit infinite estimabilis, obstare non potest, ut actui, cui persona vnitur, ut forma, prætet æstimabilitatem infinitam. Hac autem ratione vnionem operationum cum supposito Verbi infinitam esse moraliter non negat; si namque actibus vnitis dat infinitum valorem, etiam vnioni illorum dabit, quod infinite æstimetur, sicut Verbum humanitati vniri, infinite æstimatur. Sed contra: personalitas Verbi vnitur, ut forma, humanitati, per illam namque redditur formaliter subsistens; sed non vnitur modo infinito: ergo quod persona Verbi, ut forma valorans, vnatur actibus meritorijs, non infert, ut modo infinito vnatur.

Contra.

38
2. Solutio.

Secundò respondet: quod licet vnio personæ, ut valorantis actus, sit finita, ut *quod*; est tamen infinita, ut *quo*, quia vnit formam infinitam cum illis summo modo possibili. Contra: nam hac ratione potest etiam dici, quod licet vnio personæ Verbi cum humanitate sit finita, ut *quod*, etiam erit infinita, ut *quo*, quia vnit formam infinitam cum illa summo modo possibili, quod dici nequit: ruit ergo solutio.

Contra.

39
3. Solutio.

Respondet tertio: quod sicut forma infinita non limitatur ex limitatione subtracti, quia cum non sit physice intrinseca, non recipitur ad modum recipientis; sed ad modum proprium, nec educitur ex potentia subiecti; ita similiter non limitatur ex modo vnionis finito. Contra: hæc solutio probat manifestè, subsistentiam Verbi vniri modo infinito humanitati; sed hoc subitineri nequit: ergo nec solutio. Probat maior: ideo iuxta solutionem forma infinita non limitatur ex limitatione subtracti, & consequenter nec ex modo vnionis finito, quia nec intrinsece in illo recipitur, nec de illius potentia educitur; atqui subsistentia Verbi nec intrinsece in humanitate recipitur, nec ex eius potentia educitur, ut est certum, & concedit Ill. Godoy *num. 35. disput. citat.*

Contra.

ergo solutio hæc probat manifestè, subsistentiam Verbi vniri modo infinito humanitati.

Triples denique solutio refellitur: iuxta triplicem allatam solutionem modus finitus vnionis non tollit, quod persona Verbi; ut forma in genere valoris meritorij, vnatur cum operationibus Christi modo infinito: ergo nec modus essendi ab alio vnionis tollit, quod persona Verbi, ut forma in genere valoris meritorij, vnatur cum operationibus Christi modo à se, & per essentiam. Atqui hoc est falsum: ergo falsa est triplex allata solutio Ill. Godoy. Probat prima consequentia: æquè distat, & æquè opponitur modus essendi ab alio à modo essendi à se, & per essentiam, ac modus finitus à modo infinito; sed iuxta triplicem allatam responsionem modus finitus vnionis non tollit, quod persona Verbi, ut forma in genere valoris meritorij, vnatur cum operationibus Christi modo infinito: ergo, &c.

40
Triplex solutio Ill. Godoy refellitur.

Probatur quintò conclusio: si Deus esset capax merendi in se ipso, illius meritum esset maioris valoris meritorij, quam meritum Christi, ut potè, cum illi valor meritorius à se, & per essentiam competteret; merito autem Christi non à se, & per essentiam, sed per communicationem conueniat: ergo meritum Christi non est valoris simpliciter infiniti. Probatur consequentia: illud namque est simpliciter infinitum in linea valoris meritorij, quo maius in tali linea, nec dari, nec concipi potest: ergo si in hypotesi facta aliquid concipitur maius merito Christi in valore meritorio, meritum Christi non est valoris meritorij simpliciter infiniti.

41
Probat. 5. conclusio.

Respondet Ill. Godoy *disput. citat. num. 53.* in illa hypotesi actus Dei meritorios fore perfectiores in genere physico, & in bonitate morali, quia forent sub vtraque ratione infinitis; actus autem Christi physice finiti sunt, & etiam in bonitate morali: quoad valorem autem meritorium fore perfectiores in modo habendi illum, quia merita Dei à se, & per essentiam valorem meritorium haberent; opera autem Christi non à se, & per essentiam, sed per communicationem, & ab alio illum habent. Vnde in forma respondet: concessio antecedenti ne-

42
Respondet Ill. Godoy.

gando consequentiam, ad cuius probationem dicit: de ratione meriti infiniti valoris non per essentiam, sed per communicationem non esse, quod non excedatur à merito valoris infiniti per essentiam, sed solum, quod non excedatur à merito infiniti valoris infinitate sui generis, scilicet, per communicationem.

43
Reijcitur 1

Hæc solutio esse videtur contra id, quod dicitur in phisica de impossibilitate infiniti simpliciter, quam opinionem amplectitur hic Doctor; omnes namque, qui negant possibilitatem infiniti simpliciter per communicationem, idè negant, quia si daretur, arguitivè inferunt: esse infinitum per essentiam. Vnde hac opinione itante, qui tenent: meritum Christi esse simpliciter infinitum per communicationem, tenentur arguitivè inferre: esse infinitum per essentiam, & consequenter meritum Dei, data hypotesi, non esse maioris valoris meritorij, quam meritum Christi, per quod ruit solutio data. Cæterum ab hoc præscindendo.

44
Reijcitur 2

Reijcitur secundò allata solutio: si Deus esset capax merendi in se ipso, vltra maioritatem proveniente à modo habendi formam dignificantem, & valorantem, scilicet, à se, & per essentiam; meritum Dei esset maioris valoris meritorij, quam meritum Christi: ergo meritum Christi non est valoris simpliciter infiniti: ruit ergo dicta solutio. Probat. antecedens: vltra maioritatem proveniente à modo habendi formam dignificantem, & valorantem, omnia principia causantia meritum Dei in data hypotesi essent infinita; sed omnia principia causantia meritum Christi non sunt infinita: ergo. Præmissæ sunt certæ. Consequentia probatur: meritum causatum ab omnibus principijs infinitis, est maioris valoris, quam meritum non causatum ab omnibus principijs infinitis; sed iuxta concessa omnia principia causantia meritum Dei essent infinita; non verò omnia principia causantia meritum Christi: ergo in data hypotesi meritum Dei esset maioris valoris meritorij, quam meritum Christi. Minor, & consequentia tenent. Maior autem probabitur sequenti impugnatione.

45
Reijcitur 3

Reijcitur tertio: de ratione meriti simpliciter infiniti per communica-

tionem est, quod non excedatur à merito infiniti valoris infinitate sui generis, scilicet, per communicationem; sed potest concipi meritum maioris valoris per communicationem, quam meritum de facto à Christo elicatum: ergo meritum à Christo elicatum de facto non est valoris simpliciter infiniti per communicationem. Maior est solutio tradita. Consequentia est evidens. Minor probatur: si omnia principia causantia meritum Christi essent infinita, hoc meritum esset maioris valoris per communicationem, quam meritum à Christo elicatum: ergo. Antecedens probatur primò: quia data hypotesi nihil esset, à quo possit limitari meritum. Secundò: quia in tali casu nullus dubitaret: meritum esse simpliciter infinitum. Tertio: quia iuxta doctrinam Ill. Godoy *disput. citat. num. 53.* meritum Dei (si capax esset merendi) esset maioris valoris, quam meritum Christi, ex modo habendi illum; nam Deus illud haberet à se, & per essentiam; non verò Christus: ergo etiam esset maioris valoris eo, quod procederet à principijs omnibus infinitis; haberet namque valorem ex ipsis principijs. Verum igitur est antecedens.

Ex quo vterius sequitur manifestè: meritum Christi non esse valoris simpliciter infiniti, quod sic ostendo, & est specialis probatio nostræ conclusionis: si omnia principia causantia meritum Christi essent infinita, hoc meritum esset maioris valoris, quam meritum de facto à Christo elicatum: ergo meritum Christi non est valoris simpliciter infiniti. Antecedens tripliciter manet probatum *numer. anteced.* Consequentia verò probatur: illud est simpliciter infinitum in linea meriti, quo maius in tali linea nec dari, nec concipi potest; sed in data hypotesi daretur meritum maioris valoris, quam meritum de facto à Christo elicatum: ergo. Nec locum habet recursus de intensione, & extensione; quia argumentum procedit de maiori intensiva; nam de hac loquitur Ill. Godoy in paritate de merito Dei *citat.* quam possui pro quinta probatione nostræ conclusionis, & de eadem loquitur in præseni.

Probat. septimò conclusio; si meritum Christi est simpliciter infinitum, plus potuit Christus mereri,

46
Probat. 6.
conclusio.

47
Probat. 7.
conclusio.

quam

quam Deus potuit præmiare; sed hoc est absurdum: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum. Falsitas minoris constat primo: nam ex possibilitate præmij, sequitur possibilitas meriti. Secundo: quia inter præmium, & meritum est necessaria proportio. Tertio: quia potentia Christi ad satisfaciendum non est maior potentia Dei ad producendum. Maior probatur: meritum infinitum simpliciter nequit habere æquale præmium, nisi sit etiam simpliciter infinitum; sed hoc Deus conferre nequit, quia nequit conferre infinitam gratiam, vel gloriam: ergo, &c.

Hanc rationem tradit Ill. Godoy *disput. citat. num. 59.* pro corollario, negatque maiorem; nam si loquatur de merito, ut in actu secundo inducente obligationem, non extenditur magis meritum Christi in merendo, quam Omnipotentia in producendo; nam omne, quod Christus suis meritis meruit de facto, Deus per Omnipotentiam de facto produxit. Si verò loquatur de vi meritoria operationis Christi, prout in actu primo, Omnipotentia limites non excedit, cum utriusque virtus extendatur vsque in infinitum syncategorematicè, & neutrius vis infinitum categorematicè attingat.

Impugnatur primò solutio: innegabile est iuxta Ill. God. quod Christus facere potuit, imò, & fecit meritum simpliciter infinitum; sed Deus non potest facere præmium creatum simpliciter infinitum: ergo innegabile est, quod plus potuit Christus mereri, quam Deus potest præmiare: ergo ruit solutio. Secundo impugnatur: Christus potuit simul, & semel mereri omnia præmia possibilis in infinitum; sed Deus nequit omnia illa præmia simul producere, sed solum successivè: ergo plus potuit Christus mereri, quam Deus præmiare.

Tertio impugnatur: Deus potuit plus præmiare, quam Christus potuit mereri: ergo sive loquatur de merito, ut in actu primo, sive ut in actu secundo, meritum Christi in ratione meriti, non fuit simpliciter infinitum. Consequentia patet: quia nullum potest dari præmium excedens meritum infinitum: ergo ex excessu Dei in ratione præmiantis, seu ex excessu præmij ex parte Dei, infertur, meritum

Christi in ratione meriti, non esse simpliciter infinitum. Antecedens verò probatur primò: nam maior perfectio tribuenda est Deo, quam Christo: ergo Deus potuit plus præmiare, quam Christus potuit mereri. Secundo: nam si opera Christi sunt re vera Theandrica; opera Dei sunt Divina: ergo, &c.

§. V.

Specialibus rationibus probatur nostra conclusio.

Specialiter primò probatur nostra conclusio, ad hominem contra Ill. Godoy: Infinitas effectus ex limitatione cuiusvis causæ, à qua dependet, impeditur; sed valor meriti Christi est effectus: ergo ex limitatione cuiusvis causæ, à qua dependeat, impeditur infinitas illius. Atqui dependet à causa limitata, scilicet, voluntate humana Christi, gratia habituali, & obiecto: ergo ex limitatione huius causæ, à qua dependet, impeditur infinitas valoris meriti Christi: ergo valor meriti Christi non est simpliciter infinitus. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior autem est expressa Ill. Godoy *tom. precedent. disput. 26. num. 18.* Nec video, quid respondere possit, quod insequens non sit ad ea, quæ habet *disput. 26. citat.*

Secundo specialiter probatur nostra conclusio, ad hominem etiam contra Ill. Godoy: meritum Christi in ratione valoris, desumpti ex obiecto, & alijs circumstantijs, est finitum: ergo meritum Christi in ratione valoris non est simpliciter infinitum, licet infinitum sit in ratione valoris desumpti ex persona Verbi. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disput. 1. num. 139.* cuius verba transcripsimus *num. 24.* Consequentia probatur: meritum finitum in ratione valoris, desumpti ex obiecto, & alijs circumstantijs, & infinitum in ratione valoris, desumpti ex persona Verbi, non est simpliciter infinitum in ratione valoris; sed iuxta concessam meritum Christi in ratione valoris, desumpti ex obiecto, & alijs circumstantijs, est finitum: ergo meritum Christi in ratione valoris non est simpliciter infinitum, licet infinitum sit in ratione valoris desumpti ex persona Verbi. Probatur maior: gratia finita in ratione intensionis, & infinita extensivè

§0
1. Ratio specialis ad homin. contra Ill. Godoy.

§1
2. Ratio specialis ad hominè etiam contra Ill. Godoy.

48
Respondet Ill. Godoy.

49
Impugn. 1. responsio.

Secundo.

Tertio.

in ratione gratiæ, non est simpliciter infinita in ratione gratiæ: ergo pariter. Antecedens est doctrina, quam Ill. Godoy expressè tradit *tom. præcedent. disput. 26. §. 5.* Consequentia paritate videtur certa.

Ad hoc argumentum respondebit Ill. Godoy, quod responsum habet ad argumentum, quod ex hac gratiæ paritate contra ipsum formavimus *tom. 1. in 3. sentent. disput. 1. num. 54.* negando, scilicet, paritatem, cuius disparitas est: nam valor personalis sumptus ex persona Verbi continet eminenter valores ex alijs capitibus sumptos. Quando autem formalitas ex vno capite sumpta, sic continet illas, quæ ex alijs principijs sumuntur, non obstat limitatio istarum denominationi infiniti simpliciter; infinitas autem extensiva gratiæ Christi non continet eminenter intensivam perfectionem gratiæ; & ideo non sufficit ad constituendam simpliciter in ratione gratiæ infinitam, si sit finita intentionis. Hæc tamen responsio eadem est cum illa, quam ex ipso retulimus in præsentibus *num. 11.* & licet satis maneat impugnata per dicta à *numer. 13. usque ad 19.* & etiam per dicta *num. anteced.* præcluditur etiam, aliter probationem formando.

Formatur itaque hoc modo nostra probatio: meritum Christi in ratione bonitatis non est infinitum: ergo dato, quod meritum Christi in ratione valoris habeat aliquam infinitatem; non tamen est simpliciter infinitum in ratione valoris. Antecedens est Ill. Godoy *cit. num. 51.* Consequentia probatur: meritum infinitum in ratione valoris, non tamen in ratione bonitatis, non est in ratione valoris simpliciter infinitum; atqui iuxta concessa meritum Christi in ratione bonitatis non est infinitum: ergo dato, quod meritum Christi in ratione valoris habeat aliquam infinitatem; non tamen est infinitum in ratione valoris. Probatur maior: gratia infinita in ratione gratiæ; non tamen infinita in ratione intentionis, non est in ratione gratiæ simpliciter infinita: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy *tom. præcedent. disput. 26. §. 5.* Consequentia est paritate manifesta, & adhuc probatur: ideo gratia infinita in ratione gratiæ; non tamen infinita in ratione intentionis, non est in ratione gratiæ

simpliciter infinita, quia intentio ad rationem gratiæ pertinet; atqui bonitas ad rationem meriti pertinet: ergo si gratia infinita in ratione gratiæ; non tamen infinita in ratione intentionis, non est in ratione gratiæ simpliciter infinita; meritum infinitum in ratione valoris; non tamen infinitum in ratione bonitatis, non est in ratione valoris simpliciter infinitum. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est Ill. Godoy *tom. præced. disp. 26. num. 57.*

Confirmatur, & vrgetur: ratio, qua probat Ill. Godoy, quod gratia Christi, esto sit phisicè infinita in ratione gratiæ, non tamen est simpliciter infinita, probat evidentè, quod esto meritum Christi in ratione valoris sit infinitum; non tamen est simpliciter infinitum: ergo vel concedere tenetur, gratiam Christi in esse gratiæ, esse simpliciter infinitam, vel negare cogitur, meritum Christi in ratione valoris esse simpliciter infinitum, quorum vtrumque est contra ipsum. Probatur antecedens: ratio, qua probat Ill. Godoy, quod gratia Christi, esto sit phisicè infinita in ratione gratiæ, non tamen est simpliciter infinita, est hæc: *Linea infinita longitudinis; non tamen infinita extensionis, non esset infinita in ratione quantitatis simpliciter; & similiter superficies extensionis infinita, & profunditatis, aut longitudinis finita, simpliciter infinita non esset in ratione quantitatis, eo, quod nulla illarum omnem dimensionem ad genus quantitatis pertinentem contineret; atque hæc ratio probat, quod esto meritum Christi in ratione valoris sit infinitum; non tamen est simpliciter infinitum: ergo ratio, qua probat, quod gratia Christi, esto sit phisicè infinita in ratione gratiæ, non tamen est simpliciter infinita, probat evidentè, quod esto meritum Christi in ratione valoris sit infinitum; non tamen est simpliciter infinitum. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *tom. præced. disp. 26. num. 57.**

Minor vero (supposita maiori syllogismi ipsius) probatur, formando de merito Christi minorem, quam ipse citat. de gratia format, quæ est hæc (*sed gratia Christi, esto sit extensivè infinita; intensivè tamen infinita non est, & intentio ad rationem gratiæ pertinet: ergo non est in ratione gratiæ sim-*

§ 2
Respondet
Ill. Godoy.

Solutio impugnata
manet à numer. 13.

§ 3
Aliter formatur probatio.

§ 4
Confirmat.
& vrgetur
ad homin.
contra Ill.
Godoy.

placitè phisicè infinita.) Atqui meritum Christi, estò sit infinitum in ratione valoris, non tamen est infinitum in ratione bonitatis, & hæc bonitas ad rationem meriti Christi pertinet: ergo non est in ratione valoris simpliciter infinitum: ergo ratio Ill. Godoy æquè probat utrumque.

Specialitè tertio probatur nostra conclusio: humanitas Verbo vnita non sanctificatur infinite ab illo: ergo actus meritorij Christi, media humanitate elicit, non valorantur à persona Verbi infinite simpliciter. Probatur antecedens: humanitas sanctificatur à Verbo per communicationem, & participationem Sanctitatis eius, non identicam, sicut Filio communicatur essentia Patris; sed quasi participativa derivativè, & causativè; sed quod ita sanctificatur, non infinite sanctificatur: ergo humanitas Verbo vnita non sanctificatur infinite ab illo. Probatur minor: quod ita sanctificatur, non sanctificatur in linea sanctitatis per essentiam; sed quod non sanctificatur in linea sanctitatis per essentiam, infinite non sanctificatur: ergo quod ita sanctificatur, non infinite sanctificatur.

Minor probatur primò: quod sanctificatur sanctitate non per essentiam, sanctificatur sanctitate admixta negatione illius, quod habet sanctitas per essentiam; sed quod habet sanctitas per essentiam est infinite esse sanctitas: ergo, &c. Probatur secundò: quod participatur in linea veri, potentia, &c. non est infinite verum, nec infinite potens; sed quod sanctificatur in linea sanctitatis non per essentiam, sanctificatur in linea sanctitatis participatæ: ergo quod non sanctificatur in linea sanctitatis per essentiam, infinite non sanctificatur.

Tertio probatur eadem minor, & occurritur distinctioni de phisico, & morali: quod participatur in linea boni, adhuc moralitè, participatione sic posita, quod non sit bonum moralitè per essentiam, sic participatur, quod non infinite participetur: ergo, &c. Antecedens patet primò: alioquin aliquid creatum posset esse infinite bonum moralitè, quod est falsum. Secundò, & vrgentiùs, ut potè ad hominem: bonitas moralis operationum Christi, quæ participa-

tur in linea boni moralitè, est iuxta Ill. Godoy tom. 1 in 3. part. dis. p. 3. num. 45. & alibi, finita adhuc in genere moris: ergo quod participatur in linea boni adhuc moralitè, participatione sic posita, quod non sit bonum moralitè per essentiam, sic participatur, quod non infinite participetur.

Probatur quartò specialitè nostra conclusio: sicut à sanctitate Christi provenit, esse meritum in Christo; ita à sanctitate infinita Christi provenit, meritum Christi esse infinitum; sed à sanctitate Christi non provenit, sic esse meritum, quod necessario arguatur: *Est in Christo sanctitas: ergo est in Christo meritum:* ergo nec à sanctitate infinita provenit, sic meritum infinitum, quod necessario arguatur: *Est sanctitas infinita in Christo: ergo est meritum simpliciter infinitum.* Consequentia tenet. Minor est certa; nam nunc est in Christo sanctitas, & non est meritum. Maior verò probatur; nam sicut principium, vel causa comparatur cum effectu in re communicata, ita in modo à causa communicatur: ergo, &c.

Dices pro Ill. Godoy esse dispatitatem: quia ad meritum ultra sanctitatem requiritur status composibilis cum ipso, scilicet, via; cum autem sanctitas compatiatur cum statu viae, & Patriæ, & itatus Patriæ sit impeditus meriti; ideo non à sanctitate Christi infinita provenit absolutè, esse meritum in Christo, sed à sanctitate cum statu viae. Contra: ergo nec à sanctitate infinita simpliciter provenit necessario, esse meritum Christi simpliciter infinitum. Probatur consequentia: sicut ad meritum ultra sanctitatem requiritur, quod non coniugatur sanctitas cum circumstantia impediente meritum in ratione essentialitè requisita ad meritum essentialitè; ita ad meritum simpliciter infinitum exigitur, quod sanctitas simpliciter infinita non coniugatur cum circumstantia impediente in merito esse simpliciter infinito; sed sanctitas Christi infinita coniungitur in merito cum circumstantia impediente infinitatem simpliciter in illo magis, quam sanctitas Christi in Patria cum circumstantia impediente, meritum esse: ergo, &c.

Probatur minor: sanctitas Christi infinita coniungitur in merito cum

§ 5
3. Specialis
ratio.

§ 6
Minor probatur. 1.

Secundò.

§ 7
Tertio.

§ 8
4. Specialis
ratio.

§ 9
Dices pro
Ill. Godoy.

60
Prob. min.

aliquo simpliciter finito, scilicet, cum bonitate morali, connatu, elicientia, &c. Sed simpliciter finitum magis impedit, esse meritum simpliciter infinitum, quam status Patriæ impedit, actionem hominis sancti esse meritum: ergo. Probatum minor: magis opponitur simpliciter finitum cum simpliciter infinito; quam actio meritoria cum statu Patriæ: ergo. Probatum antecedens: simpliciter finitum imbibit in se negationem simpliciter infiniti; non verò status patriæ negationem meriti ex se, sed ex Dei dispositione, & beneplacito; sed magis opponitur, quod ex se imbibit negationem oppositi, quam quod ex extrinseca ordinatione non comparatur cum alio: ergo, &c.

61

Si dicas.

Contra 1.

Contra 2.

Si verò pro illo dicas: quod infinitum simpliciter includit eminenter finitum illud, & consequenter dat illi valorem simpliciter infinitum. Contra primò: nam hæc solutio iam à nobis impugnata manet *num. 13. cum seqq.* Contra secundò: etiam sanctitas Christi continet eminenter meritum Christi: ergo continentia eminentialis non tollit, quod simpliciter finitum magis opponatur cum infinito simpliciter, quam actio meritoria cum statu patriæ: ergo nec tollit, quod simpliciter finitum magis impedit, esse meritum simpliciter infinitum, quam status patriæ impedire possit, actionem hominis Sancti esse meritoriam. Atqui status impedit iuxta supra datam solutionem, esse meritum: ergo simpliciter finitum impedit, meritum esse simpliciter infinitum.

62

5. Specialis ratio.

Probatum quintò specialiter conclusio: Verbum Divinum est simpliciter infinitum in esse entis: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum in esse moris. Probatum consequentia: ex eo, quod Verbum Divinum sit simpliciter infinitum in esse entis, infertur, aliquid negativum de Verbo, affirmativum non infinitatis simpliciter in esse moris in merito Christi: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum. Probatum antecedens: ex eo, quod Verbum Divinum sit simpliciter infinitum in esse entis, infertur, Verbum non esse creatum, factum, aut effectum in esse entis; sed meritum Christi in esse moris est creatum, vel effectum: ergo, &c.

Declaratur hoc: ut Verbum in esse entis sit simpliciter infinitum, debet negari de illo, quod sit creatum, factum, vel effectum in esse entis; quia esse creatum, vel factum in esse entis repugnat cum infinitate simpliciter in esse entis: ergo ut meritum sit simpliciter infinitum in esse moris, debet negari de illo, quod sit creatum, factum, vel effectum in esse moris; nam esse creatum, vel factum in esse moris repugnat cum infinitate simpliciter in esse moris, ob eandem rationem, qua repugnat in esse entis. Atqui meritum Christi est creatum, factum, vel effectum in esse moris: ergo non est simpliciter infinitum in esse moris.

63

Declaratur

Sextò probatur: infinitas est perfectio simpliciter simplex: ergo repugnat enti morali. Atqui meritum Christi in esse moris est ens morale: ergo non est simpliciter infinitum. Antecedens est apud omnes certum, & claret ex diffinitione perfectionis simpliciter simplicis. Consequentia probatur: repugnat perfectionem simpliciter simplicem repugnare enti perfectiori, & non repugnare enti imperfectiori; sed infinitas repugnat enti perfectiori ente morali: ergo repugnat enti morali. Maior constat in quacumque perfectione simpliciter simplicis. Minor probatur: infinitas repugnat enti phisico secundum Ill. Godoy; sed ens phisicum est perfectius ente morali, ut de se patet: ergo infinitas repugnat enti perfectiori ente morali.

64

6. Ratio.

Probatum septimò: si esset vnum infinitum simpliciter in aliquo genere, simpliciter repugnaret aliud infinitum simpliciter in eodem genere: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum in genere moris. Antecedens patet primò: quia de ratione infiniti simpliciter in aliquo genere est, secum identificare omne possibile in illo genere. Secundò: nam quia Deus est infinitus simpliciter in genere entis, simpliciter repugnat aliud infinitum simpliciter in genere entis. Tertiò: nam si esset aliquod infinitum simpliciter in extensione, simpliciter repugnaret aliud simpliciter infinitum in extensione; alioquin primum non esset simpliciter infinitum. Quartò: quia hoc est de ratione cuiuscumque infiniti, ut in

65

7. Ratio.

phica dicitur, & à D. Thoma asseritur: Verum igitur est antecedens.

66
Consequen-
tia probat.

Consequentia probatur: si esset vnum infinitum simpliciter in aliquo genere, simpliciter repugnaret per se aliud infinitum simpliciter in eodem genere; sed non repugnat simpliciter aliud meritum simpliciter infinitum in genere moris: ergo meritum Christi non est simpliciter infinitum in genere moris. Probatur minor: non repugnat simpliciter, Spiritum Sanctum assumere naturam humanam, numero distinctam à natura de facto assumpta à Verbo: ergo, &c. Antecedens est certum. Consequentia claret: nam si non repugnat simpliciter, Spiritum Sanctum assumere naturam humanam, numero distinctam à natura de facto assumpta à Verbo, non repugnat simpliciter operatio Spiritus Sancti incarnati; sed talis operatio esset simpliciter infinita in genere moris ob eandem rationem, qua operatio Christi est iuxta Ill. Godoy simpliciter infinita in genere moris: ergo non repugnat simpliciter aliud meritum simpliciter infinitum in genere moris.

67
Responde-
bis pro Ill.
Godoy.

Respondebis pro Ill. Godoy: quod licet infinitum phisicè, & in genere entis non possit esse nisi vnum; infinitum tamen in aliquo genere multiplicari potest. Cum ergo meritum Christi sit infinitum solum in aliquo genere, nimirum, in genere moris, & in ratione meriti; non verò phisicè, & in genere entis, non repugnat, posse dari aliud meritum sibi æquale, quale esset meritum alterius personæ Divinæ subsistentis in aliena natura; vel inæquale, quale est meritum Angeli, vel puri hominis.

68
Contra 1.

Cæterum hæc solutio impugnata manet per probationes antecedentis num. 65. Ultra quod. Contra primò: si infinitum phisicè non possit esse nisi vnum, hoc provenit ex natura infinitatis, ratione cuius includit omnem perfectionem illius generis: ergo si meritum Christi sit infinitum in genere moris, & in ratione meriti, vt vult Ill. Godoy, oportet, quod infinitas illius meriti includat omnem perfectionem illius generis, moris, scilicet, & meriti; aliàs non esset simpliciter infinitum in linea meriti; vnde si infinitum phisicè, & in genere entis non possit esse nisi vnum, quia

oportet, quod includat omnes perfectiones, quæ competunt enti phisico, oportet etiam, quod infinitum in genere moris, & meriti nequeat esse nisi vnum, cum includere debeat omnes perfectiones merito morali convenientes.

Contra secundò: infinitum debet excedere cætera, quæ sunt in linea, in qua est infinitum, v. g. si domus aliqua esset prætij infiniti, nulla alia domus posset esse maioris prætij, nec æqualis. Tum, quia infinitum est incomparabile. Tum, quia summum positivè est illud, quod in sua linea non exceditur, nec habet æquale, licet illud habere possit: ergo infinitum in sua linea nequit habere æquale, & consequenter, tam implicat dari duo infinita in genere moris, quam in genere entis. Contra tertio: de ratione intrinseca infiniti est excludere rationem partis; sed si darentur duo infinita in genere moris, haberent rationem partis; cum simul in vnum copulari possent, & vnum meritum, aut prætij efficere: ergo non essent duo infinita, sed vnum, quod est contra suppositum. Tandem: omnes repugnantia, quæ dicuntur de illis, de iis etiam dicuntur: ergo, &c.

69
Contra 2.

Contra 3.

Probatur octavo conclusio: idè iuxta Ill. Godoy repugnat species impræssa, Deum quidditivè repræsentans, quia ex eo, quod sit infinita in esse repræsentativo, sequitur esse infinitam in essendo: ergo ex eo, quod meritum sit infinitum in esse moris, sequitur esse infinitum in esse entis. Atqui hoc non concedit Ill. Godoy: ergo nec quod sit infinitum in esse moris.

70
8. Specialis
ratio.

Probatur nono: idè iuxta Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 3. num. 18. Meritum Christi est simpliciter infinitum, quia hæc est bona consequentia: Meritum factum à digniori persona est dignius: ergo factum ob infinita persona est infinitum; quia dignitas meriti crescit ad incrementum dignitatis personæ merentis; & hanc vocat num. 19. rationem à priori pro sua conclusione. Admitto pro nunc consequentiam illam Ill. Godoy, & infero contra ipsum: ergo meritum factum à persona infinita secundum essentiam, erit infinitum secundum essentiam. Atqui hoc est plusquam fal-

71
9. Ratio.

sum : ergo etiam falsa est illius consequentia.

Probatur denique conclusio: cum superioritate in ordine in merito Christi, absque infinitate simpliciter, salvantur Verba Concilij ab Ill. Godoy tradita, imò & omnes rationes, quibus in merito Christi infinitatem simpliciter probare connatur: ergo superfluit infinitas simpliciter. Consequentia est legitima. Antecedens constabit ex solutione argumentorum Ill. Godoy.

§. VI.

Probatur conclusio destruendo fundamentum Ill. Godoy ex D. Thoma deductum.

73
Probatur
1. conclusio
destruendo
fundamen-
tum ex Div.
Thom. de-
ductum.

Probatur primò conclusio, destruendo fundamentum, quod ex D. Thoma adducit Ill. Godoy num. 22: humanitas Christi ex vi unionis ad Verbum non est Sancta sanctitate infinita: ergo ex sanctitate Christi nequit argui valor meritorius simpliciter infinitus in operationibus Christi: ergo ruit fundamentum Ill. Godoy ex D. Thoma deductum. Probatur antecedens: humanitas Christi ex vi unionis ad Verbum non est Sancta sanctitate increata: ergo nec Sancta sanctitate infinita. Probatur antecedens: solus Deus potest esse Sanctus sanctitate increata; sed Christi humanitas Verbo hypostaticè unita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, ut Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis unionis non est sancta sanctitate increata. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior autem probatur: sanctitas increata est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietatis naturam aliquam consequens, soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo sanctitas increata solum potest convenire, cui convenit esse Deum: ergo solus Deus est Sanctus sanctitate increata. Consequentia est legitima. Minor apparet in quacumque proprietate cuiuscumque naturæ, ultra quod est expressa doctrina Ill. Godoy, & D. Thomæ, ut proximè dicemus. Maior autem notoria videtur.

Et ostenditur primò: nam omne

ens increatum, à se, & omninò independens, est proprietas consequens naturam Divinam; sed sanctitas increata est ens increatum, à se, & omninò independens: ergo sanctitas increata est proprietas consequens naturam Divinam. Probatur secundò: Omnipotentia, Eternitas, Immensitas, Increata Sapientia, &c. sunt proprietates consequentes naturam Divinam: ergo etiam sanctitas increata. Tertio: Sanctitas increata non est accidens naturæ Divinæ adveniens: ergo est adminus proprietas consequens naturam Divinam: ergo vera est minor supra posita.

Hæc est paritas formata ad litteram doctrinæ, quam tradit Ill. Godoy in hoc tom. disp. 38. num. 2. vbi ad defendendum, quod humanitas Christi Domini ex vi unionis ad Verbum omnipotens simpliciter constituta non fuerit, hac utitur ratione, deducta ex D. Thom. 3. part. quæst. 13. art. 1. quod ut appareat rationem illius transcribo: *Solus Deus omnipotens esse potest; sed Christi humanitas, Verbo hypostaticè unita, ita distincta à Divinitate permansit, & impermixta cum illa, ut Dea effecta non fuerit: ergo ex vi talis unionis non est constituta omnipotens, nec dici potest esse omnipotentem simpliciter. Consequentia tenet. Minor est de fide. Maior ostenditur ratione D. Thomæ in presenti: cum enim unumquodque agat secundum quod est in actu, & in actu constituatur per formam, quæ vel est ipsa rei natura, vel rei naturam constituit, & omnipotentia Divina sit virtus, per quam Deus agit ad extra, consequenter est proprietas consequens Divinam naturam; sed proprietas naturam aliquam consequens soli convenit habenti talem naturam, nec potest enuntiari de aliquo, de quo non prædicatur natura, cuius est talis proprietas: ergo omnipotentia simpliciter solum potest convenire, cui convenit esse Deum; & consequenter solus Deus est omnipotens.* Sic Ill. Godoy cit. ad cuius litteram formata est paritas nostra, ut luce clarius splendet.

Nescio certè, quid ad hanc paritatem; ut à nobis formatam, respondere valeat Ill. God. & rationem reddo: nam si respondeat, assignando disparitatem, quam inter sanctitatem, & omnipotentiam assignat tom. 2. in 3. part. disput. 21. à n. 226. & quam

Maior ostenditur 1.

Secundò.

Tertio.

75

76

repetit in hoc tomo disput. 38. num. 30. & 31. Ultra hoc, quod talem disparitatem impugnauimus tom. precedenti disput. 21. §. 8. semper manet contra ipsum efficacia nostræ paritatis, quod manifestum facio, sic contra ipsum inferendo: ergo Sanctitas increata conuenit alteri naturæ præter Diuinam. Hæc consequentia est apud ipsum manifesta. Sussumo nunc; at qui sanctitas increata est proprietas consequens naturam Diuinam: ergo proprietas consequens aliquam naturam potest alteri naturæ conuenire, quod est contra D. Thom. & Ill. Godoy in hoc tomo.

77
Declaratur
efficacia pa-
ritatis.

Declaratur deniquè efficacia nostræ paritatis, & simul præcluditur illius solutio, aliter paritatem efformando: Omnipotentia soli Deo potest conuenire: ergo sanctitas increata soli Deo competere ualet. Antecedens est Ill. Godoy in hoc tom. cit. Consequentia probatur: ideò omnipotentia soli Deo potest conuenire, quia omnipotentia est proprietas consequens naturam Diuinam, & proprietas consequens aliquam naturam, conuenire nequit, nisi illi, cui conuenit talis natura; at qui sanctitas increata est proprietas consequens naturam Diuinam. ergo sanctitas increata soli Deo competere ualet. Consequentia est legitima. Minor est evidens, & iam ostensa. Maior est D. Thom. cum quo Ill. Godoy, ut manet declaratum.

78
Probat. 2.
conclusio.

Antecedens
probat. 1.

Probat secundò conclusio: estò gratia vnionis humanitatem sanctificet; illam tamen infinitè non sanctificat: ergo nec infinitè ualorat Christi operationes, & consequenter operationes Christi non sunt ualoris simpliciter infiniti. Probat antecedens primò ad hominem contra Ill. Godoy: estò Diuina essentia, ut species intelligibilis, sit representatio comprehensiva Dei, & omnis obiecti intelligibilis; tamen mentibus beatorum vnita, non representat illis omne obiectum cognoscibile, nec comprehensivè Deum, sed tantum quidditativè. Similiter etiam Diuina cognitio, etiam omne cognoscibile repræsentet, Deumquè comprehensivè, vnita tamen intellectui animæ Christi, non præbet illi omnium repræsentationem, nec omne obiectum intelligentem constituit, sed tantum ali-

qua obiecta iuxta proportionem luminis, eiusquè capacitatem: ergo pariter. Consequentia paritate certa uidetur. Antecedens pro secunda paritate est Ill. Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 31. ubi docet, quod etiam si Christus intellexisset intellectione increata, Deum de facto non comprehendisset. Pro prima autem paritate est etiam ipsius cit. num. 12.

Probat secundò dictum antecedens: si gratia vnionis sanctificaret infinitè simpliciter humanitatem Christi, ut concedit Ill. Godoy disput. 41. n. 103. Christus esset magis sanctus, quam quælibet persona Diuina; sed hoc est absurdum, & repugnans: ergo estò gratia vnionis humanitatem sanctificet; non tamen illam infinitè sanctificat. Probat maior: estò gratia vnionis sanctificaret infinitè simpliciter humanitatem Christi, Christo concedenda est gratia habitualis, ut per ipsam sanctificaretur; at qui hoc ipso Christus esset magis sanctus, quam quælibet persona Diuina: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est Concilij Tridentini. Minor autem probatur: hoc ipso, quod estò gratia vnionis sanctificaret humanitatem Christi infinitè simpliciter, Christo concedenda sit gratia habitualis, ut per ipsam sanctificetur, Christus esset Sanctus duplici sanctitate, nempe, sanctitate infinita simpliciter Deitatis, & sanctitate gratiæ habitualis; sed quælibet persona Diuina vnica tantum sanctitate, scilicet, sanctitate Deitatis, est sancta: ergo Christus esset magis Sanctus, quam quælibet persona Diuina.

Ad hanc rationem, quam nullibi inueni in Ill. Godoy, potest respondere doctrina, quam habet disp. 41. num. 101. scilicet, Deum esse magis Sanctum, quam humanitas, cuius ratio est: nam ut Deus dicatur magis Sanctus, quam humanitas, sufficit, ut infinita sanctitas Deo conueniat per essentiam, & à se; humanitati autem non per essentiam, & à se, sed per communicationem; hoc enim, quod est, habere sanctitatem à se, & per essentiam, perfectio est in linea sanctitatis; unde quamvis Deo, & humanitati conueniat sanctitas infinita, quia Deo conuenit à se, humanitati autem non à se, sed ab alio, Deus in ratione Sancti excedit humanitatem.

79
Probat. 2.

80
Respondet
Ill. Godoy.

81

Impugnatur 1. solut. ad homin. cōtra ipsū.

Contra hanc tamen solutionem insurgo primò ad hominem contra Ill. Godoy: tota sanctitas infinita simpliciter totalitate formæ est communicata humanitati Christi: ergo totum suum effectū humanitati communicat. Sic ipse num. 100. disp. 41. & rationem tribuit: *Vt enim totum suum effectum communicet, sufficit totaliter formam communicari; quamvis, quia non communicatur totaliter totalitate modi, non communicat hos effectus omnimodo, quo potest illos communicare, vnde repugnantiam cum peccato veniali, & mortali humanitati communicat; non tamen eomodo, quo effectus istos communicat Deo, cui conveniunt à se, & per essentiam; humanitati verò non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio.* Infero nunc: ergo humanitas est æquè Sancta, ac Deus, æqualitate formæ, sanctitatem simpliciter infinitam tribuentis, & æqualitate effectus sanctitatis à forma tributī. Consequentia legitimè inferitur ex doctrina Ill. Godoy. Et licet hoc sit sufficiens absurdum, infero amplius: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus. Probatur hæc consequentia: ultra totam sanctitatem simpliciter infinitam totalitate formæ, in qua humanitas Christi est æquè sancta, ac Deus, habet Christi humanitas sanctitatem gratiæ habitualis, iuxta Ill. God. ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus.

82

Impugn. 2.

Insurgo secundò: modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in forma habita, nec in effectu illius: ergo modus habendi à se sanctitatem, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in sanctitate, & in effectu illius. Atqui humanitas Christi, licet à Deo, habet tantam Divinam sanctitatem, quam Deus habet à se, & ultra hanc habet sanctitatem gratiæ habitualis, quam Deus non habet: ergo humanitas Christi est magis Sancta, quam Deus. Totum est verum, si verum est antecedens. Probatur autem primò: modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, solum infert differentiam in modo habendi formam, & effectum illius; sed differentia in modo habendi formam, & effectum illius, non infert

Antecedens probat. 1.

inæqualitatem in forma, & in illius effectu: ergo, &c.

Probatur secundò idem antecedens: Deus habet à se, & per essentiam Deitatem; humanitas vero Christi habet Deitatem per communicationem ab alio, scilicet, à Deo; atqui hoc non tollit æqualitatem in Deitate, vt constat ex symbolo D. Athanasij: *Æqualis Patri secundum Divinitatem*: ergo, &c. Probatur tertio: modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, modusque habendi ab alio, non est aliquid formæ, vel effectus: ergo modus habendi à se aliquam formam, & effectum illius, & modus habendi ab alio, non infert inæqualitatem in forma habita, nec in effectu illius.

Insurgo tertio, & simul probatur antecedens supra positum: in tantum sanctitas Divina infinita simpliciter convenit humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, in quantum ipsi convenit Divinitas, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio; atqui, quod Divinitas conveniat humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, non tollit æqualitatem in Deitate: ergo quod sanctitas Divina simpliciter infinita conveniat humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, non tollit æqualitatem in sanctitate, & consequenter verum est supra positum antecedens. Consequentia est legitima. Minor de fide. Maior est Ill. Godoy assentis: Deitatem esse formam, humanitatem Christi sanctificantem.

Insurgo quartò: si intellectio increata vnita intellectui creato animæ Christi præberet illi omnem suum effectum, scilicet, omnium representationem, intellectus animæ Christi creatus esset æqualis in intelligendo cum intellectu Divino, similiterque de Divina essentia, vt est species intelligibilis, proportionem servata; atqui in illo casu intellectus Divinus haberet intellectionem à se, & per essentiam; intellectus creatus illam haberet, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio: ergo semel concesso, quod sanctitas Divina simpliciter infinita tribuit humanitati Christi totum suum effectum, vt

83

Secundò.

Tertio.

84

Impugn. 3.

85

Impugn. 4.

concedit Ill. Godoy *num. 100. cit.* humanitas Christi est æquè Sancta, ac Deus, licet Deus habeat Divinam sanctitatem à se, & per essentiam; humanitas verò Christi per communicationem ab alio illam habeat.

Minor est evidens. Maior est Ill. Godoy *tom. 2. in 3. part. disp. 31. n. 12.* ubi ad obiandam æqualitatem in intelligendo inter intellectum Divinum, & creatum, adhuc intellectione increata ornatum, asserit: intellectiōnem increatam in illo casu vnionis cum intellectu creato, non præbere illi totum suum effectum, idemquè asserit de essentia Divina vnita intellectui creato per modum speciei intelligibilis. Pergo amplius: atqui vltra Divinam sanctitatem, in qua humanitas Christi esset æqualis Deo, haberet sanctitatem à gratia habituali tributam, vt concedit ipse: ergo humanitas Christi esset magis sancta, quam Deus.

Insurgo quintò: tota Divina sanctitas est humanitati Christi communicata iuxta Ill. Godoy: ergo Deus non est magis Sanctus, quam humanitas Christi. Probatur consequentia: esse magis Sanctum, est habere maiorem sanctitatem; sed si tota Divina sanctitas est humanitati Christi communicata, Deus non haberet maiorem sanctitatem, quam humanitas Christi: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor patet; alioquin humanitati Christi non esset tota Divina sanctitas communicata. Maior autem patet per exempla sequentia. Primò: esse magis beatum, est habere maiorem beatitudinem. Secundò, esse magis album, est habere maiorem albedinem. Et ex his in infinita, quin ad hoc faciat, formam habere à se, vel ab alio: ergo esse magis Sanctum, est habere maiorem sanctitatem. Sussumo nunc: atqui humanitas Christi vltra sanctitatem Divinam, in qua non est minus Sancta, quam Deus, habet sanctitatem præstitam à gratia habituali, quam Deus non habet iuxta Ill. Godoy: ergo humanitas Christi, stante opinione illius, est magis Sancta, quam Deus.

Insurgo sextò: sanctitas Divina simpliciter infinita convenit humanitati Christi, non à se, & per essentiam, sed per communicationem ab alio, Deo autem convenit à se, & per

essentiam iuxta Ill. Godoy. Quæro nunc: vel hic modus conveniendi dictam sanctitatem Deo, est aliquid sanctitatis, vel non? Si primò: ergo tota Divina sanctitas non est humanitati Christi communicata, quod est contra Ill. Godoy *disput. 41. num. 100.* Probatur consequentia: modus, quo Deo convenit sanctitas, est aliquid sanctitatis; sed hic modus non est humanitati Christi communicatus: ergo, &c. Si secundum: ergo modus conveniendi ab alio, non tollit æqualitatem in sanctitate cum Deo, quod est nostrum intentum. Atqui vltra æqualitatem cum Deo in sanctitate Divina, habet humanitas Christi sanctitatem, quam Deus non habet, scilicet, sanctitatem gratiæ habitualis: ergo humanitas Christi, opinione Ill. Godoy attendita, est magis Sancta, quam Deus.

Si autem ob has replicas recurras pro ipso dicendo: rationem nostram convincere tantum, Christum esse magis Sanctum extensivè; non verò intensivè. Contra primò: nam hoc est absurdum. Contra secundo: Christus per se est magis Sanctus extensivè, quam quælibet persona Divina: ergo absolutè dicendus est Christus magis Sanctus, quam quælibet persona Divina. Atqui hoc absurdum, & omnino repugnans est: ergo ruit responsio. Consequentia, in qua vnice est difficultas, probatur: maior sanctitas extensiva sufficit, ad hoc, vt absolutè dicatur: Christum esse magis Sanctum, quam quælibet persona Divina; sed Christus per se est extensivè magis Sanctus, quam quælibet Divina persona: ergo absolutè dicendus est Christus magis Sanctus, quam quælibet persona Divina. Probatur maior: Maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur, vnum esse magis perfectum, quam aliud: ergo maior sanctitas extensiva sufficit ad hoc, vt absolutè dicatur: Christum esse magis Sanctum, quam quælibet persona Divina.

Probatur antecedens: ideò iuxta communè Scotistarum sententiam, & frequentiore Thomistarum opinionem, quam sequitur Ill. Godoy, & ex D. August. & D. Thoma, vt veram supponit *tom. præced. disput. 21. num. 121.* relationes Divinæ nullam dicunt perfectionem, nec extensi-

vam,

86

Impugn. 5.

87

Impugn. 6.

88

Si dicas pro Ill. Godoy.

Contra 1.

Contra 2.

Probatur antecedens.

vam, quia absolute veræ essent hæc propositiones: *Pater est perfectior Filio, & Spiritu Sancto: Filius, & Spiritus Sanctus sunt perfectiores Patre*, quam maiorem perfectionem deducunt ex eo, quod aliqua perfectio extensive daretur in vna persona, quæ non daretur in alia: ergo maior perfectio extensiva sufficit ad hoc, vt absolute dicatur: vnum esse magis perfectum, quam aliud.

89
3. Potest
probari cō-
clusio.

Denique probari potest conclusio ab inconvenienti contra Ill. Godoy ex à nobis dictis tom. *præced. disp. 31. à num. 46. vsque ad num. 52.* vbi paritate valde vrgenti ex sanctitate increata deducta, demonstrare ostendimus, Christi humanitatem esse de facto beatam beatitudine increata. Solutionem autem Ill. Godoy ibi declaratam num. 53. efficacissimis instantiis reiecimus à num. 56. vsque ad 69. Quæ omnia ibi videnda relinquo.

§. VII.

Primum argumentum Ill. Godoy, ex autoritate deductum, solvitur.

90
Arguit. 1.

Arguit primò Ill. Godoy n. 15. ex Clemente Sexto in *Extravagante Vnigenitus de pœnitentijs, & remissionibus*, vbi loquens de Thesaurò Ecclesiæ, sic ait: *De cuius consumptione, aut diminutione, non est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi*: ergo iuxta Clementem operationes Christi fuerunt valoris meritorij simpliciter infiniti. Patet consequentia primò: namsi illarum valor non esset infinitus simpliciter, non deberent appellari merita infinita absolute, sed cum aliquo addito diminuyente; infinitum namque absolute prolatum, stat pro infinito tali simpliciter: ergo meritum absolute infinitum est meritum infinitum simpliciter. Sed Pontifex, non cum addito diminuyente, sed absolute, merita infinita operationes Christi appellavit: ergo quia censuit, esse merita simpliciter infinita.

Consequētia
probat. 1.

91
Secundò.

Secundò: nam si merita simpliciter infinita non essent, posset aliquatenus, & cum fundamento aliquo formidari, ne in tantum peccata crescerent, vt illorum multitudine Thesaurus Ecclesiæ ex meritis Christi constans, diminueretur, ac tandem extingueretur; sed ait Pontifex, nullatenus formidandum esse de conf-

sumptione, aut diminutione Thesauri Ecclesiæ propter infinita merita Christi: ergo sentit, fuisse infinita simpliciter. Probat maior: si namque operationes Christi non essent merita infinita simpliciter, nec etiam in ratione satisfactionis essent simpliciter infinita; & consequenter valor satisfactorius illarum finitus simpliciter esset; sed quod finitum simpliciter est, terminis præfixis clauditur, ad quos potest perveniri: ergo si merita infinita non essent, posset in tantum peccata crescere, vt tandem perveniretur ad terminos Thesauri Ecclesiæ constantis ex illis, ac proinde extingueretur.

Probat
maior.

Respondeo primò: Pontificem loqui de infinitate ordinis, & negativa; non verò de infinitate simpliciter, & positiva. Primò modo est infinitum meritum Christi, quia est in supremo ordine meritorio, & nullum aliud meritum maius excogitabile est, cum hac quæ infinitate stat, quod in suo ordine sit finitum simpliciter, & positivè; quare in forma concessio antecedenti, nego consequentiam, ad cuius primam probationem nego antecedens, nam vt à Pontifice vocentur infinita merita Christi, sufficit, quod sint infinita infinitate ordinis, & negativa.

92
Respond. 1.

Ad secundam probationem nego maiorem, quia meritum infinitum infinitate ordinis, & in suo ordine finitum, sufficiens est pro peccatis infinitis: ergo licet sit finitum simpliciter, exhauriri nequit Thesaurus Ecclesiæ multitudine peccatorum. Probat primò antecedens: tale meritum habet maiorem infinitatem extrinsecè ex circumstantia personæ operantis, quam peccatum ex circumstantia personæ offensæ: ergo sufficiens est pro peccatis infinitis. Probat antecedens: tale meritum, scilicet, Christi, non habet, vnde limitetur ex circumstantia personæ; benè verò peccatū in ratione offensæ: ergo. Probat antecedens: persona concurrat ad valorem meritorium absolute, & secundum se considerata; ad peccatum verò in ratione offensæ non absolute concurrat, sed vt cognita, quæ cognitio, cum sit finita, limitat gravitatem offensæ: ergo meritum Christi non habet, vnde limitetur ex circumstantia personæ; benè ve-

Ad 1. prob.
maioris.

93
Ad 2.

Antecedens
probat. 1.

rō peccatū in ratione offensę. Ex quo.

94
Secundō.

Probat̄ur secundō dictum anteceden-
dens: meritum infinitum infinitate
ordinis, & in suo ordine finitum, est
in ratione boni superioris ordinis,
quam nostrę offensę in ratione mali:
ergo meritum infinitum infinitate
ordinis, & in suo ordine finitum, suf-
ficiens est pro peccatis infinitis. Pro-
batur consequentia: hoc ipso, quod
tale meritum sit in ratione boni su-
perioris ordinis, quam nostrę offensę
in ratione mali, nulla offensę ex se
potest exposcere pro adęquata com-
pensatione illud meritum; alioquin
non esset superioris ordinis: ergo
quamvis offensę in infinitum
multiplicentur, poterunt per eam ne-
dum sufficienter, sed etiam excessivę
compensari: ergo quamvis essent in-
finitę, possunt compensari merito fi-
nito in suo ordine: ergo meritum in-
finitum infinitate ordinis, & in suo
ordine finitum, est sufficiens pro infi-
nitis peccatis.

95
Tertiō.

Probat̄ur tertiō idem antecedens:
ex quolibet excessu infinitarum re-
rum non semper deduci debet in ex-
cedente infinitas simpliciter, sed ali-
quando deducere solum valet excel-
lentiam gradus superioris, quem nū-
quam res inferiores attingere possint:
ergo similiter: ex excessu meriti res-
pectu infinitarum offensarum non
valet deducere in merito infinita-
tem simpliciter, sed solum excellen-
tiam gradus superioris, quem nun-
quam offensę attingere possint. Con-
sequentia paritate videtur certa. An-
tecedens verō probatur: ex eo, quod
Angelus excedat infinitas naturas im-
perfectiores sub se posibles, non
valet inferre in Angelo infinitatem
simpliciter, sed tantum perfectionem
superioris ordinis, nunquam attingi-
bilem à rebus ordinis inferioris: ergo,
&c. Aliam solutionem, & plures si-
mul retorsiones contra hunc mo-
dum arguendi Ill. Godoy declaravi-
mus infra.

96
Respondeo
ad probat.
maioris.

Ad probationem maioris secun-
dę probationis concessa maiori, dis-
tinguo minorem: quod finitum sim-
pliciter est, & nullo modo infinitum,
terminis præfixis clauditur, ad quos
potest perveniri concedo minorem;
quod finitum simpliciter est; est ta-
men aliquomodo infinitum, termi-
nis præfixis clauditur, ad quos potest

perveniri nego minorem, & conse-
quentiam. Itaque licet meritū Christi
sit simpliciter finitum; est tamen in-
finitum infinitate ordinis, quę infini-
tas meritorum sufficiens est, ut quan-
tumcumque peccata crescerent, nun-
quam perveniri possit ad terminos
Thesauri Ecclesię constantis ex illis,
consequentēque nunquam extin-
gueretur, utpotē, sufficiens pro infi-
nitis peccatis, ut ex dictis constat.

97
Respond. 2.
ad argum.

Respondeo secundō ad argumen-
tum ex Clemente concessio anteceden-
ti, negando consequentiam, ad
cuius primam probationem distin-
guo antecedens: si valor operatio-
num Christi non esset infinitus sim-
pliciter, non deberent appellari meri-
ta infinita absolutē, & sine explica-
tione concedo antecedens; absolutē,
& cum explicatione ergo anteceden-
dens, & distinguo probationem im-
bibitam: infinitum absolutē prola-
tum, & sine explicatione, stat pro in-
finito tali simpliciter concedo; ab-
solutē prolatum, & cum explicatione
nego. Et hac distinctione distinguo
consequens, & sumptam. Itaque
cum verba Pontificis debeant intelli-
gi iuxta ipsius intentum, & hoc erat,
Thesaurum Ecclesię, nec diminuen-
dum, nec extinguendum esse, quan-
tumcumque peccata crescerent, eo,
quod merita Christi sint infinita, Pon-
tifex debet intelligi de infinitate me-
ritorum, quę sufficiens sit, ut The-
saurus Ecclesię nec extinguatur, nec
diminuat̄ur. Cum ergo infinitas or-
dinis, & negativa, sit ad hoc sufficiens,
ut claret ex prima responsione; de hac
infinitate est Pontifex intelligendus.

98
Retorqua-
tur argum.

Sed licet hæc solutio plusquam
sufficiens sit pro non diminutione
Thesauri Ecclesię, & pro extinctio-
ne argumenti Ill. Godoy; quia tamen
hic est frequentissimus modus, quo
multoties, multisque in locis; utitur
Ill. Godoy ad arguendum contra
nos; tūm, ex Scriptura; tūm ex Con-
cilijs; tūm etiam ex Patribus; con-
gruum, & dignum est, retorsiones in
ipsum facere toties, quoties sic ar-
guit, ut prædicto modo arguendi
nullatenus confidere possit, & ad
ipsum semper respondere
teneatur.

§. VIII.

Argumentum Ill. Godoy, ex auctoritate deductum, retorquetur.

99
Retorq. 1.
argum. ad
hom. contra
Ill. Godoy.

Retorqueo itaque primò argumentum contra Ill. Godoy: quod Pontifex absolute asserat: merita Christi esse infinita, non impedit explicationem circa hanc, vel illam infinitatem, scilicet, infinitatem negativam, vel positivam, seu infinitatem ordinis, vel infinitatem simpliciter: ergo locum habet nostra explicatio. Probatur antecedens: quod Scriptura absolute asserit: Christum non ascensurum ad diem festum, ut patet ex Ioanne cap. 9. ubi Christus ait: *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam*, non impedit explicationem circa hunc, vel illum modum ascendendi, nempe, manifestè, vel occultè: ergo. Ab opposito formatur retorsio: merita Christi dicenda sunt simpliciter infinita: ergo simpliciter dicendum est, Christum non ascendisse ad diem festum, & consequenter nec occultè ascendisse, quod est contra fidem, ut claret ex Evangelio. Probatur consequentia: idè iuxta Ill. Godoy merita Christi dicenda sunt simpliciter infinita, quia Pontifex illa appellavit absolute infinita; sed Scriptura absolute asseruit, Christum non ascensurum ad diem festum: ergo simpliciter dicendum est, Christum non ascendisse.

100
Retorq. 2.

Retorqueo secundò etiam ad hominem contra Ill. Godoy: quod Pontifex absolute asserat: merita Christi esse infinita, non impedit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: quod Scriptura absolute asserat: Deum esse incomprehensibilem, non impedit explicationem: ergo. Antecedens pro prima parte claret ex pluribus locis Scripturæ, pro quibus sufficiat illud Hieremiæ cap. 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*. Imò conceditur ab Ill. Godoy tom. 1. in 1. part. disput. 25. num. 18. Quoad secundam est evidens; alioquin nec ab intellectu Divino Deus esset comprehensibilis, quod est contra omnes Catholicos.

101
Formatur
ab opposito
retorsio.

Ab opposito etiam formatur retorsio contra Ill. Godoy: quod Pontifex asserat absolute: merita Christi esse infinita, impedit explicationem

de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Scriptura asserat absolute: Deum esse incomprehensibilem, impedit explicationem de intellectu Divino. Atqui hoc est contra fidem: ergo fidem fatendo, falsum est argumentum Ill. Godoy. Suffumpta, & consequentia tenent. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia verò probatur; idè iuxta ipsum, quod Pontifex asserat absolute: merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui Scriptura absolute asserit, Deum esse incomprehensibilem: ergo, &c.

Ex hac retorsione manifestè apparet falsitas argumenti Ill. Godoy: nam sicut ipse tom. disp. & num. cit. respondet: Scripturam absolute affirmare, Deum esse incomprehensibilem, esse ad declarandam elevationem, & excessum Dei ad creaturas, quin absoluta affirmatio obstat, ut Deus sit à se comprehensibilis, ita nos dicere valeamus, Pontificem absolute affirmare: merita Christi esse infinita ad declarandum, merita Christi esse in supremo ordine meritorio, nullumquè maius excogitari posse, sufficereque pro peccatis infinitis, ex quorum multitudine adhuc Thesaurus Ecclesiæ non extingueretur, nec minueretur, quod est, infinitatem ordinis, & negativam declarare.

Retorqueo tertio ad hominem etiam contra ipsum: quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: Scriptura, Concilia, & Patres absolute asserunt, remedium peccati esse unicum motivum Incarnationis; sed hæc absoluta assertio Scripturæ, Conciliorum, & Patrum non tollit explicationem: ergo quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem. Consequentia est legitima. Ex præmissis autem maior est certa, & constat auctoritatibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum.

Illam namquè habet Lucas cap. 19. illis verbis: *Filius hominis venit salvare, quod perierat*. Et 1. ad Timoth. cap. 1. *Christus Iesus venit peccatores salvos facere*. Et Ioann. 3. *In hoc apparuit*

102

103
Retorq. 3.
etiam ad
hominem.

104
Maior constat ex Scriptura, Concilijs, & PP.

Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli. Ac tandem in symbolo Nicæna de Christo loquendo dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & Incarnatus est, &c. Ita etiam Augustinus in Psalm. 36. Concione 2. ad illa verba: A Domino gressus hominis diriguntur, ubi sic ait: Si tu, ò homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. Et Serm. 8. de verb. Apostol. super illud: Venit enim Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat, sic habet: Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Et ad Timoth. ad illa verba: Christus Iesus venit peccatores salvos facere, glossa Augustini sic dicit: Nulla causa fuit Christo Iesu veniendi, nisi peccatores salvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicina. Id ipsum expressis verbis testantur Hyrincus lib. 5. adversus hæreses cap. 14. Athanasius, Serm. 3. contra Arrianos column. 212. Leo Magnus, Serm. 3. in Penthecost. Cyrilus, lib. 5. de Trinitate ante medium, & super Ioan. lib. 2. cap. 3. Gregorius Magnus, in 4. Regum cap. 1. quorum verba adducit Vazquez disp. 10. cap. 4.

105
Minor est
Ill. Godoy.

Minor verò est Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 8. num. 222 quod, ut appareat verba illius transcribo: Ex dictis in discursu disputationis (ait) colligo primò, verba Patrum asserentium nullam causam fuisse veniendi Christum, nisi peccatores salvos facere, quæ in confirmationem primæ conclusionis adduximus, sic esse accipienda, ut excludant causam adventus Christi à remedio peccati distinctam, & cum illo non connexam; non autem causam, vel motivum distinctum à remedio peccati, connexam tamen cum illo. Quod patet primò: nam hoc sufficit intento Patrum, quod erat, non venturum Christum, non existente peccato; hoc enim ipso, quod alia motiva fuerint cum remedio peccati connexa, non mandabitur executioni Incarnatio, peccato non existente: ergo ita accipienda sunt. Secundo: nam decretum intentivum Incarnationis, cum fuerit actus liberalitatis Divinæ, debuit moveri à Divina bonitate: motivum namque liberalitatis est bonitas operantis: ergo verba Patrum non ita sunt accipienda, ut excludant à prædicto Incarnationis decreto omne motivum distinctum à remedio peccati, sed solum ut excludant motivum distinctum, & cum remedio peccati inconnexam.

Formatur etiam retorçio ab opposito contra Ill. Godoy: quod Pontifex asserat absolute: merita Christi esse infinita, tollit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Scriptura, Concilia, & Patres asserant absolute: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis, tollit explicationem de alio motivo, sive connexo, sive inconnexo cum remedio peccati; atqui hoc est contra Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. cit: ergo in illius doctrina falsum est argumentum Ill. Godoy. Susumpta cum consequentia tenet. Antecedens est ipsius. Consequentia probatur: ideò iuxta Ill. Godoy, quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui Scriptura, Concilia, & Patres absolute asserunt, remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis: ergo, &c.

106
Ab appposito
formatur
retorçio.

Retorçeo quartò: quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: Concilia, & Patres absolute asserunt: Spiritum Sanctum per se non petere procedere à duabus personis; sed hæc absoluta assertio Conciliorum, & Patrum non tollit explicationem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disput. 43. num. 3. ubi pro conclusione statuit: Spiritum Sanctum per se petere, procedere à duabus personis.

107
Retorç. 4.

Maiores autem est notoria, illamque statuit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi, ut refertur in capit. fidei, De summa Trinitate & fide Catholica, in sess. decretali, his verbis: Fidei, & devota professione fate-mur, quod Spiritus Sanctus eternalitèr ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex uno; non duobus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Et hoc idem postea rursus diffinivit Concil. Florent. in litteris unionis. Statuit etiam hoc D. Anselmus Epist. de Process. Spiritus Sancti contra Græcos cap. 11. ubi de Spiritu Sancto ait: Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo, in quo unum sunt. Et cap. 16. concludit

108

his verbis: *Stat, Spiritum Sanctum esse de Filio, sicut est de Patre, nec tamen de duobus, sed ex uno, ex eo, scilicet, quod Pater, & Filius unum sunt, non ex eo, unde alij sunt ab invicem.* Denique hoc statuit Div. Augustinus 9. de Trinitat. cap. 14. sub hac expressione: *Fatendum est, Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativam unus creator, & unus Dominus, sic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium. Ad creaturam verò Pater, Filius, & Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator, & unus Dominus.* Vera igitur est maior prædicta.

109
Ab opposito
formatur
retorsio.

Ab opposito etiam formatur retorsio contra Ill. Godoy: quod Pontifex asserat absolutè: merita Christi esse infinita, tollit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Concilia, & Patres absolutè asserant: Spiritum Sanctum non petere per se procedere à duabus personis, tollit explicationem. Atqui hoc est contra Ill. Godoy citat. num. 107: ergo in doctrina illius falsum est ipsius argumentum. Sussumpta, & consequentia tenent. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia verò probatur: ideò iuxta ipsum, quod Pontifex asserat absolutè, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolutè asserit, merita Christi esse infinita; atqui Concilia, & Patres absolutè asserunt: Spiritum Sanctum non petere per se procedere à duabus personis: ergo, &c.

110
Retorq. 5.

Retorqueo quintò ad hominem etiam contra Ill. Godoy: quod Pontifex asserat absolutè, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: Patres absolutè asserunt: Deum non esse nobis debitorem; sed hæc absoluta Patrum assertio, non tollit explicationem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disput. 7. ubi docet: quod Dei ad creaturam est iustitia.

111
Maior asseritur.

Maior verò est certa: dicunt enim Patres: *Deum nihil nobis debere reddere, debita nulli debentem, non habere debitum ex iure, debere solum sue bonitati, & misericordiæ premium, quod nobis tribuit pro bonis operibus, amicitiarum*

nobis præmia repromittere, ideòque debitum Dei erga nos promissionis debitum esse. Ita Div. Anselmus Prolog. cap. 10. *Iustus es, (inquit) Non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summe bonum.* Et cap. 11. *Illud solum est iustum, quod vis, non iustum, quod non vis.* Augustin. 1. Confess. cap. 4. *Reddis debita nulli debens.* Bernard. Serm. 1. de Anim. *Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Et Serm. 61. in Cantic. *Meritum meum miseratio Domini.* Gregorius 9. Moral. cap. 14. *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex verba convalesco.* Basiliius in Psalm. 114. *Manet sempiterna requies illis, qui in hac vita legitime certaverint, non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi.*

Rursum Augustinus. Serm. 13. de Verbo Domini. *O magna benignitas Dei, cum pro conditione reddere debeamus obsequia, ut servi Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia Redemptoris amicitiarum nobis præmia repromittit.* Et Serm. 16. de Verbo. Apostol. *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi, & aliter dicimus, debes mihi, qui promissisti mihi.* Deo igitur, quid dicimus, redde mihi, quia dedi tibi? *Quid dicimus Deo, quando quod sumus, & habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum: illo ergo possumus exigere Dominum nostrum redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti, & hoc tu fecisti, quia laborantes iuvisti.* Et Serm. 151. de Tempore. *Laudemus fratres Dominum, quia promissorem tenemus, ut iam debitum exigamus.* Idem de promissione, & debito fidelitatis, docet Concil. Trident. Sess. 6. cap. ultim. *Bene operantibus usque in finem, in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

Formatur etiam ab opposito retorsio contra Ill. Godoy: quod Pontifex asserat absolutè: merita Christi esse infinita, tollit explicationem: ergo quod Patres absolutè asserant: Deum non esse nobis debitorem, to-

112
Ab opposito
formatur
retorsio.

Illit explicationem. Atqui hoc est contra Ill. Godoy *cit. numer. 93*: ergo in opinione Ill. Godoy falsum est illius argumentum. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens est ipsius. Consequentia verò probatur: ideo iuxta ipsum, quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui Patres absolute asserunt: Deum non esse nobis debitorem: ergo, &c.

114
Retorq. 6.

Retorqueo sextò argumentum ad hominem etiam contra ipsum: quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: D. Thomas absolute asserit: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se; sed hæc absoluta Div. Thomæ assertio non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia legitime inferitur. Maior est ipsius *tom. 3. in 1. part. disput. 77. numer. 5.* ubi probatione suæ conclusionis adducit hæc D. Thomæ verba: *Vndè, sicut est per se ista: Pater est Deus; ita est ista: Deus est Pater, & nullo modo per accidens*, quod est omnino absolute asserere: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se. Minor est etiam Ill. Godoy *tom. citat. disput. 76. num. 24.* asserentis: prædictam propositionem non esse per se perfectate constitutionis, quod est aliquomodo non esse per se, & consequenter D. Thom. explicare in verbis ab ipso absolute prolatis, tenetur Ill. Godoy.

115
Ab opposito
formatur
retorqio.

Ab opposito etiam formatur retorqio: quod Pontifex absolute asserat: merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Div. Thomas absolute asserat: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se, impedit explicationem de perfectate constitutionis, vel perfectate formali per essentialem inclusionem Paternitatis in Deitate. Atqui hoc est contra Ill. Godoy *tom. disput. & num. citat.* asserentem: prædictam propositionem non esse per se perfectate constitutionis: ergo in ipsius doctrina falsum est ipsius argumentum. Sussumpta, & consequentia tenent. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia autem proba-

tur: ideo iuxta ipsum, quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui D. Thomas absolute asserit: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se: ergo, &c.

116
Retorq. 7.

Retorqueo septimò etiam ad hominem contra ipsum: quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: D. Thomas absolute asserit, quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum; sed hæc absoluta D. Thomæ assertio, non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est D. Thomæ, qui in *1. part. quest. 34. artic. 1. ad 3.* hæc habet: *Sic ergo uni soli personæ convenit dici, eo modo, quo dicitur Verbum, eo verò modo, quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet personæ convenit dici, Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius in scientia continetur, concipit Verbum, & sic tota Trinitas Verbo dicitur, & etiam omnis creatura.* Quæ verba adducit Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disput. 89. num. 36.* ad probandum ex Doctore Angelico: Verbum Divinum procedere per se ex cognitione Spiritus Sancti, ex ipsisque constat, D. Thom. absolute affirmare: quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum, quod est supra posita maior. Minor est Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disp. 91.* asserentis: Verbum Divinum non procedere per se ex cognitione futurorum, quod est explicare verba D. Thomæ absolute prolata.

117
Ab opposito
formatur
retorqio.

Formatur etiam ab opposito retorqio: quod Pontifex absolute asserat, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod D. Thomas asserat absolute, quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum, impedit explicationem de creaturis possibilibus, & futuris. Atqui hoc est contra Ill. Godoy *tom. 3. in 1. part. disput. 91. num. 2.* asserentem: Verbum Divinum non procedere per se ex cognitione futurorum: ergo in doctrina Ill. Godoy falsum est illius argumentum. Sussumpta cum consequentia tenent. Antecedens est ipsius.

Consequentia verò probatur : ideo iuxta ipsum, quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui D. Thomas absolute asserit, quod Pater, intelligendo omnes creaturas, concipit Verbum: ergo, &c.

118
Retorq. 8.

Retorqueo octavo argumentum etiam ad hominem contra ipsum: quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: Scriptura absolute asserit: gratiam habitualemente creati; sed hæc absoluta Scripturæ assertio non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia infertur. Maior est certa, & constat ex Psalms. 50: *Cor mundum crea in me Deus.* Ad Ephes. cap. 2. *Creati in operibus bonis.* Ad Galatas cap. 5. Et alibi sæpè. Minor est Ill. Godoy, negantis cum omnibus Thomistis: gratiam habitualemente creati, quod negare non poterat absque Scripturæ explicatione.

119
Formatur
ab opposito.

Ab opposito etiam formatur retorsio: quod Pontifex absolute asserat, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Scriptura absolute asserat: gratiam habitualemente creati, impedit explicationem de hoc, vel illo modo sumpta creatione. Atqui hoc est contra Ill. Godoy, sentientem cum omnibus Thomistis, gratiam habitualemente non creati: ergo falsum est illius argumentum. Sumpta, & consequentia tenent. Antecedens est ipsius. Consequentia autem probatur: ideo iuxta Ill. Godoy, quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui Scriptura absolute asserit: gratiam habitualemente creati: ergo, &c.

120
Retorq. 9.

Retorqueo nonò etiam ad hominem contra ipsum: quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probatur antecedens: Patres, de miraculis à Christo patratis loquentes, absolute asserunt: humanitatem solum concurrisse ad id, quod si-

bi proprium erat, nempe, ad externum motum, ad corporis contactum, ad verborum prolationem, &c. sed hæc absoluta Patrum assertio non impedit explicationem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy disput. 40. num. 97. ubi explicat auctoritatem Damasceni, absolute asserentis: humanitatem solum concurrisse ad id, quod sibi proprium erat, sine cuius explicatione defendere non poterat: humanitatem Christi phisicè instrumentaliter in effectus miraculosos influxisse.

Maior constat primò ex Div. Augustino tract. 8. in Ioan. post medium de miraculo facto in Cana Galilee, ita scribente: *Miraculum autem, quod facturus erat, non secundum infirmitatem; secundum quod Deus erat, non secundum quod id, quod infirmus natus erat.* *Miraculum ergo exigebat Mater: at ille tanquam non agnoscat viscera humana, operaturus facta Divina, tanquam dicens, quod de me facit miraculum, non tu genuisti, Divinitatem meam non tu genuisti, sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in Cruce.* Et tract. 91. in fine, assignat discrimen inter miracula, quæ fecerunt ceteri homines, & quæ fecit Christus: *Quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit: hæc autem ipse non illis facientibus fecit.* Ergo secundum August. illa natura in Christo miracula faciebat, quæ cum ceteris faciebat, ut facerent; sed sola natura Divina, non humana, faciebat, ut ceteri homines miracula facerent: ergo sola natura Divina, non humana, in Christo miracula faciebat.

Secundò ex D. Athanasio Orat. 4. contra Arrianos, sic aloquentem: *Certe cum necessitas requirebat, ut socrum Petri febrientem excitaret, humano quidem more manum extendit, Divinitus autem morbum compefcebat; & in cæco à natiuitate humanum è carne emittebat sputum, Divinitus autem oculos aperiebat per lutum. In Lazaro autem vocem quidem, ut homo edebat, Divinitus tamen, ut Deus eundem è mortuis excitabat.* Et infra: *Quemadmodum spuente illo, manumque extendente, & Lazarum evocante, non dicimus illa hominis esse miracula, etiam si per corpus consciebantur, sed Dei.* Quod autem per verba illa: *Etiam si per corpus consciebantur, non intelligat corpore cooperante ad substantiam*

121
Maior constat
primò
ex D. Aug.

122
Secundò ex
Athanas.

miraculorum, sed ad id tantum, quod proprium erat corporis, constat ex alio principio Patrum, quo docent: Christum hæc miracula per operationes humanitatis efficere, ut ostenderet, se veram humanitatem assumpsisse. *Ista autem eo modo facta sunt, inquit ibidem Athanasius eaque ratione adhibita, ne imaginarium, ac non verum corpus habere crederetur.* Ergo eo tantum sine humanas operationes adhiberi putant ad miracula patranda, ut vera humanitas ostendatur.

123
Tertiò ex
Cyrilo.

Tertiò ex Cyrilo Alexandrino de Incarnat. Homil. 8. in fine, acclamante: miracula in morte Christi facta fuisse virtute Verbi Divini. *Ut autem ostenderet, se nec passionis quidem tempore templo suo deesse, cum Iudæi ista contra Dominum molirentur, radios solares tanquam Deus extinxit, tenebras mundo infudit, velum templi excidit, petras rumpit, mortuos excitavit.* Hæc omnia ob id operatus est, ut scias, eum patienti adfuisse, & passiones quidem sibi appropriasse, ipsum verò impassibilem omnia operatum esse. Quod idem docuit Cyprianus Serm. de Cæna Domini in initio, his verbis: *Sed volebat pius Magister, cum iam damnationis suæ dictaretur sententia, & propè esset, ut figeretur in cruce, sua dare indicia potestatis, & qui animam Lazari revocaverat ab inferis, & quatruiduano mortuo reddiderat vitam, dignosceretur virtute Divina, non humana tantum opus patrassè.* Quam doctrinam confirmat etiam Sophronius in Epist. approbata in 6. Synod. act. 2.

124
Quartò ex
Damascen.

Deniquè ex Damasceno lib. 3. Fidei, cap. 15. dicente: *Quod autem à corpore percipitur, tactus est, & continentia, & facti veluti circumdatio, animæ verò veluti facti formatio, & figuratio, sic & in Domino nostro Iesu-Christo miraculorum virtus dignitatis ipsius fuit actio, manus impositio, medela, & velle, & dicere, volo, mundare, eius humanitatis fuit actio, & ab eius humanitate profectum, & res gesta fuit, panum fractio, & quod à leproso auditum, volo; at verò à Divinitate gestum panum multiplicatio, & leprosi mundatio.* Et infra, humanitatem unitam Verbo comparat ignito gladio, cuius etsi incisio, & combustio sit una composita actio, incisio tamen gladij, combustio ignis est propria: *Sic & in Christo Divinitatis eius Divina, & omnipotens actio, humanitatis autem eius ea, quæ secundum*

humanitatem operationis absolutio.

Explicans autem, quæ fuerit hæc humanitatis operatio, subdit: *Humanitatis quidem, quod tenuit puellam manu, & erexit; Divinitatis vivificatio: aliud enim hoc, aliud illud, etsi ab invicem inseparabiles sunt in vera Dei actione.* Et infra: *Neque enim vivificat Lazarum humana natura, neque lacrimatur Divina potestas, nam lacrimæ humanitatis propriæ, vivificatio autem hypostaticæ vitæ.* Et paulò post: *Nam Divina signa Divinitas operabatur, sed non sine carne, & caro humilia, sed non sine Divinitate.* Vbi eodem modo ait, Divinitatem operari, non sine carne, Divina; quo carnem, non sine Divinitate, humana; at caro non sine Divinitate sibi coniuncta, operabatur humana: ergo Divinitas, non sine carne sibi coniuncta, non autem substantiam miraculorum attingente, operabatur Divina.

125
Idem.

Et idem prosequens intentum, concludit his verbis: *Agit igitur Christus secundum utriusque naturam, & agit utraque in ipso natura, cum alterutris communicatione. Verbo quidem operante ea, quæ sunt Verbi, propter auctoritatem, & potestatem Divinitatis, quæcumque sunt præcipua, & regia, corpore verò absolvente, quæcumque sunt corporis munia, ad voluntatem Verbi, quod ipsi convititur, cuius & factum est proprium: ergo miracula à Christo patrata fuerunt virtute Divina facta, quin humanitas cõcurrisset ad aliud, quam ad id, quod sibi proprium erat.* Vera igitur est maior prædicta.

126
Idem.

Retorsio formatur etiam ab opposito: quod Pontifex absolute asserat: merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Patres absolute asserant: humanitatem Christi respectu miraculorum solum concurrisse ad id, quod sibi erat proprium, impedit explicationem de concursu instrumentali. Atqui hoc est contra Ill. Godoy disput. 40: ergo falsum est illius argumentum. Sufsumpta cum consequentia tenet. Antecedens est ipsius. Consequentia verò probatur: ideò iuxta ipsum, quod Pontifex absolute asserat, merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui Pa-

127
Formatur
ab opposito.

tres absolute asserunt : humanitatem Christi respectu miraculorum solum concurrisse ad id, quod sibi proprium erat: ergo, &c.

128

Retorq. 10.

Retorqueo decimò etiam ad hominem contra ipsum : quod Pontifex asserat absolute, merita Christi esse infinita, non tollit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Probat antecedens : absolute affirmat Scriptura, D. Stephanum fecisse miracula; sed hæc absolute affirmatio non impedit explicationem de influxu morali : ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior constat ex illis verbis Act. 6: *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo.* Minor est manifesta; alioquin phisicè instrumentalitèr saltim D. Stephanus fecisset miracula, quod est contra omnes Theologos.

129

Alitèr formatur.

Alitèr formatur retorsio : hoc verbum *facere* absolute prolatum importat influxum phisicum saltim instrumentalem iuxta Ill. Godoy *disput. 40. num. 12*; atqui Scriptura absolute asserit: D. Stephanum fecisse miracula : ergo phisicè saltim instrumentalitèr illa fecit, quod est contra ipsum, & omnes Theologos: ergo verbum *facere* in Scriptura repertum, & absolute prolatum, explicationem admittit : ergo explicationem admittere debent verba Pontificis absolute prolata: ergo explicari valent de infinitate ordinis, & negativa.

130

Ab opposito formatur retorsio.

Ab opposito etiam formatur retorsio : quod Pontifex absolute asserat: merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa: ergo quod Scriptura absolute asserat, D. Stephanum fecisse miracula, impedit explicationem de influxu morali. Atqui hoc est contra Ill. Godoy, & contra omnes Theologos: ergo in doctrina illius, & omnium Theologorum, falsum est argumentum. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens est ipsius. Consequentia verò probatur: ideò iuxta ipsum, quod Pontifex asserat absolute: merita Christi esse infinita, impedit explicationem de infinitate ordinis, & negativa, quia Pontifex absolute asserit, merita Christi esse infinita; atqui Scriptura absolute asserit; D. Stephanum fecisse miracula: ergo quod Scriptura absolute asserat:

D. Stephanum fecisse miracula, impedit explicationem de influxu morali.

Confirmantur retorsiones factæ: assertio non minus absoluta reperitur in retorsionibus à nobis factis, quam in verbis ab Ill. Godoy ex Clemente Sexto; sed absolute affirmatio in retorsionibus à nobis factis non impedit explicationem: ergo nec absolute affirmatio Pontificis impedit explicationem: ergo explicari valet de infinitate ordinis, & negativa. Vtraque consequentia est legitima. Maior est dictis apparet. Minor verò est omninò certa; alioquin teneretur Ill. Godoy tot opiniones mutare, quot sunt retorsiones in ipsum factæ.

Atquè hinc se se aperit: argumentum Ill. Godoy ex Pontifice deductum, nullam vim habere contra doctrinam Scoti; patitur namquè omnes retorsiones factas, & plures alias, quas in ipsum facere poteram. Si ergo ipse teneretur ad tot explicationes, quot sunt retorsiones formatæ, quam efficaciam habebit contra nos argumentum? Optima itaque est responsio data *num. 92.* Optima etiam est explicatio assignata *num. 97.* & si hæc non placent, respondeat ipse ad retorsiones, & erit ad suum argumentum nostra solutio.

s. IX.

Secundo argumento Ill. Godoy occurritur.

Arguit secundo *num. 17*: vis meritoria præmiorum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum arguit in actu valorem meritorium infinitum simpliciter; sed vis meritoria operationum Christi extendebatur ad præmia inæqualis perfectionis sine termino in infinitum: ergo valor meritorius illarum fuit infinitus simpliciter. Consequentia tenet.

Minor constat primò: nam eadem est vis operationum Christi sub ratione meriti comparatione ad præmia, ac sub ratione satisfactionis per respectum ad peccata; sed habuerunt vim satisfactoriam pro culpis inæqualis matitiæ sine termino in infinitum; alias timeri posset, ne culparum multitudine tandem consumerentur: ergo etiam habuerunt valorem meritorium præmiorum in perfectione inæqualium sine termino in infi-

131

Confirmantur retorsiones.

132

133

Arguit. 2

134

Minorem probat. 1.

Secundò.

nitum. Secundò: nam omnia præmia creata, etiam collectivè sumpta, non sunt tantæ æstimationis, quantæ sunt opera Christi propter conjunctionem ad Verbum: ergo vis illorum meritoria extenditur sine termino ad omnia præmia creata, vel creabilia, quæ inæqualis sunt perfectionis.

135
 Maiorem
 probat, I.

Maior autem ostenditur primò: vis productiva physica effectuum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, arguit entitatem, & actualitatem simpliciter infinitam; unde, quia omnipotentia huiusmodi vi gaudet, colligimus, esse entitatis, & actualitatis infinitæ simpliciter: ergo pariter: vis meritoria se extendens ad præmia inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, arguit valorem meritorium infinitum simpliciter. Sicut enim vis effectiva physica in entitate, & actualitate causæ fundatur, ita vis effectiva moralis, & meritoria fundatur in valore morali; & consequenter, si ex vi effectiva physica syncategorematicè infinita, arguitur in causa entitas simpliciter, & categorematicè infinita, ex vi effectiva morali infinita syncategorematicè, colligitur valor moralis actu infinitus simpliciter.

136
 Secundò.

Secundò probatur maior: etenim nec singuli effectus, nec omnes sumpti collectivè, possunt excedere perfectionem causæ, ipsos continentis perfectè; sed præmia, licet creata, sine fine multiplicabilia, sunt infinita simpliciter: ergo non possunt contineri moraliter in actu non habente valorem simpliciter infinitum; aliàs collectivè sumpta, causæ ipsos continentis perfectè excederent perfectionem; & consequenter vis meritoria præmiorum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum arguit valorem moralem simpliciter infinitum.

137
 Cōfirmatur

Explicatur, & vrgetur: nam æstimabilitas præmij non potest esse maior æstimabilitate meriti; sed præmia, quamvis finita, provt multiplicabilia sine termino, sunt infinitæ æstimabilitatis: ergo non possunt contineri in actu non gaudente æstimabilitate infinita; & consequenter valore meritorio infinito.

138
 Respondet
 quidam Scotista.

Respondet quidam Scotista negando maiorem, quia sufficientia extrinsecè, & extensivè infinita non est terminabilis, nec reducibilis ad ter-

minum, nequè ad determinatum numerum, cum numerus determinatus sit extrinsecè, & extensivè finitus. Cum ergo meritum Christi habeat hanc sufficientiam ad præmia syncategorematicè infinita, non debet esse simpliciter, & intrinsecè infinitum, sed sufficit, quod sit infiniti valoris extrinsecè, & extensivè, seu quod ratione alicuius circumstantiæ, seu personæ Divinæ, aut pacti, careat fine, & termino in ordine ad præmia.

Ad primam probationem maioris respondet negando consequentiam, & paritatem, quia vis effectiva physica effectuum continet in se, & ex natura sua ipsos effectus; at vis effectiva moralis non eos continet in se, & ex natura sua, vt patet in moneta, quæ non continet ex natura sua effectus, quos causat ex voluntate Principis; idcirco, licet Theologi inferant: Omnipotentiam Divinam esse infinitam, quia extenditur ad effectus syncategorematicè infinitos inæqualis perfectionis, non valet tamen inferre: merita Christi esse intensivè infinita, quia ad affectus syncategorematicè infinitos extenduntur; quia omnipotentia est causa physica, physice effectiva effectuum; merita verò sunt causa moralis, & ex Divina ordinatione; & consequenter, cum non contineant actu, & physice remissionem peccatorum, sicut Omnipotentia continet creaturas, non debent esse intrinsecè infinita, sicut Omnipotentia, sed tantum extrinsecè, & extensivè, quoniam infinitum syncategorematicum exceditur extensivè, & extrinsecè infinito.

139
 Ad 1. prob.
 maioris.

Ad secundam probationem negat minorem, & ad confirmationem distinguit minorem: præmia, quamvis finita, provt multiplicabilia sine termino, sunt infinitæ æstimabilitatis, potentialiter, & secundum quid concedit minorem; infinitæ simpliciter negat minorem, & distinguit consequens: ergo non possunt contineri in actu non gaudente æstimabilitate infinita, extrinsecè, & extensivè concedit consequentiam; infinita simpliciter negat consequentiam. Unde, vt meritum Christi gaudeat vi meritoria sufficiente ad præmia syncategorematicè infinita, non requiritur, quod contineat valorem simpliciter infinitum, sed sufficit, quod valor

140
 Ad 2. prob.
 & ad confirmat.

eius sit extensivè, & extrinsecè infinitus, idest, quod ratione alicuius circumstantiæ careat termino, & limitatione, sicut v.g. vt pecunia sufficiat ad emendum quascumque res, quantumvis in valore, & prætio crescerent, non requiritur, quod valor eius sit simpliciter infinitus, sed sufficit, quod ratione alicuius circumstantiæ, scilicet, personæ eminentis, vel pacti, sit infinitus, & extensivè in infinitum.

141
Fundamentum solutionis declaratur.

Hæc tamen solutio huius Scotistæ fundatur in eo, quod meritum ex se, & seclusa Dei acceptatione, non sit condignum ad præmia syncathegorematicè infinita, sed condignitatem ad illa habeat præcisè ex Divina acceptatione, quia nempe, sic acceptatur à Deo, ac si esset infinita, consequenterque infinitas merito competens ad præmia syncathegorematicè infinita non arguit in illo valorem simpliciter infinitum.

142
Reijcitur hæc responsio

Hæc doctrina maximè deprimit dignitatem meritorum, & satisfactionis Christi; ideòque reijcitur: hæc ratio supponit falsum, & nimis probat: ergo ruit. Probatur prima pars antecedentis: hæc ratio supponit, totam rationem meriti procedere à Divina acceptatione; sed hoc est falsum: ergo falsum supponit. Probatur minor prima: Divina acceptatio non tribuit operi condignitatem, quam ex se, seu in actu primo opus non habet; nec potest facere æquale id, quod secundum se æquale non est: ergo nec reddit satisfactionem puræ creaturæ condignam, & æqualem gravitati offensæ: ergo falsum est, totam rationem meriti procedere à Divina acceptatione. Secundo probatur eadem minor, & simul secunda pars antecedentis: si ratio meriti ex Divina acceptatione totaliter proveniret, probaret prædicta ratio: puram creaturam in statu puræ naturæ, & per opera merè naturalia potuisse de condigno satisfacere pro alienis peccatis; sed hoc est falsum: ergo prædicta ratio, & supponit falsum, & nimis probat. Maior videtur certa; nam opera merè naturalia potuisset Deus acceptare, sicut acceptavit opera Christi; quia in hoc nulla est implicancia. Minor claret; alioquin superflue supponeret Scotus, quod talis homo sit in gratia constitutus, & caput hominum in ordine gratiæ. Consequentia infertur.

Prob. min. Primò.

Secundò.

Probatur tertio prædicta minor: si ratio meriti ex Divina acceptatione totaliter proveniret, probaret etiam: potuisse puram creaturam satisfacere superabundanter, sicut ipse Christus; sed hoc est falsum: ergo falsum est, totam rationem meriti procedere à Divina acceptatione. Maior patet: nam potuisset Deus eius opera acceptare omnino, sicut opera Christi. Minor claret: quia Scotus concedit: nullam puram creaturam potuisse satisfacere superabundanter, sicut Christus, quia saltem eius opera non haberent condignitatem, quæ in Christo desumitur à supposito Divino. Consequentia est optima.

Vnde, hac solutione omiſsa, & in sua probabilitate relicta. Respondeo primò ad argumentum negando maiorem, ad cuius primam probationem respondeo primò concessio antecedenti negando consequentiam. Disparitas est: nam effectus sunt in eodem ordine cum virtute productiva eorum, ideòque ex infinitis effectibus perfectioribus, & perfectioribus arguimus infinitatem in Omnipotentia; at præmia non sunt eiusdem ordinis cum merito Christi, sed longè inferioris, ideòque ex infinitis præmijs perfectioribus, & perfectioribus, non arguitur infinitas simpliciter in merito; sed solum vis meritoria superioris ordinis, quæ sufficiat ad infinita præmia causanda, ratione cuius dicitur infinita in ordine, & negativè.

Doctrina hæc fundatur in regula illa Logicorum pro argumentis calculatorijs, scilicet, quod quando ascensus, vel gradatio fit per res eiusdem ordinis, seu per additionem virtutis ad virtutem in eodem ordine, calculatur virtus infinita, vt constat exemplo de portatione ponderis, quo vtitur Scotus in 2. dist. 3. quest. 10. §. ista opinio; nam si posse portare simul plura pondera, concludit maiorem virtutem, posse simul portare infinita, concludit infinitam virtutem. Cæterum quando ascensus, vel gradatio fit per res diversi ordinis, seu non fit per gradum ad gradum eiusdem ordinis, sed transcenditur ex vno ordine ad alium, non calculatur virtus infinita, quia totus effectuum possibilium processus non excedit finitam virtutem causæ superioris ordinis. Cum ergo præmium non sit eiusdem ordinis

Tertio.

143
Respond. 1. ad argum. Et ad 1. probat. maioris

144
Firmatur solutio.

cum merito Christi, non claudit virtutem infinitam simpliciter in merito, sed solum infinitatem ordinis, seu negativam.

145
Roboratur
Solutio.

Imò hac doctrina utimur ad dicendum, quod visio omnium possibilium non esset infinita cognitio, ideoque non repugnare: beatum videre omniaabilia. Similiter ad asserendum: quod species impræssa non esset infinita, consequenterque esse possibilem, ut in proprijs dictum est locis. Et ne videatur, nos tantum hac uti doctrina, ipse Ill. Godoy, & omnes Theologi cum illo debent à fortiori ea uti, ne dicant: quod ad videndum Deum requiritur visio infinita, & lumen infinitum, ut in hoc claret argumento. Ad videndum aliquod obiectum requiritur aliqua virtus: ergo ad videndum obiectum perfectius virtus perfectior: ergo ad videndum obiectum infinitum infinita virtus. Respondeat Ill. Godoy, & erit nostra solutio, nam quomodocumque respondeat, semper itabit contra rationem, quam nobis in præsentì obijcit.

146
Exemplis
ad homin.
firmatur
Solutio.

Denique hac doctrina utitur Hurtadus *disput. 11. sect. 3. §. 25.* ubi inquit; quod si homo contineret formaliter, aut eminentè omnia animalia irrationalia sub ipso possibilem; non propterea esset animal infinitum, quia in ratione animalis haberet principium, & finem, & quia in ratione talis includit multas imperfectiones essentielles. Sic similiter nos dicimus de merito Christi: nam licet contineat moraliter effectus sine termino, adhuc non est simpliciter infinitum, quia includit aliquas imperfectiones in ratione meriti ex alijs capitibus, scilicet, ex bonitate, & intensione finita actus, & alijs.

147
Respond. 2.
ad 1. prob.
maioris.

Respondeo secundò ad primam probationem distinguendo antecedens: vis productiva phisica effectuum inæqualis perfectionis sine termino in infinitum, arguit entitatem, & actualitatem simpliciter infinitam, quando effectus sunt eiusdem ordinis cum causa concedo antecedens; quando sunt diversi ordinis nego antecedens; distinguo similiter consequens, & assumptam, & nego consequentiam. Solutio claret in Sole, qui continet effectus inæquales sine termino, & non est infinitus, quia non sunt eiusdem ordinis cum illo. Sic similiter in

præsentì, quia præmia, ad quæ vis meritosa se extendit, sunt diversi ordinis, & longè inferioris à merito Christi.

Ad secundam maioris probationem respondeo negando minorem, quam non probat Ill. Godoy. Ad confirmationem, vel concedo totum, quia infinitatem simpliciter (de qua loquimur) non infert; vel concessa maiori, distinguo minorem: præmia, licet creata, sine fine multiplicabilia, sunt infinita simpliciter, potentialiter, & secundum quid concedo minorem; simpliciter nego minorem, & distinguo consequens: ergo non possunt contineri moraliter in actu non habente valorem simpliciter infinitum, in infinitate simpliciter, vel in ordine concedo consequentiam; infinitate simpliciter præcisè nego consequentiam. Solutio claret ex dictis.

Contra utramque tamen solutionem, quam assignavimus ad primam maioris probationem, multipliciter replicat Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disput. 3. à num. 8.* quæ contra præsentem faciunt disputationem. Et primò sic: nam estò infinita ordinis inferioris nequeant phisicè adæquare rem aliquam ordinis superioris; in illa tamen, nisi phisicè sint infinita, phisicè efficienter contineri non possunt; aliàs ex continentia effectuum sine termino in Omnipotentia Divina non colligeretur eius infinitas, sed solum, quod esset in superiori ordine ad omnem rem creabilem constituta: ergo estò infinita ordinis inferioris in genere moris nequeant adæquare id, quod existit in ordine superiori; in illo tamen moraliter effectivè contineri non poterunt, nisi in tali genere sit infinitum. Atqui meritum condignum ad præmia syncategorematicè infinita continet effectivè moraliter præmia sine termino in infinitum: ergo non solum est ordinis superioris ad præmia; sed etiam est in genere moris simpliciter infinitum.

Replicat secundò: nam ex nostra solutione sequitur, quod etiam si peccatum mortale sit in ratione offensæ moraliter infinitum, non requiratur in satisfactione condigna pro illo, quod infinita sit in genere moris, sed solum, quod in superiori ordine sit constituta. Consequens est contra omnium Theologorum sententiam, nu-

148
Ad 2. prob.
maioris, &
ad confirm.

149
Replicat 1.
Ill. Godoy.

150
Replicat 2.

Illo excepto (ait Ill. Godoy) quem viderim : ergo solutio tradita est insufficientis. Patet sequela: res ordinis inferioris, etiam si infinita sit, non potest in perfectione constitutum in ordine superiori quamvis finitum sit adæquare, v.g. albedo, estò infinite intendatur, si hoc sit possibile, non adæquabit perfectionem gratiæ finitæ, quia gratia in superiori ordine est : ergo etiam si offensa mortalis sit moraliter infinita, non adæquabit dignitatem meriti Christi finitum, semel dato, quod in superiori ordine sit, & consequenter, si ex eo, quod res ordinis inferioris non adæquet perfectionem rei ordinis superioris, infertur, posse in illa contineri meritorie moraliter, estò offensa infinita sit gravitatis, poterit meritum Christi esse condignum pro illa, quamvis finitum sit in morali estimatione, pro hoc solum, quod in superiori ordine collocetur.

151
Tertio.

Tertio replicat : nam etiam si actus supernaturales sint ordinis superioris ad omnem entitatem naturalem, & ad omne præmium naturale entitative, non sequitur, vnum actum supernaturalem esse condignum meritum præmij naturalis sine termino: ergo sola superioritas ordinis non sufficit ad continentiam moralem syncategorematicè infinitam rerum existentium in ordine inferiori.

152
Quarto.

Replicat quarto: nam vt actio aliqua sit ex se, & ex natura sua condigne meritoria præmij, debet tanti æstimari, & amari, quanti præmium æstimatur, & amatur; sed præmia syncategorematicè infinita sunt digna amore sine termino, & syncategorematicè infinito : ergo solum illud opus erit de se, & ab intrinseco meritum condignum præmiorum syncategorematicè infinitorum, quod de se, & ab intrinseco sit infinito amore dignum, & æstimatione infinita, & consequenter, quod sit infinitum in morali æstimatione.

153
Quinto.

Replicat denique: nam estò in phisicis res ordinis inferioris nequeat adæquare id, quod in superiori ordine constitutum existit, in moralibus autem hoc vniversaliter non est verum: ergo dum valor meritorius operationum Christi infinitus simpliciter non constituitur, poterit præmiorum multitudine, quamvis inferioris ordinis sint, moraliter adæquari, &

consequenter extingui. Probat antecedens : nam licet in phisicis species inferior adæquare nequeat speciem superiorem, in moralibus autem id potest contingere quantum ad valorem, & æstimationem moralem, vt constat in actibus Misericordiæ, & Iustitiæ, qui specificè inferiores sunt ad actum Charitatis, & tamen plures actus repetiti Misericordiæ, & Iustitiæ, vel actus intensi, vt vinginti, adæquare, imò & excedere, possunt in valore meritorio vnum actum Charitatis; peccatum etiam Charitati oppositum est gravius specificè peccatis oppositis alijs virtutibus; & tamen peccata alijs virtutibus à Charitate opposita, sæpius repetita, vel intensissimo conatu patrata, adæquare, & excedere possunt in gravitate demeritoria vnum peccatum contra Charitatem commissum.

Hæc tamen non obstant. Ad primam itaque replicam respondeo concessio antecedenti, negando consequentiam, cuius disparitas claret ex dictis numer. 143. cum seqq. ex ibique dictis distinguo sumpsit: meritum condignum ad præmia syncategorematicè infinita continet effectivè moraliter præmia sine termino in infinitum, quæ sunt diversi ordinis cum merito concedo minorem; quæ sunt eiusdem ordinis cum illo nego minorem, & consequentiam; Imò hac distinctione distingui possunt antecedens, & consequens huius replicæ.

Instabis pro Ill. Godoy: si ex continentia effectuum infinitorum non arguitur infinitas in causa, quando effectus sunt diversæ rationis, non bene colligimus infinitatem Omnipotentia; sed hoc est falsum: ergo ex continentia effectuum infinitorum arguitur infinitas in causa, etiam si effectus sint diversæ rationis. Maiorem probat: quia effectus contenti in Omnipotentia sunt etiam diversi ordinis: ergo, &c.

Respondeo distinguendo antecedens: effectus contenti in Omnipotentia sunt etiam diversi ordinis, & requirunt in Omnipotentia virtutem supræmi ordinis, vt adæquatam vim productivam illorum concedo antecedens; & non requirunt in Omnipotentia virtutem supræmi ordinis, vt adæquatam vim productivam illo-

154
Respondeo
ad 1. replicam

155
Instabis.

156
Respondeo.

rum nego antecedens. Itaque tunc solum arguitur infinita virtus in causa, quando effectus infiniti in illa contenti sunt in eodem ordine cum causa, vt convincit exemplum de portatione ponderis; vel si sunt diversi ordinis, requirunt in causa virtutem superæmi ordinis, vt adæquatam vim productivam illorum, & hæc est ratio colligendi infinitatem in Omnipotentia.

157 Ad rem igitur: ex duplici tantum capite potest argui infinitas in merito Christi. Primò ex eo, quod contineat merita Iustorum sine termino. Et ex hoc non; quia merita prædicta sunt merita puræ creaturæ, quæ sunt diversi ordinis, & longè inferioris. Secundò ex eo, quod sufficiat ad causanda præmia infinita, & nequè ex hoc. Tum: quia merita sunt diversi, & inferioris ordinis. Tum etiam: quia non postulant meritum Christi, vt adæquatam vim productivam illorum, sed vt longè excedentem.

158 Ad 2. repli-
cam.
Ad secundam replicam respondeo concedendo assumptum, & miror Ill. Godoy dixisse: esse contra omnium Theologorum sententiam, nullo excepto, quem viderit, nam vltra hoc, quod id nos debemus asserere, & ex dictis asserimus, ex ipso contra ipsum probo, transcribendo verba ipsius. Ipse namquè tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 9. Sic probat assumptum prædictum: *Res ordinis inferioris, etiam si infinita sit, non potest in perfectione constitutum in ordine superiori, quamvis finitum sit, adæquare, v. g. albedo, estò infinitè intendatur, si hoc sit possibile, non adæquabit perfectionem gratiæ finitæ, quia gratia in superiori ordine est: ergo etiam si offensa mortalis sit moralitèr infinita, non adæquabit satisfactionem Christi finitam, semel dato, quod in superiori ordine sit.* Hæc Ill. Godoy, & ego non ampliùs, quia ipse fatetur, & probat, quod ipse dixit, in nullo vidisse.

159 Ad 3.
Ad 4.
Ad tertiam respondeo, negando antecedens, si ille actus supernaturalis habet omnia requisita ad meritum, de quibus D. Augustinus tract. de Merito Christi. Ad quartam distinguo minorem: sed præmia syncreticè infinita sunt digna amore sine termino, & syncreticè infinito, extensivè concedo minorem; intensivè nego minorem, &

distinguo similiter consequens, quia cum extensiva infinitate stat finitas intensiva.

Respondeo deniquè ad quintam concessio antecedenti, negando consequentiam. Ratio est: nam tunc solum res inferioris ordinis possunt adæquare moralitèr rem superioris ordinis, quando excessus non est valdè notabilis, vt claret in exemplis ab Ill. Godoy adductis, & à nobis traditis tom. 1. in 3. sent. disput. 2. num. 74. Ast, quando excessus est valdè notabilis, nequeunt res inferioris ordinis adæquare moralitèr rem superioris ordinis, vt patet de infinitis peccatis venialibus respectu mortalis. Cum ergo ita sit in præsentì, nunquam meritum Christi poterit adæquari, vel extinguì multitudinem præmiorum.

Et vt hæc doctrina appareat certa, retorqueo primò argumentum contra Ill. Godoy: vnum infinitum ordinis superioris excedit plura infinita ordinis inferioris, imò & infinita ordinis inferioris sine termino in infinitum: ergo paritèr: vnum finitum superioris ordinis excedere poterit plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum; & consequenter quamvis meritum Christi sit moralitèr finitum, per hoc solum, quod superioris ordinis sit ad præmium, poterit excedere in morali æstimatione multitudinem præmiorum sine termino in infinitum; ac proindè tali multitudine exhaustiri numquam poterit. Consequentia teneri videtur à paritate rationis. Antecedens autem probatur: etenim in sententia Ill. Godoy, offensa irrogata à Deo est infinita moralitèr, & tamen quia meritum Christi est in superiori ordine, & in illo ordine infinitum simpliciter, vna actio Christi Domini est superabundans satisfactio pro omnibus peccatis hominum, & si in infinitum multiplicentur: ergo vnum infinitum ordinis superioris excedit infinita ordinis inferioris, sine termino in infinitum.

Respondet Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 13. concessio antecedenti, negando consequentiam. Ratio discriminis est: nam eo ipso, quod actio aliqua sit infinita simpliciter in ratione meriti, & in ratione satisfactionis, debet habere virtutem meri-

160
Ad 5.

161
Retorq. 1.
argum.

162
Respondet
Ill. Godoy.

toriam omnis præmij possibilis, & satisfactoriam pro omni possibili offensa; aliàs non erit infinita simpliciter, sed solum secundum quid. Cum ergo meritum Christi sit in ratione meriti simpliciter infinitum, sit consequens, ut æquivalet infinitis infinitæ multitudini peccatorum; quod autem finitum est, estò in superiori ordine constituatur, non potest non habere virtutem meritoriam, & satisfactoriam finitam; vnde sicut hac ratione non potest extendi ad præmia sine termino promerenda, etiam si inferioris ordinis sint, ita nec extendi potest ad satisfaciendum pro offensis sine termino in infinitum, nec illis æquivalere in morali æstimatione, quamvis offensæ inferioris ordinis sint.

163
Contra 1.

Contra primò: vnum finitum ordinis superioris excedere potest plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum; ergo tenet paritas, & consequenter solutio data est nulla. Probatur antecedens: plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum, non sunt plusquam infinitum; sed vnum finitum ordinis superioris potest excedere infinitum ordinis inferioris: ergo, &c. Consequentia est evidens. Maior notoria videtur; quia non est aliud vltra infinitum. Minor, in qua potest esse difficultas, concessa habetur ab Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disput. 3. numer. 9. ut patet ex dictis numer. 150.

164
Contra 2.

Contra secundò: multiplicatio infinitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum non obest, ut vnū infinitum ordinis superioris excedat omnia illa infinita: ergo multiplicatio finitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum non obest, ut vnum finitum ordinis superioris excedat omnia illa finita. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia probatur: ita se habet respectu vnus infiniti ordinis superioris multiplicatio infinitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum, ac respectu vnus finiti ordinis superioris multiplicatio finitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum, ut liquet ex terminis; sed iuxta concessa multiplicatio infinitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum, non obest, ut vnum infi-

nitum ordinis superioris excedat omnia illa infinita: ergo, &c.

Contra tertio, & vrgetur: ita se habet infinitum ordinis superioris respectu infiniti ordinis inferioris, ac finitum ordinis superioris respectu finiti ordinis inferioris; atqui quantumvis multiplicentur infinita ordinis inferioris, exceduntur ab infinito ordinis superioris: ergo quantumvis multiplicentur finita ordinis inferioris exceduntur à finito ordinis superioris: ergo vera est paritas retorsionis factæ, scilicet, quod si vnum infinitum ordinis superioris excedit plura infinita ordinis inferioris, imò & infinita ordinis inferioris sine termino in infinitum; etiam vnum finitum ordinis superioris excedere potest plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum.

165
Contra 3.

Retorqueo secundò contra Ill. Godoy: quia peccatum mortale est in ordine superiori ad peccatum veniale, non possunt peccata venialia, etiam si infinite multiplicentur, adæquare gravitatem vnus peccati mortalis: ergo eo ipso, quod offensa mortalis sit in ordine inferiori ad meritum Christi, non poterunt omnes offensæ mortales, etsi in infinitum augeantur, adæquare in gravitate dignitatem vnus actus meritorij Christi; & consequenter, ut vna gutta Sanguinis Christi, & vna Christi operatio, æquivalet offensis mortalibus sine termino in infinitum, & ut multitudine peccatorum exhauriri numquam possit, non est necessarium, quod meritum Christi sit infinitum simpliciter, sed sufficit, quod in superiori ordine sit constitutum respectu offensæ mortalis.

166
Retorq. 2.

Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disput. 3. num. 17. responderet negando causalem maioris, ut adæquatam: nam bonum famæ superioris ordinis est ad bona fortunæ, & tamen possunt bona fortunæ adeò crescere, adeoque multiplicari, ut excedant in morali æstimatione bonum famæ vnus hominis; & actus Misericordiæ, & Iustitiæ respectu actus Charitatis inferior est specificè, & tamen potest actus Misericordiæ adeò intendi, ut in ratione meriti actum Charitatis excedat in sententia non alligante præmium essentialis beatitudinis solis actibus Charitatis;

167
Respondet
Ill. Godoy.

& furtum, v. g. quod respectu odij Dei est inferius specificè, potest adeo ex alijs capitibus crescere, vt odium Dei in ratione demeriti excedat: quod ergo omnia peccata venialia nequeant adæquare in morali æstimatione vnum peccatum mortale, non est præcisè, quia peccatum mortale est in ordine superiori, sed quia peccatum veniale, vt potè, levis offensa, non potest adeo crescere intensi-
one, aut multitudine, vt Deo displiceat simpliciter, sed tantum secundum quid; & consequenter remanens intra limites peccati venialis, non potest tollere gratiam, nec amicitiam Diuinam; alias transiret ad rationem peccati mortalis; peccatum autem mortale simpliciter displicet Deo, & peccata mortalia sine termino in infinitum displicent infinite simpliciter, ideòque obsequium infinite simpliciter non placens, & non placens sine termino, non potest æquivalere offensis mortalibus sine termino in infinitum. Ex quo fit, vt nisi meritum Christi sit placens Deo infinite simpliciter, & consequenter simpliciter infinitum in morali æstimatione, esse non possit condignum pro culpis mortalibus sine termino in infinitum, nec illis æquivalere.

168
Contra.

Contra: ideò iuxta solutionem non possunt peccata venialia, etiam si infinite multiplicentur, adæquare gravitatem vnius peccati mortalis, quia peccatum veniale, vt potè, levis offensa, non potest adeo crescere intensi-
one, aut multitudine, vt Deo displiceat simpliciter. Sussumo nunc: atqui hic est excessus valdè notabilis inter peccatum veniale, & mortale: ergo ideò non possunt peccata venialia, etiam si infinite multiplicentur, adæquare gravitatem vnius peccati mortalis, quia inter peccatum veniale, & mortale est excessus valdè notabilis. Sussumo iterum: atqui hæc est nostra solutio numer. 160. tradita ad replicam quintam Ill. Godoy: ergo vera est nostra solutio, falsa replica illius.

169

Solum itaque restat ad efficaciam huius replicæ, & totius nostræ doctrinæ contra Ill. Godoy, quod inter meritum Christi, & offensam, sit excessus valdè notabilis, quod ipse negare non potest: nam iuxta ipsum asserentem: Christi meritum, & offensam esse simpliciter infinitam, ita infinita offensa

ditat ab infinito merito Christi, quod etiam si infinite multiplicentur offensa, nunquam possunt adæquare valorem meriti Christi; hic namquè semper est in superiori ordine, & superabundans pro omnibus offensis hominum. Si ergo hoc asserit Ill. Godoy consequenter ad illius principia; ad nostra etiam consequenter asserimus: ita finitam offensam distare à finito merito Christi, quod etiam si in infinitum multiplicentur offensa, nunquam adæquare valemus valorem meriti Christi, quia semper hic est in superiori ordine, & superabundans pro omnibus offensis hominum; datur enim inter meritum Christi, & offensam excessus valdè notabilis, vt ex dictis claret.

Retorqueo tertio: etsi meritum Christi sit simpliciter infinitum, potest adæquari, imò excedi, à multitudine offensarum: ergo nec superabundans erit, nec condignum, contra ipsum, & omnes. Probatur antecedens: res inferioris ordinis possunt adæquare, imò excedere, rem superioris ordinis; sed offensa sunt tantum inferioris ordinis respectu meriti Christi: ergo, &c. Maior traditur ab Ill. Godoy tom. 1. citat. num. 11. ab ipsoque tam numer. citat. quàm numer. 17. exemplis probatur. Minor est evidens. Consequentia sine dubio legitima. Respondeat ipse, & pro nobis contra se respondebit.

§. X.

Solvitur tertium argumentum Ill. Godoy ex D. Thomæ deductum.

Arguit tertio Ill. Godoy num. 21. a ratione D. Thomæ quodlib. 2. quest. 2. artic. 2. Animadvertendo primo, in operationibus Christi coincidisse rationem meriti, & rationem satisfactionis, vt loquendo in particulari de Passione Christi Domini docet D. Thom. infra quest. 48. artic. 1. & 2. Advertendo secundo, rationem meriti non esse eandem formaliter cum ratione satisfactionis; hæc enim respicit malum personæ offensa, vt repellendum; meritum vero respicit bonum merentis, vt à Deo consequendum, vnde dicimur Deo pro nobis satisfacere, nobisque mereri à Deo, vel apud Deum.

Animadvertendo tertio: valorem satisfactorium sumi ex dignitate personæ satisfaciens, & valorem meri-

170
Retorq. 3.

171
Arguit. 3.

172

torium sumi ab ipsius sanctitate. His positis, sic arguit: Sanctitas personæ operantis dat operi valorem meritorium: ergo infinita sanctitas infinitum dat valorem; sed sanctitas Christi Domini infinita est in ratione sanctitatis; fuit enim illius humanitas reddita infinite Sancta à sanctitate unionis substantialis, ut tract. 5. disp. 21. docuisse fateretur Ill. Godoy: ergo illius operationes fuerunt valoris meritorij simpliciter infiniti, sicut sanctitas humanitati præstita à Divinitate, infinita fuit simpliciter in ratione sanctitatis.

173
Respond. 1.
ad argum.

Respondeo primò ad argumentum, distinguendo antecedens: Sanctitas personæ operantis dat operibus valorem meritorium arithmetice, seu ad æqualitatem nego antecedens; geometricè, & secundum proportionem concedo antecedens, & nego consequentiam. Itaque licet certum sit, sanctitatem personæ operantis dare operibus valorem meritorium; falsum tamen est, quod illis det talem valorem ad æqualitatem; sicut licet certum sit, dignitatem personæ satisfaciens tribuere valorem satisfactorium; falsum tamen est, quod tribuat talem valorem ad æqualitatem, ut diximus tom. 1. in 3. sent. disput. 3. §. 7. Unde sicut hæc propositio est falsa: *Persona satisfaciens est simpliciter infinita: ergo etiam satisfactio*; ita est falsa ista: *Sanctitas personæ merentis est infinita simpliciter: ergo etiam meritum*. Hic enim modus arguendi non infert infinitatem, sed tantum dignitatem in ordine superiori ex dictis.

174
Ratio solutionis.

Ratio huius est, quia sicut valor satisfactorius non oritur ex sola personæ dignitate, sed etiam ex alijs circumstantijs, scilicet, ex intensione operis, libertate, duratione, loco, obiecto, & alijs; ita valor meritorius non oritur ex sola sanctitate personæ merentis, sed etiam ex alijs circumstantijs, nempe, ex bonitate actus, ex illius intentione, & alijs; atqui hæc sunt finita, & limitata: ergo limitationem causant in opere: ergo opus ab his omnibus egrediens non est simpliciter infinitum. Maior, & minor sunt certæ. Secunda consequentia legitima. Prima verò claret ex regula illa, quam posuimus num. 9. pro prima probatione. Quod autem contra hanc solutionem replicare potest Ill. Godoy, solu-

tum manet à nobis tom. 1. in 3. sentent. disput. 3. §. 7.

Respondeo secundò ad argumentum, omisso antecedenti cum consequentia, negando minorem; falsum namque est, quod sanctitas Christi Domini sit infinita in ratione sanctitatis, quia falsum est, quod illius humanitas sit Sancta à sanctitate unionis substantialis, ut docuimus tom. præcedent. disput. 21. Et quando per gratiam unionis esset Sancta humanitas Christi, falsum est, quod ab illa reddatur infinite Sancta, ut ibi etiam docuimus, & totum patet per dicta à num. 73. usque ad 89. ex quibus validæ retorsiones contra Ill. Godoy formatæ manent.

175
Respond. 2.

Ill. Godoy num. 91. probat: operationes Christi infinitas fuisse in ratione meriti, ad quod adducit argumentum ex Clemente Sexto, quod §. 7. manet solutum, & §. 8. retorsum. Ratione autem idem probat numer. 92. Sed quia probatio procedit ex suppositione, quod meritum Christi sit infinitum in ratione valoris, quod apud nos esse falsum, constat ex dictis, ideo probationem illius omitto, & per oppositum ostenditur, meritum Christi in ratione meriti non esse infinitum. Nec amplius est immorandum ob dicta §. 1. præsertim num. 6.

176

§. XI.

Infinitas operationum Christi in ratione valoris, & meriti declaratur.

Secunda conclusio: *Operationes Christi in esse valoris, & in esse meriti, fuerunt infinitæ secundum quid tantum, scilicet, infinitate ordinis, & negativa*. Ita Scotus citat. num. 7. Et ostenditur primò: operationes Christi Domini in esse valoris, & in esse meriti, fuerunt infinitæ, ut num. 3. supposuimus cum Scriptura, Patribus, & Concilijs; atqui non fuerunt infinitæ infinitate simpliciter, & positiva, ut vniuersæ dicta convincunt: ergo fuerunt infinitæ infinitate ordinis, & negativa. Tunc sic; sed hæc est infinitas secundum quid: ergo Christi operationes in esse valoris, & in esse meriti, fuerunt infinitæ secundum quid tantum.

177
2. Conclusio

Probat. 1.

Probatur secundò conclusio: cum infinitate tantum in ordine stat in merito Christi, tum, quod non possit

178
Probat. 2.

excogitari aliud meritum maius; tunc etiam, quod habeat valorem ad quod cumque præmium excogitabile: ergo Christi operationes in esse valoris, & meriti, fuerunt infinitæ secundum quid tantum. Probatur antecedens: cum infinitate tantum in ordine in merito Christi, meritum Christi est infinitum ex circumstantia personæ operantis; sed nequit excogitari alia persona maior: ergo, &c.

179
Probat. 3.

Probatur tertio: ex quolibet excessu infinitarum rerum non semper deduci debet in excedente infinitas simpliciter, sed aliquando deducere solum valet excellentiam gradus superioris, quem nunquam res inferiores attingere possint: ergo similiter: ex excessu meriti Christi respectu meritorum infinitorum creaturarum, non valet deducere in merito Christi infinitatem simpliciter, sed solum excellentiam gradus superioris, quem nunquam merita aliorum attingere possint. Consequentia paritate videtur certa. Antecedens verò probatur: ex eo, quod Angelus excedat infinitas naturas imperfectiores sub se possibles, non valet inferre in Angelo infinitatem simpliciter, sed tantum perfectionem superioris ordinis, nunquam attingibilem à rebus ordinis inferioris: ergo, &c.

180
Probat. 4.

Denique probatur conclusio: meritum non arithmetice, seu ad æqualitatem, sed geometricè tantum, seu quoad proportionem, crescit ad dignitatem personæ operantis, vel ad sanctitatem personæ operantis: ergo ex infinitate simpliciter personæ, vel sanctitate personæ operantis, non inferitur in merito infinitas simpliciter, & positiva: ergo solum valet inferre infinitatem secundum quid, & negativam, scilicet, excellentiam superioris ordinis, ita, ut nequeat dari maius meritum ex circumstantia personæ, vel sanctitate personæ operantis. Probatio claret ex dictis num. 143. & seqq.

181
Argues I.
pro Ill. God.

Contra hanc tamen conclusionem argues primò pro Ill. Godoy: persona Verbi (idem est de illius sanctitate iuxta ipsum) præstat merito Christi infinitatem in ordine; sed eadem est ratio præstandi infinitatem in ordine, ac infinitatem simpliciter: ergo non solum præstat merito Christi infinitatem in ordine, sed etiam infinitatem simpliciter. Probatur mi-

nor: ideo persona Verbi præstat merito Christi infinitatem in ordine, quia persona Verbi est superioris ordinis; sed etiam est simpliciter infinita: ergo eadem est ratio præstandi infinitatem in ordine, ac infinitatem simpliciter.

Respondeo negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: ideo persona Verbi præstat merito Christi infinitatem in ordine, quia persona Verbi est superioris ordinis, præcisè nego maiorem; quia est superioris ordinis, & quia ad præstandam infinitatem in ordine sufficit concursus alicuius, qui sit in supremo ordine concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia ad præstandam infinitatem simpliciter effectui, non sufficit (si plures sint causæ) quod vna sit infinita, ut claret ex prima primæ conclusionis probatione posita num. 9.

Argues secundò pro eodem: persona Verbi non est minus ex se potens dare infinitatem simpliciter, quam infinitatem in ordine; sed ex parte operationis meritoria nulla est ratio assignabilis, cur vnum, & non aliud, participet: ergo meritoria Christi operatio non solum est infinita in ordine, sed etiam infinita simpliciter. Respondeo negando minorem ob rationes nostræ primæ, & secundæ conclusionis, præcipue ob primam positam num. 9. vbi ostendimus: effectum non posse esse simpliciter infinitum, si ad illum principia finita concurrant, licet aliquod cum illis infinitum concurrat.

Replicabis pro Ill. Godoy: limitatio cuiuscumque principij, ad meritum Christi concurrentis, non impedit infinitatem simpliciter in merito illius: ergo ruit nostra solutio. Probatur antecedens: principium quodcumque limitatum, ad meritum Christi concurrens, non solum est finitum, sed etiam est inferioris ordinis ad personam operantem; sed inferioritas principij non obest, quominus persona operans, quia superioris ordinis est, tribuat illi infinitatem in ordine: ergo limitatio cuiuscumque principij, ad meritum Christi concurrentis, nequit obtare, quin persona operans, quia infinita simpliciter est, infinitatē simpliciter merito tribuat.

Respondeo negando antecedens,

182

Respondetur.

183

Argues 2.

Respondeo.

184

Replicabis.

185

Respondeo. ad cuius probationem, concessis præmissis, nego consequentiam; nam non est eadem ratio ad communicandam infinitatem in ordine, ac ad communicandam infinitatem simpliciter, ut diximus *num. 182.* & patet etiam hæc ratio: nam quod est inferioris ordinis, potest absque contradictione elevari ad ordinem superiorem, ut claret in intellectu creato, qui lumine gloriæ elevatur ad ordinem supernaturalem. Cæterum finitum ob ipsam rationem finitatis nequit absque contradictione elevari ad esse infinitum.

Ex dictis in discursu disputationis colligitur: Christum non plus me-

ruisse, quam Deus præmiare possit. Hoc corollarium adducit Ill. Godoy *num. 145.* Est tamen hæc differentia: quod corollarium est in nostra doctrina manifestum; in doctrina tamen Ill. Godoy est aperte falsum. Rationes pro utroque declaravimus à *num. 47.* & responsionem ipsius reiecimus à *num. 49.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in *3. dist. 18. §. 1.* illis verbis: *Meruit quidem Redemptionem à Diabolo. Et dist. 19. §. 2. ad illa verba: Factus est igitur mortalis, ut moriendo Diabolum vinceret.*

Christum non plus meruisse, quàm Deus præmiare possit.

186
Infertur,

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA SEXTA.

An, ut Christus suis meritis Deum ad remunerandum ex Iustitia obligaret, promissione, aut pacto indigerit?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ.

Num. 1
Supposit. 1.

Qua in re supponimus primò: Opera meritoria posse dupliciter considerari. Primò quatenus habent præcisè condignitatem ad præmium. Secundò quatenus ultra condignitatem ad præmium, habent vim obligandi Deum ad tale præmium retribuendum. Si primo modo considerentur, certum est, quod opera meritoria ex se independentè ab vlla acceptatione, promissione, vel pacto, sunt meritoria, & condigna. Si verò secundo modo considerentur, dubium est: An talia opera promissione, acceptatione, vel pacto indigerint, ut Deum obligent, ad præmium ex iustitia retribuendum. Vndè aliud est, opus esse dignum aliqua mercede, seu præmio, & aliud, quod operi debeat ex iustitia merces, & præmium. Primum est, opus esse dignum præmio, dignitate æqualitatis, seu proportionis cum præmio. Secundum est, opus esse dignum præmio, dignitate iustitiæ. De primo non est dubium. De secundo autem procedit difficultas, An, scilicet, ad hoc, ut opus sit dignum præ-

mio, dignitate iustitiæ, requiratur promissio, pactum, vel acceptatio?

Supponimus secundo: quod duplex est acceptatio. Vna habitualis, & alia actualis. Acceptatio habitualis est per gratiam habitualem, quæ principaliter dignificat personam, illi formaliter inhærendo, & concomitantè dignificat opus personæ. Acceptatio actualis est, quæ dicitur pactum, vel promissio, & ad differentiam habitualis, non super personam, sed super actum ipsius cadit immediatè. Hanc duplicem acceptationem expressè docuit Scotus in *1. distinct. 17. quest. 2.* & expressius in *Report. 1. dist. 17. quest. 2.* ubi ait: *Vnumquemque gratum esse Deo, & acceptum, ac etiam eius actum per charitatem creatam.* Et addit: *Propter istam habilitatem, & dignitatem ad præmium non est necesse, Deum retribuere vitam æternam, sed addendam esse aliam acceptationem, & promissionem, ex vi cuius obligetur Deus, veluti ex iustitia ad præmij retributionem.* Hoc idem clarissime expressit Div. Bonaventura in *2. dist. 27. artic. 2. quest. 3. in solutione argumentorum.*

2
Supposit. 2.

3

Ex hac duplici acceptatione certum est, quod per acceptationem habituales, quæ est per habituales gratiam, habent opera meritoria valorem, & condignitatem ad præmium, de hacque acceptatione Scotus loquitur, quando ait: acceptationem Divinam facere opera digna vitæ æternæ, eisque conferre valorem ad tale præmium proportionatum, verissimum plane est, ut constat ex ab ipso adductis locis citat. & quodlib. 17. in fine, ubi ait: *Charitatem in operante requiri, ut actus sit acceptabilis, seu dignus acceptari.* Et quod omnes hoc fateri teneantur, patet: nam opera Iustorum habent valorem, & dignitatem, non quatenus sunt ex libero arbitrio, sed quatenus sunt ex gratia: ergo cum gratia habitualis sit acceptatio ad vitam æternam, opera Iustorum habent dignitatem vitæ æternæ ex acceptatione, quæ est per gratiam habituales. An autem sit necessaria actualis acceptatio, quæ pactum, vel promissio dicitur, ad hoc, ut ultra condignitatem, quam opera meritoria habent præcisè per habituales acceptationem, Deum obligent, ad illa ex Iustitia remuneranda? est Difficultas præsens.

4

Supposit. 3.

De facto ex parte Dei pactum intercessit.

Constat ex Scriptura. 1.

Pro cuius resolutione supponimus tertio: de facto ex parte Dei pactum, vel promissionem intercessisse, quod etiam supponit Ill. Godoy num. 1. & satis expressè traditur in Scriptura. Primò in Ierem. cap. 31. loquente de Adventu Christi ad litteram, teste Hieronymo: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.*

Secundò.

Tertio.

Secundò ex Isaia cap. 42: *Ego Dominum vocavi te in Iustitia, & apprehendi manum tuam, & servavi te, & dedi te in fœdus populi mei in lucem gentium.* Tertio idem pactum mysticè significatur in illo Genes. 9. *Arcum meum ponam in nubibus Cæli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram, docent Gregorius Magn. Homil. 8. in Ezechiel.*

Rupertus Abbas lib. 4. in Genes. cap. 34. & frequentius Interpretes. Quod ratio suadet: nam Christus constitutus est caput morale humani generis, ac illius fideiussor, missus est in mundum, ut mundum salvaret, suo sanguine redimeret, ac media illius morte redimeretur à culpa, quod sine dubio virtuale pactum est acceptandi illius satisfactionem, & propter illam extinguendi debitum.

Sed quia promissio non acceptata nullum ius confert promissario, posita est etiã acceptatio ex parte Christi, teste Apostolo ad Hæbreos 10. *Impossibile est enim sanguine Taurorum, & hircorum auferri peccata. Idem ingrediens mundum, dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi, holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Et hac ratione Div. Anselm. lib. 1. cap. 9. introducit Christum, sic Patri alloquentem: *Quoniam non vis aliter reconciliationem mundi fieri, dico te hoc modo velle mortem meam, fiat ergo voluntas tua, id est, fiat mors mea, ut mundus tibi reconcilietur.* Ex quibus verbis hæc ratio formatur: de facto intercessit in negotio nostræ Redemptionis promissio acceptata; atqui promissio acceptata est verè, & propriè pactum: ergo intercessit pactum. Hoc idem probat Ill. Godoy numer. 1. ex D. Thoma super cap. 53. Isaia, & hoc docent communiter Patres, & Theologi.

Deniquè supponimus: Christum, non solum ex iustitia latè, seu methaphoricè dicta, sed etiam ex iustitia propriè dicta, licet non ex toto rigore iustitiæ, homines redemisse, ipsorumque salutem, & à peccato libertatem meruisse, consequenterque Deum non solum ex iustitia latè, & methaphoricè dicta, sed etiam ex iustitia propriè accepta, licet non ex toto rigore iustitiæ, ad illius satisfactionem acceptandam, præmiumque suorum meritorum tribuendum, obligatum fuisse, quod ut probabilius docuimus tom. 1. in 3. disput. 5. 6. & 7. ubi fuscè ostendimus: Deo non repugnare, Christo obligari ex iustitia propriè dicta, licet Deo repugnet, Christo obligari ex iustitia stricta, & rigurosa.

His itaque breviter adnotatis, quod in præsentem in discrimen verti-

6

Promissio ex parte Christi acceptata.

Suppositio ostenditur ratione.

7

Supposit. 4.

8

Status difficultas aperitur.

mus, est: An, vt Deus subiret obligationem istam ex iustitia propriè dicta, vt à methaphorica distinguitur, pacto, aut promissione indigerit, an verò sine interventione pacti potuerit in vi meritorum Christi ad illorum remunerationem ex iustitia obligari.

In qua difficultate duplex è regione opposita sententia versatur. Prima docet: vt Christus suis meritis Deum ex iustitia obligaret, pactum, vel promissionem necessariam non fuisse. Ita Ill. Godoy, qui *num. 5.* hanc sententiã pro conclusione statuit, cum omnibus illis, quos *num. 4. citat.* Secunda per oppositum tenet: Christum non potuisse Deum ex iustitia obligare, seclusa promissione, vel pacto de illius meritis remunerandis. Sic Scotus in *1. dist. 17. quest. 2.* Tum in scripto Oxoniensis; tum in Reportatis, docens: meritum, seclusa Dei acceptatione, promissione, vel pacto, non habere vim obligandi Deum, ad præmium ex iustitia retribuendum. Scotum sequuntur Discipuli, & vltra hoc plures ex alienis, nempe, Beccanus, Suarez, Tannerus, Granadus, Lorca, Amicus, Ioann. à S. Thom. Lezana, Aversa, Hurtadus, Caspensis, Hacquetus, Arriaza, Oviedo, Morandus, & alij.

§. II.

Hæc sententia à nobis, vt probabilior, eligitur.

Hanc sententiam, nos, vt probabilior, amplectimur, & pro conclusione statuimus contra Ill. Godoy *num. 5.* Et quia suam conclusionem ab autoritate primò probat, vestigia illius sequendo, ab autoritate etiam nostra primo suadetur ex verbis Isaia *capit. 53.* Si possuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Vbi D. Thomas: Hic ponit tertium, scilicet, quod per ipsum completa est hominum iustificatio, & primo ponit præmium contra mortis dolorem, si possuerit propria voluntate, videbit semen longævum, id est (inquit D. Thom.) vsque ad finem mundi filios sibi regenerari ex virtute mortis eius. Hæc Div. Thomas, cuius verba tradit Ill. Godoy *num. 1.*

Et iuxta hanc explicationem, quæ (vt ait Ill. Godoy *citat.*) nulli ex Patribus aduersatur, sic nostra formatur probatio: sub conditione mortis

Christi hominum regeneratio, vsque in finem mundi in præmium à Deo promittitur: ergo ad remuneranda ex iustitia Christi merita, pactum, vel promissio ex parte Dei intercessit de facto. Totum conceditur ab Ill. Godoy *num. 1.* Infero nunc: ergo ad remuneranda ex iustitia Christi merita, necessarium fuit pactum, vel promissio Dei. Probatur hæc consequentia: si ad remuneranda ex iustitia Christi merita, necessarium non fuisset pactum, vel promissio Dei; ad remuneranda ex iustitia Christi merita, pactum, vel promissio Dei non intercessisset de facto; sed iuxta concessa ad remuneranda ex iustitia Christi merita, pactum, vel promissio Dei intercessit de facto: ergo ad remuneranda ex iustitia Christi merita, necessarium fuit pactum, vel promissio Dei. Consequentia est legitima. Minor concessa ab Ill. Godoy.

Maior autem probatur: si ad remuneranda ex iustitia Christi merita, necessarium non fuisset pactum, vel promissio Dei; ad remuneranda Christi merita ex iustitia, pactum, vel promissio Dei superflueret omninò: ergo, &c. Consequentia est nottoria. Antecedens verò probatur: id omninò superfluit, quod non est necessarium: ergo, &c. Confirmatur: si seclusa promissione, vel pacto, Deus esset ex iustitia obligatus, ad remuneranda merita Christi, omninò superflue pactum, vel promissionem Scriptura declararet; sed hoc non est dicendum; alioquin id Scriptura declarat, vt faretur Ill. Godoy: ergo signum evidens est, quod necessarium fuit pactum, vel promissio Dei, ad remuneranda ex iustitia merita Christi.

Probatur secundò conclusio per oppositum ad secundam probationem Ill. Godoy: satisfactio Christi non fuit sufficiens ad Deum obligandum ad sui acceptationem independentèr à pacto, & promissione Dei: ergo merita ipsius independentèr à pacto non potuerunt, Deum ex iustitia obligare ad sui remunerationem. Consequentia tenet. Tum, à paritate rationis. Tum, quia inconueniens, quod sequitur ex obligatione ad remunerandum in Deo sine pacto, & promissione, sequitur etiam ex obligatione acceptandèi Christi satisfactionem, vt ex dicendis patebit. Tum deniquè: quia

9

1. Sententia.
Ill. Godoy.

2. Sententia.
Scotus.

Discipuli
omnes.

Beccanus.

Suarez.

Tannerus.

Granadus.

Lorca.

Amicus.

Ioann. à S.
Thom.

Lezana.

Aversa.

Hurtadus.

Caspensis.

Hacquetus.

Arriaza.

Oviedo.

Morandus.

10

Statuitur,
cõclusio, &
ex Scriptur.
suadetur.

11

Formatur
ratio.

12

Prob. mai.

Confirmat

13

Probat. 2.
cõclusio per
oppositum
ad 2. prob.
Ill. Godoy.

iuxta Ill. Godoy, & omnes, eadem est de utroque ratio.

14
Probatur
antecedens.

Antecedens autem probatur: satisfactio, quæ non est ex toto rigore iustitiæ, sufficiens non est, ut sine pacto, aut promissione libera offenti ipsum obliget ad sui acceptationem, ita, ut illa possita, non possit offensus iustitiam aliam satisfactionem exigere; atqui satisfactio Christi non fuit ex toto rigore iustitiæ: ergo satisfactio Christi non fuit sufficiens ad Deum obligandum ad sui acceptationem independentem à pacto, & promissione Dei. Consequentia est legitima. Maior est notoria, & per oppositum ad illam probat Ill. Godoy num. 14. suam conclusionem. Minor modò à nobis supponitur, illamque ostendimus tom. I. in 3. sentent. disput. 5. & 7.

15
Probatur 3.
conclusio,
destruendo
doctrinam
Ill. Godoy.

Probatur tertio conclusio, destruendo tertiam probationem Ill. Godoy, totamque doctrinam, quam in præsentem adducit: ideò iuxta ipsum merita Christi, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligarent ad illorum remunerationem, quia sunt valoris infiniti; sed quod merita Christi sunt valoris infiniti, non sufficit, ut pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligent ad illorum remunerationem: ergo Christus suis meritis Deum ad remunerandum ex iustitia non obligat, promissione, aut pacto seclusis. Probatur minor: quod satisfactio Christi sit infiniti valoris, non sufficit, ut pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obliget ad sui acceptationem: ergo quod merita Christi sunt infiniti valoris, non sufficit, ut pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligent ad illorum remunerationem. Consequentia est evidens ratione paritatis, qua pluriès utitur Ill. Godoy.

16
Probatur
antecedens.

Antecedens autem probatur: nisi satisfactio Christi sit de toto rigore iustitiæ, nequit, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligare ad sui acceptationem; sed quod satisfactio Christi sit infiniti valoris, non sufficit, ut sit de toto rigore iustitiæ: ergo quod satisfactio Christi sit infiniti valoris, non sufficit, ut pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obliget ad sui acceptationem. Consequentia est legitima. Maior est apud omnes certa, illamque tenet Ill. Godoy num. 14.

Minor autem probatur ad hominem contra ipsum: quod Christi satisfactio non solum sit æqualis, verum & superabundans pro offensa, non sufficit, ut sit de toto rigore iustitiæ: ergo quod satisfactio Christi sit infiniti valoris, non sufficit, ut sit de toto rigore iustitiæ. Consequentia inferitur; nam idem est apud Ill. Godoy, Christi satisfactionem esse infiniti valoris, ac esse, non solum æqualem, verum & superabundantem pro offensa, & è contra. Antecedens est ipsius tom. I. in 3. part. disp. 5. num. 2. ubi hæc habet: *Secunda sententia docet: Non solum fuisse perfectam condignitate, sed etiam de toto rigore iustitiæ, eo, quod non solum fuit æqualis, & superabundans pro offensa, sed etiam omnes conditiones exactæ ad rigorem iustitiæ in satisfactione Christi concurrunt. Et num. 3. ait: Quorum sententia pro conclusione statuitur.* Hæc Ill. Godoy citat.

Ex quibus manifestè apparet, antecedens supra positum esse doctrinam illius, & declaratur primò: nam ad statuendum, Christi satisfactionem esse de toto rigore iustitiæ, vltra valorem satisfactionis, requiritur conditiones ad rigorem iustitiæ exactas. Secundò: nam si idem esset, satisfactionem Christi esse infiniti valoris, ac esse de toto rigore iustitiæ, semel statuto valore infinito in satisfactione Christi, ut statuit tom. citat. disput. 3. frustra quæreret: an satisfactio Christi fuerit ex toto rigore iustitiæ? Quod quærunt disput. 5. Declaratur tertio: nam plures Authores, qui cum Ill. Godoy conveniunt in valore infinito satisfactionis Christi, ab illo discedunt in rigore iustitiæ, ut patet ex Authoribus, quos disput. 3. citat pro secunda sententia, & disput. 5. pro prima: ergo quod Christi satisfactio non solum sit æqualis, verum & superabundans pro offensa, seu quod sit valoris infiniti, non sufficit, ut sit de toto rigore iustitiæ.

Dices pro Ill. Godoy: hanc nostram probationem non destruere doctrinam illius; ipse namque non solum defendit: satisfactionem Christi esse valoris simpliciter infiniti, sed etiam substat, esse de toto rigore iustitiæ. Fateor hoc, sed neque hoc illi faber. Infero namque contra ipsum: ergo ut satisfactio Christi, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obliget ad sui acceptationem,

17
Prob. min.

18
Antecedens
est Ill. God.
& declaratur 1.

Secundò.

Tertio.

19
Dices pro
Ill. Godoy.

Non satisfacit.

utrumque requiritur, scilicet, & quod satisfactio Christi sit infiniti valoris, & quod sit ex toto rigore iustitiæ: ergo non sufficit, quod sit tantum infiniti valoris: ergo quod Christi satisfactio sit tantum infiniti valoris, non arguit obligationem ex iustitia in Deo ad illius acceptationem, pacto, vel promissione seclusis: ergo quod meritum Christi sit valoris infiniti tantum, non arguit obligationem ex iustitia in Deo ad illius remunerationem, pacto, vel promissione seclusis. Atqui ex valore infinito satisfactionis, & meriti Christi, arguit Ill. Godoy numer. 23. & multoties in discursu disputationis, prædictas obligationes in Deo: ergo nostra probatio destructiva est doctrinæ illius.

20
Aliter formatur probatio ad hom. contra Ill. Godoy.

Aliter formatur, nostra probatio ad hominem contra Ill. Godoy: si satisfactioni Christi deficeret aliqua conditio ad rigorem iustitiæ exacta, Christi satisfactio, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia non obligaret ad sui acceptationem; sed dato casu, quod satisfactioni Christi deficeret aliqua conditio ad rigorem iustitiæ exacta, Christi satisfactio esset valoris simpliciter infiniti: ergo ex valore infinito satisfactionis Christi præcisè, non arguitur in Deo obligatio ex iustitia ad illius acceptationem, pacto, vel promissione seclusis: ergo nec ex valore infinito meriti Christi præcisè, arguitur in Deo obligatio ex iustitia ad illius remunerationem, pacto, vel promissione seclusis: ergo male arguit Ill. Godoy, quando sic arguit. Omnes consequentiæ sunt legitimæ. Minor est certa in opinione ipsius, & patet ex dictis num. 18. Maior est notoria, eamque habet ipse n. 14.

6. III.

Alia probatio nostræ conclusionis proponitur.

21
Probat. 4. conclusio.

Antecedens probat. 1.

Probatum quartò conclusio: Deū meritis Christi ex iustitia obligari sine pacto, & promissione, imperfectionem maximam dicit: ergo talis obligatio in ipso constituenda non est. Antecedens ostenditur primo: nemo potest à iure sibi proprio ex iustitia obligari: ergo ut iure, in meritis Christi fundato, Deus ex iustitia obligetur, necessario requiritur, quod ius meritorium Christi à Dei

eximatur dominio, quod imperfectio maxima est.

Secundò probatur: obligari alteri ex iustitia sine pacto, aut promissione, dicit inferioritatem, subordinatoremque ad illum, cui quis obligatur; sed inferioritas, subordinatio, & subiectio, imperfectio maxima est: ergo Deum operibus Christi Domini ex stricta iustitia obligari sine pacto, & promissione, imperfectionem Deo repugnantem dicit.

Tertiò: Deum non esse supræmum Dominum cuiusvis doni creati, imperfectio maxima est; sed si meritis Christi sine pacto, & promissione ex iustitia stricta obligetur, supræmus Dominus donorum gratiæ, hominibus impertiendæ, non erit: ergo illis ex iustitia sine promissione, aut pacto obligari, imperfectionem Deo repugnantem dicit. Consequentio cum maiori tenet. Minor probatur: etenim Dominium consistit in facultate utendi re sua in quoscumque usus sine alterius iniuria: ergo si possitis Christi Domini meritis, & ab ipso ad dona gratiæ hominibus promerenda ordinatis, non potest illis prædicta dona negare sine iniuria Christo irrogata, supræmus Dominus donorum gratiæ, hominibus impertiendæ, non manet; cum licet possit sine iniuria facta Christo prædicta dona impertiri, non tamen potest huiusmodi dona negare sine iniuria Christo irrogata; ac per consequens, non potest uti illis donis in quoscumque usus sine alterius iniuria.

Respondet Ill. Godoy numer. 55. negando antecedens, ad cuius primam probationem distinguit antecedens: à iure sibi proprio positivè, & privativè concedit antecedens; à iure sibi proprio tantum positivè negat antecedens, & consequentiam. Ut enim iure in meritis Christi fundato, Deus ex iustitia obligetur, sufficit, ut quamvis tale ius sub Dei contineatur dominio; sit etiã sub dominio Christi, & hoc est, esse sub dominio Dei positivè, & non privativè: ac per consequens necessarium non est, quod à supræmo dominio Dei excludatur, nec sequitur, Deum sibi ex iustitia obligari; quia licet obligetur à iure, quod est sui dominativè; non tamen à iure suo denominativè, hoc est, Deum merentem denominante; ut

22
Secundò.

23
Tertiò.

24
Respondet Ill. Godoy.

Ad 1. prob. antecedent.

autem sibi obligaretur, necessarium erat, hoc secundo modo esse suum; sicuti ex eo, quod ius meritorium Christi, Dei sit, & sub Dei supræmo, & vniuersali dominio, non sequitur, Deum merentem constituere, eo, quod denominatio ista solum tribuitur à merito, subiecto, cuius est elicitive, ac denominative, non verò illi subiecto, cuius tantum est effective, & vt causæ primæ vniuersalis.

25
Solutio Ill.
Godoy ad
pauciora
reddacta.

Tota hæc verborum confusio, qua Ill. Godoy vitur in solutione, eadem omninò est cum illa, qua (de satisfactione Christi loquendo) vsus fuit tom. 1. in 3. part. disput. 5. num. 89. & 90. redduciturque ad responsionem Thomistarum antiquorù, paucis, & clarissimis verbis dicentium: Christum, vt hominem, habuisse perfectum ius libertatis in suos actus, & hac ratione fuisse perfectum dominum illorum, ideoque super illos fundare rigurosam iustitiam contra Deum. Seu, vt alij dicunt: Christum meruisse per opera, quæ titulo libertatis erant sub dominio illius; hac enim ratione Christus erat dominus suorum actuum, quod sufficit, ad Deum ex rigurosa iustitia obligandum ad illorum remunerationem.

26
Impugn. 1.

Hæc tamen solutio impugnatur primò: vt merita Christi fundent rigurosam iustitiam contra Deum pro remuneratione illorum, requiritur, quod Deus nullum in illa habeat ius, & dominium; sed hoc deficit meritis Christi: ergo ruit allata solutio. Minor claret ex solutione Ill. Godoy, nam iuxta illum merita Christi sunt sub dominio Dei positivè, consequenterque Deus aliquod ius, vel dominium habet in merita Christi. Maior verò probatur: vt satisfactio fundet rigurosam iustitiam contra Deum pro sui acceptatione, requiritur, quod ita fiat ex bonis proprijs debitoris, quod creditor in illa nullum habeat ius, & dominium: ergo pariter. Consequentia claret ex dictis num. 13.

27
Antecedens
probat. 1.

Antecedens autem probatur primò: vt satisfactio fundet rigurosam iustitiam contra Deum pro sui acceptatione, requiritur iurium alteritas; sed quando creditor habet aliquod ius, vel dominium in bona debitoris, non reperitur perfecta iurium alteritas: ergo vt satisfactio fundet riguro-

sam iustitiam contra Deum pro sui acceptatione, requiritur, quod ita fiat ex bonis proprijs debitoris, quod creditor in illa nullum habeat ius, & dominium. Probatur minor: quando creditor nullum habet ius, vel dominium in bona debitoris, reperitur perfecta iurium alteritas: ergo è contra. Probatur secundò idem antecedens: satisfactio, quæ fit ex bonis, ita proprijs debitoris, vt nullo modo sint sub dominio creditoris, est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo satisfactio, quæ fit ex bonis, quæ aliquo modo sunt sub dominio creditoris, non est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo, &c. Tertio probatur: satisfactio, quæ fit ex bonis, ita proprijs debitoris, vt creditor in illa nullum habeat ius, vel dominium, est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo è contra: satisfactio, quæ fit ex bonis, in quæ creditor habet aliquod ius, & dominium, non est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo idem, quod prius.

Secundò.

Tertiò.

28
Impugn. 2.

Impugnatur secundò: ad fundandam rigurosam iustitiam, non sufficit dominium libertatis, sed requiritur dominium alteritatis, & proprietatis; sed Christus in opera meritoria, licet habuisset dominium libertatis, non tamen habuit dominium perfectæ alteritatis, & proprietatis: ergo Christus per opera meritoria non fundat rigurosam iustitiam, & consequenter ruit allata solutio. Maior constat, alioquin inter Patrem, & Filium, Dominum, & servum reperiri posset rigurosa iustitia contra Aristotel. 5. Ethic. cap. 1. nam filius, & servus habent dominium libertatis in sua opera. Minor est certa: quia non minus opera Christi sunt propria Dei, quam opera filij, & servi, sunt propria Patris, & Domini. Consequentia est legitima.

29
Impugn. 3.

Impugnatur tertio: dominium libertatis in efficiendo, vel non efficiendo, non sufficit ad rigurosam iustitiam, sed requiritur, vt factum non sit sub dominio creditoris, ita, vt statim, quod factum sit, debeatur creditori: ergo nec dominium Christi in opera meritoria sufficit, vt merita illius fundent rigurosam iustitiam: ergo nulla est illius solutio. Secunda consequentia ex prima manifestè infertur. Prima autem claret: nam dominium Christi est tantum dominium

libertatis, eiusque opera statim, vt facta sunt, debentur Deo. Antecedens probatur: licet Ancilla habeat dominium libertatis in concipiendo, vel non concipiendo, tamen, quia si semel concepit, partus est ipsius domini, per hunc non potest Ancilla Domino ex rigore iustitiæ satisfacere: ergo, &c.

30
Impugn. 4.
Denique, vt videatur, hanc doctrinam, quam pro solutione adducit Ill. Godoy, vim nostræ probationis non tollere, impugnatur quarto, vt in eisdem terminis, quibus ipse vtitur in solutione: idè meritum Christi fundat rigurosam iustitiam, quia meritum est proprium Christi positivè ratione libertatis, & sub aliquo modo speciali, nempe, denominativè; sed hæc reperiuntur in operibus filij respectu Patris, & servi, vel Ancillæ respectu Domini: ergo inter Patrem, & Filium, Servum, & Dominum dabitur rigurosa iustitia, quod est contra Ill. Godoy, in hoc Philosophum sequentem. Maior, & consequentia tenent. Minor autem probatur: opera filij (idem dicendum de servo) sunt propria illius positivè ratione libertatis, & sub aliquo modo speciali, nempe, denominativè, vt est manifestum; atqui hæc sunt, quæ in merito Christi reperiuntur: ergo hæc omnia reperiuntur in operibus filij respectu Patris, & servi, vel Ancillæ respectu Domini.

31
Dices 1. pro ipso.
Dices primò pro Ill. Godoy: dominium Dei in actus meritorios Christi non impedit dominium privatum Christi in eisdem actus: ergo nec impedit, quod per illos mereatur præmium ex stricta iustitia, & consequenter, quod independentè à pacto, vel promissione, Deus ex iustitia stricta obligetur ad remunerationem illorum. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima verò est certa: nam meritum ex iustitia stricta nititur proprio dominio. Antecedens probatur: dominium Dei est dominium diversæ rationis à dominio privato creaturæ: ergo, &c.

32
Respondetur
Respondeo distinguendo antecedens: non impedit dominium privatum libertatis concedo antecedens; dominium perfectæ alteritatis, & proprietatis nego antecedens, & consequentiam; nam ad meritum ex rigore iustitiæ requiritur dominium

perfectæ alteritatis, & proprietatis, quin sufficiat dominium libertatis, vt constat exemplis allatis num. 28. & 29. ex quibus fiat retorasio. Distinguo etiam probationem antecedentis: dominium Dei est diversæ rationis à dominio privato creaturæ, in ipsoque imbibitum concedo antecedens; non imbibitum in ipso nego antecedens, & distinguo consequens, vt distinxi. Distinguo etiam probationem consequentiæ: meritum de rigore iustitiæ nititur proprio dominio alteritatis, & proprietatis concedo; proprio dominio libertatis nego. Solutio claret ex dictis.

33
Dices 2.
Dices secundò pro eodem: libertas Christi efficit, vt Deus acquirat ius, & dominium in actus liberos humanitatis: ergo Christus habet in suos actus, non solum dominium libertatis, sed etiam proprietatis: ergo per actus meritorios, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligavit ad eorum remunerationem. Probatur antecedens: Deus non acquirat ius in actum, nisi in re sit elicitus; sed elicientia actus Christi in Christi libertate consistebat: ergo libertas Christi efficit, vt Deus acquirat ius, & dominium in actus liberos voluntatis. Respondeo primò negando antecedens: quia libertas nostra non est causa, cur Deus acquirat ius actuale in actus nostros liberè elicitos, sed tantum pura conditio, qua posita, Deus ex se habet ius in illos ratione vniuersalis, & supræmi domini, quod habet in omnia; sicut productio fructus ex arbore non est traditio iuris in dominum arboris, sed tantum pura conditio, qua posita, per idem ius, quod in arborem habebat, dominium quoque actuale acquirat in fructus arboris.

34
Respond. 2.
Respondeo secundò omittendo antecedens, & negando consequentiam; quia ad dominium proprietatis, quod ad rigurosam iustitiam requiritur, non sufficit, quod sit in potestate creaturæ efficere, vel non efficere opus, sed requiritur, quod opus factum non sit sub dominio Dei, vt claret ex dictis numer. 29. & in exemplo filij num. 28. Et ratio est: quia si opus statim, vt factum est, debetur Deo titulo creationis, & conservationis, non potest creatura suprâ illum iustitiam fundare, quia nemo iustitiam perfec-

tam, & dominium proprietatis fundare potest supra id, quod est alterius, vt optimè declarant exēpla prædicta.

Dices tertio pro ipso: hac responsione solum probari: Deum ex se habere ius in actus Christi, postquā sunt elicit; non verò antequam eliciantur: ergo saltim ratione huius dominij antecedentis, quod Christus habebat, eos eliciendi, vel non eliciendi, poterat rigurossam iustitiam fundare. Probat antecedens: nam sicut antea erat in libera Christi potestate eos elicere, vel non elicere, ita erat sub pleno eius dominio: ergo responsio solum probat: Deum ex se habere ius in actus Christi, postquam sunt elicit; non verò antequam eliciantur.

Respondeo primò negando antecedens: quia in tantum actus voluntatis nostræ, antequam eliciantur, sunt in potestate nostra, & dominio, in quantum habemus concursum Dei paratū ad eos eliciendos, vel non eliciendos; vnde antequam eliciantur, habet Deus independēter à creatura plenum dominium in causam productivam, & consequenter in actus ab ea producibiles, ratione cuius dominij, etiam antequam eliciantur, iure possunt à Deo exigi, vt sui, non minus, quam à Patre, & Domino, exigi possunt opera libera filij, & servi, antequam eliciantur.

Respondeo secundo omittendo antecedens, & negando consequentiam: quia illud Christi dominium antecedens est tantum dominium libertatis, quod insufficiens est ex toties dictis ad rigurossam iustitiam fundandam. Deniquè: argumentum probat: filium, & servum fundare posse rigurossam iustitiam in Patrem, & Dominum, quia habent dominium antecedens ad eliciendos, vel non eliciendos suos actus, vt *num. 30.* demonstravimus.

Dices deniquè per illo: ad verum meritum sufficit, quod operans habeat dominium libertatis in suos actus, etiam si actus illi cadant sub dominio Dei: ergo similiter: ad veram iustitiā sufficit, quod operans habeat dominium libertatis in suos actus, etiam si actus illi cadant sub dominio Dei.

Respondeo distinguendo antecedens: ad verum meritum quoad condignitatem, & æqualitatem, sufficit, quod operans habeat dominium libertatis in suos actus, etiam si actus illi cadant sub dominio Dei concedo antece-

dens; quoad rigurossam iustitiam nego antecedens, & distinguo similiter consequens.

Ad secundam probationem antecedentis positam *num. 22.* respondet Ill. Godoy *num. 56.* distinguendo maiorem: si obligatio oriatur ex iure independente à subiecto obligato concedit maiorem; ex iure independente ab illo negat maiorem, & concessa minori negat consequentiam; quia ius meritorium Christi, ex quo Deus ex iustitia obligatur, non est independens à Deo, sed dependet ab illo in fieri, & conservari; & ideo non arguit inferioritatem, subiectionem, aut subordinationem in Deo; sicut necessitas non orta ab aliquo Deo libero, ab ipsoque independente, imperfectionem Deo repugnantem argueret; non autem necessitas orta ab aliquo dependente à Deo in fieri, & conservari, vt constat in auxilio efficaci, quod semel collatum, Deum ad concursum simultaneum sine vlla imperfectione necessitat, quia à Deo in fieri, & conservari dependet.

Fateor, hanc solutionem veram esse; sed non sufficit ad propositum; Primò: quia falsum supponit; supponit namquè, quod merita Christi, secluso pacto, habeant ius, ex quo Deus ex iustitia obligetur, cuius oppositum convincunt probationes allatæ pro nostra conclusione, & constabit etiā paritate de meritis Iustorum, de quibus concedit Ill. Godoy, vt infra videbimus, non habere ius ad Deum ex iustitia obligandū, secluso pacto. Secundò: nam dato, quod merita Christi, pacto, vel promissione seclusis, haberēt ius, ex quo Deus ex iustitia obligaretur, non obligaretur Deus ex iustitia stricta, & rigurossa, de qua loquitur ipse, sed ex iustitia tantum proprie dicta, vt ostendimus *tom. 1. in 3. sent. disput. 7. per totam, præsertim num. 28. & sequentibus,* & retorsione sequenti ostendemus.

Retorqueo solutionem Ill. Godoy: ius dependens ab aliquo in fieri, & conservari, dato, quod illud ex iustitia obliget, non obligat illud ex toto rigore iustitiæ; sed ius meritorium Christi, ex quo Deus ex iustitia obligatur, dependet à Deo in fieri, & conservari: ergo Deum non obligat ex toto rigore iustitiæ. Consequentia est contra Ill. Godoy. Minor est ipsius

35
Dices 3.

36
Respond. 1.

37
Respond. 2.

Tertiò.

38
Dices 4.

Respondeo.

39
Respondet
Ill. Godoy,
ad 2. prob.
antecedētis.

40
Insufficiētia
solutionis
decla-
ratur.

41
Retorqueo
solutionem.

solutio. Maior autem probatur: ius independens ab aliquo in fieri, & conservari, obligat illud ex toto rigore iustitiæ: ergo ius dependens ab aliquo in fieri, & conservari, non obligat illud ex toto rigore iustitiæ. Probatur consequentia: si ius dependens ab aliquo in fieri, & conservari obligaret illud ex toto rigore iustitiæ, non strictius obligaret ius independens ab aliquo in fieri, & conservari, quam ius ita dependens; sed hoc est plusquam falsum: ergo, &c. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: non est obligatio strictior, quam obligatio ex toto rigore iustitiæ: ergo, &c.

42
Respondet
ad 3. prob.
antecedētis.

Ad tertiam antecedentis probationem positam num. 23. respondet Ill. Godoy num. 57. concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem explicat antecedens: in facultate absoluta, & antecedenti: utendi re sua absque iniuria alterius concedit antecedens; in facultate consequenti, & à quacumque necessitate ex suppositione expedita negat antecedens, & distinguit consequens distinctione antecedentis. Manet enim Deus, suppositis meritis cum facultate antecedenti non dandi hominibus gratiam sine iniuria Christo facta: non autem cum facultate consequenti, & ab omni necessitate ex suppositione expedita. Primum habet, quatenus potest ius Christi meritorium extinguere, illoque extincto, gratiam sine illius iniuria homini non impertiri; supposita verò voluntaria iuris Christi efficiētia, illiusque conservatione, necessitatus manet Deus ad illud remunerandum; hæc tamen necessitas, sicut supræmæ Dei libertati in ratione necessitatis, non obstat: ita in ratione obligationis, non repugnat cum supræmo dominio.

43
Solutio etiã
est insufficiens.

Hæc solutio eadem est, ac præcedens. Veritatē illius fateor, sed insufficientiam agnosco. Supponit namquē, merita Christi, secluso pacto, habere ius, ex quo Deus ex iustitia obligetur, cuius falsitas constat ex utroque dictis, & ex dicendis constabit. Deinde: nam supræmum Dei dominium absolutum, & perfectum consistit in facultate absoluta antecedenti, & consequenti, utendi re sua absque iniuria alterius, nisi pactum, vel promissio intercedat, quo in casu deficit solum facultas consequens, & manet Deus obligatus ex iustitia propriè dicta, quæ su-

præmum Dei dominium nullatenus minuit, ut diximus tom. cit. disp. 7. num. 26. & seqq. non verò ex rigurosa iustitia, quæ supræmum Dei dominium omninò tollit, ex dictis tom. & disput. cit. num. 87.

Deniquè retorqueo primò solutionem ad hominem contra ipsum: minus obligatus est Deus ad remuneranda merita Iustorum, quam ad remuneranda merita Christi: ergo maiorem facultatem habet Deus ad non remuneranda merita Iustorum, quam ad non remuneranda merita Christi. Antecedens patet: nam obligatio Dei ad remuneranda merita Iustorum oritur ex pacto, ut fatetur Ill. Godoy num. 38. & seqq. obligatio autē Dei ad remuneranda merita Christi est in Deo independentè à pacto, ut tenet ipse, & minus obligatus est ille, qui ratione pacti, ab ipso facti, est obligatus, quam, qui sine pacto est ab opere obligatus, ut constans est. Consequentia est legitima: nam quanto minus obligationis adest ad aliquid, tanto magis facultatis ad oppositum adest.

Sustulmo nunc: atquē, supposito pacto, est Deus obligatus ad remuneranda merita Iustorum, & pacto præciso, est Deus obligatus ad remuneranda merita Christi: ergo minus obligatus est Deus, supposito pacto, ad remuneranda merita Iustorum, quam ad remuneranda merita Christi, pacto secluso: ergo maiorem facultatem habet Deus, supposito pacto, ad non remuneranda merita Iustorum, quam ad non remuneranda merita Christi, pacto secluso. Totum patet ex dictis. Sustulmo iterum: Tunc sic; sed facultas, quam Deus habet ad non remuneranda merita Iustorum, supposito pacto, est facultas antecedens: ergo facultas, quam habet Deus ad non remuneranda merita Christi, secluso pacto, est minor facultate antecedenti. Atquē nulla est facultas minor facultate antecedenti: ergo nullam facultatem habet Deus, ad non remuneranda merita Christi, & consequenter si merita Christi independentè à pacto Deum obligant ex iustitia ad illorum remunerationem, Deus non est supræmus Dominus.

Retorqueo secundò solutionem: merita Christi non tollunt à Deo facultatem antecedentem, utendi illis in

44
Retorq. 1.
solutionem.

45
Retorq. 2.
solutionem.

quoscunque vsus sine iniuria Christo irrogata: ergo merita Christi nō obligant Deum ex iustitia stricta, & rigurosa ad illorum remunerationē. Antecedens est Ill. Godoy in solutione. Consequentia probatur: id, quod non tollit ab aliquo facultatem antecedentem, vtendi illo in quoscunque vsus sine iniuria illi irrogata, non obligat illum ex iustitia stricta, & rigurosa; sed per te merita Christi nō tollunt à Deo facultatem antecedentem, vtendi illis in quoscunque vsus sine iniuria Christo irrogata: ergo, &c. Probat maior: id, quod tollit ab aliquo facultatem antecedentem, vtendi illo in quoscunque vsus sine iniuria illi irrogata, obligat illum ex iustitia stricta, & rigurosa: ergo id, quod non tollit ab aliquo facultatem antecedentem, vtendi illo in quoscunque vsus sine iniuria illi irrogata, non obligat illum ex iustitia stricta, & rigurosa. Antecedens est manifestum. Consequentia probatur: si id, quod non tollit ab aliquo facultatem antecedentem, vtendi illo in quoscunque vsus sine iniuria illi irrogata, illum obligaret ex iustitia stricta, & rigurosa, hoc ita strictius obligaret, ac id, quod tollit facultatem antecedentem; sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est certa; alioquin daretur iustitia strictior, quam iustitia stricta, & rigurosa, quæ est iustitia ex toto rigore iustitiæ.

46
Retor solll.
God. contra
nos.

Et quidem concludit Ill. Godoy num. 59. retorquendo contra nos, eo, quod totum argumentum equali militat efficacia contra obligationem ex iustitia, pacto, & promissione suppositis: nam etiam supposita promissione de remunerandis meritis Christi, ius itorum meritorum Dei est dominativè; & tamen obligatur ab illo, Deūque ex iustitia obligat; & tamen ipsum Christo non subordinat, nec subiecit; Deus etiam manet supremus Dominus gratiæ hominibus largiendæ, & tamen non potest illam homini negare absque iniuria facta Christo, & etiam perseverat Deus supremus Dominus iuris meritorum Christi: ac per consequens illud extinguere potest; quin ex hoc inferatur, ab illo non obligari obligatione ex iustitia: ergo contra sententiam Ill. God. argumentum peculiaritè non vrget; sed est difficultas

illi, & alteri sententiæ pactum exigenti, communis.

Cæterum hæc retorsio nullius est momenti, habet namque magnas, & claras disparitates, quarum prima est: nam Deum obligari ex iustitia ad remuneranda merita Christi, pacto, vel promissione suppositis, est Deum obligari, obligatione orta ex libera Dei voluntate, & libertate illius, in quo nulla imperfectio invenitur; aut Deum obligari ex iustitia ad remuneranda merita Christi, independentè à pacto, vel promissione, est, Deum obligari, obligatione orta ex sola meritorum efficacia, & dignitate, in quo, præter alias, triplex imperfectio invenitur. Prima est: quod sic remunerans obligatur à iure alterius, quod est maxima imperfectio; nam obligari ab aliquo extra se ad aliquid retribuendum, incompatible est cum supremo dominio. Secunda est: quod obligatus subiecitur obliganti, quod à Deo reijciendum est. Tertia est: quod obligatus operatur cū dependentia ab obligante, quod est maxima imperfectio.

Et ex hac prima disparitate insto retorsionem contra Ill. Godoy: obligatio orta ex sola operis efficacia, & dignitate, importat triplicem dictam imperfectionem: ergo obligatio non orta ex sola operis efficacia, & dignitate, sed ex libera Dei voluntate, & liberalitate illius, non importat triplicem dictam imperfectionem. Antecedens est certum; alioquin nulla obligatio diceret imperfectionem. Consequentia est legitima; alias nulla esset differentia inter prædictas obligationes, quod esse falsum, constat ex terminis, & etiam ex eo, quod vna oritur independentè à pacto; altera verò ex pacto, vel promissione oritur. Infero nunc: ergo magna, & clara disparitas est inter obligationem Dei in ordine ad remuneranda merita Christi, vt ab Ill. Godoy statuitur, ac vt à nobis ponitur. Hęc consequentia est manifesta: nam ipse ex sola meritorum Christi efficacia, & dignitate statuit in Deo obligationem ad illorum remunerationem; nos autem illam ponimus ex libera Dei voluntate, & liberalitate illius, seu quod idem est, ipse illam statuit independentè à pacto; nos vero ex pacto proveniente, illam ponimus.

Secunda disparitas est: nam Deum obligari ex iustitia ad remuneranda

47
1. Ad retorsionem disparitas.

48
Insto retorsionem.

49
2. Disparit.

merita Christi, pacto, vel promissione suppositis, est, Deum se ipsum obligare, in quo nulla imperfectio reperiri potest; aut Deum obligari ex iustitia ad remuneranda merita Christi, pacto, vel promissione seclusis, est, Deum obligari ab aliquo à se distincto, in quo triplex allata imperfectio invenitur, ut patet. Et iuxta hanc disparitatem insto retorsionem contra Ill. Godoy: obligatio alicuius ab alio imposita importat triplicem dictam imperfectioem: ergo obligatio alicuius à se ipso imposita excludit triplicem præfatam imperfectioem. Antecedens est certum; alioquin nulla obligatio diceret imperfectioem. Consequentia est legitima; aliàs nulla esset differentia inter prædictas obligationes, quod esse falsum, ex terminis constat, & ex eo, quod vna oritur independentè à pacto; altera oritur ex pacto, vel promissione. Infero: ergo clara, & magna disparitas est inter obligationem Dei in ordine ad merita Christi remuneranda, ut statuitur ab Ill. Godoy, ac ut à nobis ponitur. Hæc consequentia est manifesta; nam ipse ad illorum remunerationem statuit in Deo obligationem, ab aliquo à se distincto impositam, nempe, ab efficacia, & dignitate meritorum Christi; nos autem illam ponimus ab ipso Deo impositam; seu quod idem est; ipse illam statuit secluso pacto; nos vero pacto supposito.

Tertia disparitas est: nam Deum obligari ex iustitia ad remuneranda merita Christi, pacto, vel promissione suppositis, est, Deum obligari ex iustitia, quæ non sit stricta, & rigurosa, ut diximus de obligatione Dei ad Christi satisfactionem acceptandam *tom. 1. in 3. setent. disput. 7.* ex ibique dictis apparet, quod hæc obligatio nullam importat imperfectioem. Aut Deum obligari ex iustitia ad remuneranda merita Christi, pacto, vel promissione seclusis, est, Deum obligari ex iustitia stricta, & rigurosa, quæ triplicem imperfectioem assert, ut ostendimus *tom. 1. disp. cit. num. 91.*

Et iuxta hanc disparitatem insto retorsionem contra Ill. Godoy: obligatio ex iustitia stricta, & rigurosa importat in obligato triplicem supra dictam imperfectioem: ergo obligatio ex iustitia non stricta, & rigurosa excludit triplicem allatam imperfec-

tionem. Antecedens est certum; alioquin nulla obligatio diceret imperfectioem. Consequentia legitima est; aliàs nulla esset differentia inter prædictas obligationes, quod esse falsum, constat ex terminis, & ex eo, quod vna oritur independentè à pacto; altera ex pacto, vel promissione oritur. Infero: ergo magna, & clara est disparitas inter obligationem Dei in ordine ad remuneranda merita Christi, ut ab Ill. Godoy statuitur, ac ut à nobis ponitur. Hæc consequentia est manifesta; nam ipse ad illorum remunerationem statuit in Deo obligationem ex iustitia stricta, & rigurosa; nos autem illam ponimus ex iustitia non stricta, & rigurosa, seu quod idem est, ipse illam collocat independentè à pacto; nos verò ex pacto illam in Deo collocamus.

Deniquè retorsionem Ill. Godoy contra ipsum insto ad hominem: omnes prædictæ imperfectioes forent in Deo, si opera puræ creaturæ Deum ex iustitia obligarent sine pacto, aut promissione; sed nulla est in Deo imperfectio, ex eo, quod opera puræ creaturæ Deum ex iustitia obligent, pacto, vel promissione intercedente: ergo argumentum militans contra obligationem Dei ex iustitia, pacto, vel promissione seclusis, nullatenus militat contra obligationem Dei ex iustitia, pacto, vel promissione suppositis: ergo ruit omninò retorsio Ill. Godoy. Secunda consequentia infertur ex prima. Prima ex præmissis. Præmissæ autem sunt ipsius, *num. 40.* his verbis: *Imperfectio foret, quod Deus ex iustitia obligaretur operibus puræ creaturæ sine pacto, aut promissione; secus autem pacto, vel promissione intercedente. Hæc instantia est (meo videri) valdè efficax.*

§. IV.

Solutiones Ill. Godoy ad nostram quartam probationem retorquentur ad hominem contra ipsum.

Impugnatis iam solutionibus, quibus Ill. Godoy respondet ad nostram quartam probationem, & singularitè retorsis, restat nunc, illas ad hominem contra ipsum generalitèr retorquere. Pro quo supponenda est doctrina ipsius, quam tradit *num. 38.* scilicèt, merita iustorum Deum ex iustitia non obligare ad gloriam largi-

dum,

Insto retorsionem.

§0
3. Disparit.

§1
Insto retorsionem.

§2
Deniquè insto retorsionem ad hominem.

§3
Responso Ill. Godoy, ad 4. prob.

dam, nisi pactum, vel promissio intercedat ex parte Dei. Hoc itaque supposito, ut cum frequentiori, & veriori Theologorum sententia supponit Ill. Godoy *num. cit.* supponamus, me defendere, merita Iustorum, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligare ad gloriam largiendam, contra quod sic in me Ill. Godoy arguere.

Deum meritis Iustorum ex iustitia obligari sine pacto, & promissione, imperfectionem maximam dicit: ergo talis obligatio in ipso constituenda non est. Antecedens ostenditur primo: nemo potest à iure sibi proprio ex iustitia obligari: ergo ut iure in meritis Iustorum fundato Deus ex iustitia obligetur, necessario requiritur, quod ius meritorium Iustorum à Dei eximatur dominio. Secundò probatur: obligari alteri ex iustitia sine pacto, aut promissione, dicit inferioritatem, subordinationemque ad illū, cui quis obligatur; sed inferioritas, subordinatio, & subiectio, imperfectio maxima est: ergo Deum operibus Iustorum, aut iure in illis fundato ex stricta iustitia obligari sine pacto, & promissione, imperfectionem Deo repugnantem dicit.

Tertiò: Deum non esse supremum Dominum cuiusvis doni creati, imperfectio maxima est; sed si meritis Iustorum sine pacto, & promissione ex iustitia stricta obligetur, supremus Dominus doni gloriæ, Iustis impertienda, non erit: ergo illis ex iustitia sine promissione, aut pacto obligari, imperfectionem Deo repugnantem dicit. Consequutio cum maiori tenet. Minor autem in hunc modum probatur: etenim dominium consistit in facultate uttendi re sua in quoscumque usus sine alterius iniuria: ergo si possit Iustorum meritis, & ab ipsis ad donum gloriæ promerendum ordinatis, non potest illis gloriam negare sine iniuria Iustis irrogata, supremus dominus gloriæ, Iustis impertienda, non manet; cum licet possit sine iniuria facta Iustis gloriam impertiri; non tamen potest huiusmodi gloriam negare sine iniuria Iustis irrogata, ac per consequens non potest uti illa gloria in quoscumque usus sine alterius iniuria.

Denique primum antecedens probatur: Deum ex iustitia meritis Iustorum obligari sine pacto, aut promissione,

non compatitur cum supremo Dei dominio supra ius, in meritis Iustorum fundatum: sed prædictum ius eximere à supremo dominio Dei, imperfectio maxima est: ergo Deum ex iustitia sine promissione, aut pacto, meritis Iustorum obligari, debet imperfectio censerī. Maior, in qua sola est difficultas, probatur: dominium est facultas uttendi re sua in quoscumque usus sine iniuria alterius: ergo si Deus est supremus iuris, in meritis Iustorum fundati, potest tale ius sine iniuria Iustorum destruere; & ex consequenti irremuneratum relinquere: nam, que maior irremuneratio, quam iuris destructio? & ex opposito, si non potest Deus sine iniuria Iustorum, ius ipsorum meritorium irremuneratum relinquere, non potest illud destruere, cum quo non compatitur supremum dominium in prædictum ius.

Hoc est argumentum, quod fecimus contra Ill. Godoy, defendentem, merita Christi, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligare ad illorum remunerationem, & hoc est argumentum, quod suppono, ipsum facere contra me, defendentē de meritis Iustorum in ordine ad eorum remunerationem, quod ipse defendit de meritis Christi. Ad quod responsiones, quas tribuit, tribuam, ut manifestè appareat, solutiones, quas adhibet ad tuendum, merita Christi, seclusis pacto, vel promissione, Deum ex iustitia obligare ad illorum remunerationem, deservire etiam ad tuendum, merita Iustorum, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligare ad illius gloriam conferendam, ex quo notoria contra ipsum retorsio apparebit.

Respondeo itaque negando antecedens, ad cuius primam probationem distinguo antecedens: à iure sibi proprio positivè, & privativè concedo antecedens; à iure sibi proprio tantum positivè nego antecedens, & consequentiam: ut enim iure in meritis Iustorum fundato Deus ex iustitia obligetur, sufficit, ut quamvis tale ius sub Dei contineatur dominio, sit etiā sub dominio Iustorum, & hoc est esse sub dominio Dei positivè, & non privativè: ac per consequens necessarium non est, quod à supremo Dei dominio excludatur, nec sequitur Deum sibi ex iustitia obligari: quia li-

§4

Antecedens
probat. I.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

§5

§6
Respondeo
ad I. prob.
anteced.

cèr obligetur à iurè, quod est sui dominativè; non tamen à iure suo denominativè, hoc est, Deum merentem denominante; vt autem sibi obligetur, necessarium erat, hoc secundo modo esse suum; sicuti ex eo, quod ius meritorium Iustorum Dei sit, & sub Dei supræmo, & vniuersali dominio, non sequitur, Deum merentem constituturè; eo, quod denominatio ista solum tribuitur à merito, subiecto, cuius est elicitive, ac denominativè, non verò illi subiecto, cuius tantum est effectivè, & vt causæ primæ vniuersalis.

Ad secundam, distinguo maiorem: si obligatio oriatur ex iure independente à subiecto obligato concedo maiorem; ex iure dependente ab illo nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia ius meritorium Iustorum, ex quo Deus ex iustitia obligatur, non est independens à Deo, sed dependet ab illo in fieri, & conservari; & ideo non arguit inferioritatem, subiectionem, aut subordinationem in Deo; sicut necessitas non orta ab aliquo Deo libero, ab ipsoque independente, imperfectionem Deo repugnantem argueret; non autem necessitas orta ab aliquo dependente à Deo in fieri, & conservari, vt constat in auxilio efficaci, quod semel collatum, Deum ad concursum simultaneum, sine vlla imperfectione necessitat, quia à Deo in fieri, & conservari dependet.

Ad tertiam, concessa maiori, nego minorem, ad cuius probationem explico antecedens: in facultate absoluta, & antecedenti vtendi re sua absque iniuria alterius concedo antecedens; in facultate consequenti, & à quacumque necessitate ex suppositione expedita nego antecedens, & distinguo consequens distinctione antecedentis. Manet enim Deus, suppositis meritis, cum facultate antecedenti non dandi Iustis gloriam sine iniuria Iustis facta; non autem cum facultate consequenti, & ab omni necessitate ex suppositione expedita. Primum habet quatenus potest, ius Iustorum meritorium extinguere, illoque extincto, gloriam sine illorum iniuria Iustis non imperiri; supposita verò voluntaria iuris Iustorum efficientia, illorumque conservatione, necessitatus manet Deus ad illud remunerandum; hæc tamen necessitas, sicut supræmæ Dei liberta-

ti in ratione necessitatis non obstat: ita in ratione obligationis non pugnat cum supræmo dominio.

Ad vltimam nego maiorem: ad cuius probationem concessa antecedenti, & prima consequentia; vel nego secundam: ius enim irremuneratum relinquere, in rigore dicit, quod iure manente, retributio non fiat; in casu autem, quo Deus ius meritorium Iustorum destrueret, vel extingueret, hoc non contingeret; & ideo verum in rigore non est, ius meritorium Iustorum irremuneratum relinquere; cum ius illud non relinquatur, sed destruat, vel extingatur à Deo ratione supræmi dominij. Vel claritatis gratia distinguo consequens subillatum: ius Iustorum irremuneratum relinquere supposita iuris voluntaria Dei conservatione, aut non extinctione, vel non destructione nego consequentiam; si ius supponatur liberè destructum, vel extinctum à Deo concedo consequentiã, & hoc sufficit, vt Deus in vi meritorum Iustorum maneat ex iustitia obligatus, quod, scilicet; supposita iuris conservatione, non possit absque iniuria Iustorum premium negari; & sicut huic obligationi ex stricta iustitia non obstat dependentia iuris à Deo, quam habet in fieri: ita nec ob stare potest, quod ab ipso dependeat in conservari.

Et quidem totum argumentum, quod contra me facere potest Ill. Godoy, æquali efficacia militat contra obligationem ex iustitia, pacto, & promissione suppositis; nam etiam supposita promissione de remunerandis meritis Iustorum, ius Iustorum meritorium est Dei dominativè, & tamè obligatur ab illo, Deumque ex iustitia obligat, & tamen ipsum Iustis non subordinat, nec subijcit; Deus etiam manet supræmus Dominus gloriæ, Iustis largiendæ, & tamen non potest illam Iustis negare absque iniuria Iustis facta, & etiam perseverat Deus supræmus Dominus iuris meritorum Iustorum, ac per consequens illud extinguere potest, quin ex hoc inferatur, ab illo non obligari obligatione ex iustitia: ergo argumentum factum peculiari- ter non vrget contra merita Iustorum, sed est difficultas meritis Iustorum, & Christi communis.

Ecce solutiones, quas tribuit Ill. Godoy ad argumentum de meritis

59
Ad 4.

42

57
Ad 2.58
Ad 3.

60

61

Christi, applicatas ad argumentum de meritis Iustorum. Quæro nunc ab ipso: vel istæ solutiones sufficiunt ad asserendum, merita Iustorum, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligare, ad gloriam illis largiendam, vel non? Si primum. Hoc est contra Ill. Godoy *num.* 38. Si secundum. Ergo nec sufficiunt ad asserendum, merita Christi, pacto, vel promissione seclusis, Deum ex iustitia obligare ad illorum remunerationem. Impugnet ergo Ill. Godoy has solutiones ad argumentum de meritis Iustorum, & impugnet solutiones, quas ipse adhibet ad argumentum de meritis Christi.

§. V.

Ultima Conclusionis à paritate probatio.

62
*Probat
denique cō-
clusio pari-
tate.*

*Cōsequētia
probat. I.*

63
Secundò.

PROBATUR denique conclusio hac paritate: merita Iustorum, etsi condigna sint ad gloriam promerendam; non tamen Deum ex iustitia obligant ad gloriam largiendam, nisi pactum, vel promissio ex parte Dei præcedat: ergo pariter: quamvis merita Christi condigna sint, imò, & superabundantia, ad merendam nobis gratiam, Deum ex iustitia non obligant ad eius retributionem, pacto, vel promissione seclusis. Antecedens est certum, illudque cum frequentiori sententia supponit Ill. Godoy *numer.* 36. & 38. Consequentia verò probatur primò: quia non est minor proportio inter opera Iustorum, & gloriam, ut ipsis conferendam, quam inter opera Christi, & gratiam conferendam hominibus; & tamen illa proportio non obstat, quominus ad rationem meriti condigni gloriæ, & ad obligationem inducendam in Deo ad illius collationem, pactum, promissionemque desiderent: ergo pariter: proportio operationum Christi cum gratia hominibus conferenda, non obstat, quin, ut sint merita illius, Deumque obligent ex iustitia, pacto, & promissione indigeant.

Probat secundò dicta consequentia: nam merita puræ creaturæ, si pactum, aut promissio intercedat, possunt Deum ex iustitia obligare, quin ex hoc aliqua imperfectio Deo repugnans inferatur; & tamen si pacto secluso, Deum ex iustitia obligarent, imperfectio esset in ipso: ergo

pariter: quamvis obligatio iustitiæ Deo ex operibus Christi conveniens, pacto, aut promissione præcedente, nullam in Deo inferat imperfectiōem; independens tamen à pacto, vel promissione, imperfectiōem arguet in ipso.

Huic rationi respondet Ill. Godoy *num.* 38. concesso antecedenti negando consequentiam, ad cuius probationem prætermittit maiori, & minori, negat consequentiam; nam quod opera Iustorum sine pacto, aut promissione, non possint Deum ex iustitia ad collationem gloriæ obligare, non nascitur ex improportione per modum condignitatis in actu primo sufficientis cum gloria secundum se, sed quia tota illorum dignitas potest à Deo ob alios titulos exigi, nempe, dominij supræmij, nec non gratiarum actionis; & cum ob suam limitationem nequeant ad æqualitatem duobus titulis satisfacere, si exigantur à Deo titulo supræmij dominij, vel titulo gratitudinis, non possunt condignè ad gloriam promerendam extendi: & ideò, ut ad gloriam condignè promerendam se extendant, necessarium est, quod Deus illa non petat ob alios titulos, sed illis, veluti cedat, quod sine pacto formali, vel virtuali, de gloria conferenda sub ipsorum conditione nequit præstari; & idcirco, ut Deum obligent ex iustitia, pactum, aut promissio iam explicata requiritur.

Cæterum operibus Christi ob infinitum valorem non solum reperitur condignitas ad gratiam conferendam hominibus divisivè ab alijs titulis, verum etiam copulativè cum illis: vnde quamvis exigeretur à Deo, vel titulo supræmi dominij, vel titulo gratitudinis, si elicerentur à Christo ex motivo satisfaciendi his titulis, & simul ex motivo, & intentione hominibus gratiam merendi, præfatis titulis sufficienter satisfacerent, & simul gratiam hominibus mererentur; quia ad omnia hæc simul sumpta sufficientem habent condignitatem: ac per consequens, ut efficaciter gratiam hominibus conferendam mereantur, non præexigitur, quod Deus alicui titulo cedat; ac proinde, nec quod formaliter, aut virtualiter paciscatur de conferenda hominibus, intuitu il-

64

*Respondet
Ill. Godoy
ad 1. prob.
consequen-
tia.*

65

lorum, gratiam. Iuxta quam doctrinam potest claritatis gratia, maior argumenti distingui: inter opera Iustorum, & gloriam divisiivè ab alijs titulis concedit maiorem; copulativè cū illis negat maiorem, vel suppositum maioris, & concessa minori, negat consequentiam: nam opera Christi Domini ob suam infinitatem, non solum proportionantur cum gratia hominibus conferenda divisiivè ab alijs titulis, sed etiam copulativè cum illis.

66

Ad 2.

Et ex his ad secundam consequentiæ probationem concessis maiori, & minori, negat consequentiam. Ratio autem discriminis ex proximè dictis colligitur: etenim tota imperfectio, quæ in Deo arguitur ex obligatione iustitiæ per opera puræ creaturæ, consistit in eo, quod tali obligatione posita, sequitur, vel Deum non potuisse eius opera exigere ex alijs titulis, vel quod illos adæquarent, & ad aliquid promerendum se extenderent, quæ imperfectio tollitur per promissionem, aut pactum: nam Deus promittens gloriam sub conditione onerosa operum puræ creaturæ, voluntariè alijs titulis cedit; & ideo imperfectio foret, quod Deus ex iustitia obligaretur operibus puræ creaturæ sine pacto, & promissione; secus autem pacto, vel promissione intercedente: in hoc autem, quod opera Christi exacta à Deo titulo supræmi dominij, vel titulo gratitudinis, his titulis adæquatè respondeant, & insuper ad aliquid promerendum se extendant, nulla imperfectio Deo repugnans importatur; eo, quod, cum sint valoris simpliciter infiniti, absquè vlla Dei imperfectione possunt hæc omnia præstare: vnde si aliqua imperfectio constitueretur in Deo ex prædicta obligatione iustitiæ propter Christi operationes; nõ aliundè posset colligi, nisi, quia ab aliquo à se distincto ex rigore iustitiæ obligaretur, ut ex ratione formali proxima inducèdi obligationem; cumque hæc ratio æquè militet, sive pacto, & promissio intercedant, sive non interponantur, sit consequens, quod, si promissione interposita, potest sine imperfectione Deus ex iustitia obligari operibus Christi Domini, rectè intulerimus, nullam sequi imperfectionem in Deo, ex eo, quod promissione, & pacto seclusis, possit obligationem istam subire.

Imò ex his novum argumentum pro sua sententia elicit Ill. Godoy num. 41. nam tota ratio, propter quæ, ut Deus ex iustitia obligetur per opera puræ creaturæ facta in gratia, & charitate, pactum, vel divina promissio requiritur, & non sufficit præceptum, quod operetur; non aliundè potest sumi, nisi, quia Deus potest ex mille alijs titulis opera creaturæ exigere, quibus nequeunt adæquatè respondere: vnde, ut Deus obligationem subinduat, pactum, aut promissio exigatur; at hæc ratio in operibus Christi non militat, cum possint ob suam infinitatem his titulis adæquatè satisfacere, & insuper ad aliquid promerendum extendi: ergo, ut Deus ex iustitia obligetur operibus Christi Domini, non est necessarium pactum.

Tota hæc solutio Ill. Godoy consistit in disparitate reperta inter merita Iustorum, & Christi merita. Illa enim, utpotè, valoris finiti, nequeunt ad æqualitatem duobus titulis satisfacere; vnde si à Deo exigantur titulo supræmi dominij, vel titulo gratitudinis, non possunt se extendere ad gloriam condignè promerendam. At merita Christi, utpotè, valoris simpliciter infiniti, non solum possunt præfatis titulis ad æqualitatem satisfacere, verum etiam possunt se extendere ad gratiam hominibus promerendam. Hæc est doctrina, qua usus est Ill. Godoy num. 23. pro tertia probatione suæ conclusionis.

Sed licet falsitas huius solutionis satis constet ex dictis *disput. preced.* ubi contra Ill. Godoy monstravimus, meritum Christi non esse valoris simpliciter infiniti; data tamen pro nunc hac infinitate. Reijcitur primo ad hominem contra ipsum: quod merita Christi sint valoris simpliciter infiniti, non sufficit ad Deum ex iustitia obligandum pro illorum remuneratione, pacto, vel promissione seclusis: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: quod Christi satisfactio sit valoris simpliciter infiniti, non sufficit ad Deum ex iustitia obligandum pro acceptatione illius, pacto, vel promissione seclusis: ergo pariter. Consequentia evidens est etiam iuxta Ill. Godoy. Antecedens autem probatur: ut Christi satisfactio Deum ex iustitia obliget pro sui acceptatione, pacto, vel promissione seclusis,

67

Arguit contra nos.

67

Prof. theol. theol. theol.

68

Solutio Ill. God. breviter declarata.

69

Reijcitur solutio Ill. Godoy 1.

aliud requiritur præter valorem illius simpliciter infinitum: ergo quod Christi satisfactio sit valoris simpliciter infiniti, non sufficit ad Deum ex iustitia obligandum pro acceptatione illius, pacto, vel promissione seclusis. Consequentia est legitima.

70

Prob. antecedens ver-
bis ipsius.

Antecedens autem probatum manet num. 17. ad hominem contra ipsum, & adhuc vrgentiùs probatur: nam ipse tom. 1. in 3. p. disput. 5. num. 1. hæc habet: *Non defecisse satisfactionem Christi à rigore iustitiæ ex defectu æqualitatis, constat ex dictis disput. præced. ubi non solum æquivalentem, sed etiam superabundantem fuisse, cum communi Theologorum sententia monstravimus, in eoque conveniunt omnes Theologi, dubijs antecedentibus, pro nostra sententia relatis, quia tamen, ut satisfactio aliqua sit de rigore iustitiæ præter æqualitatem requiruntur plura, ut quod sit ad alterum iure, & ex non acceptis gratuito à creditore, ex proprijs, & ex non debitis, ut communiter asserunt Theologi; idcirco examinata in præcedentibus infinitate satisfactionis Christi, & illius sufficientia, & superabundantia, in dubium in presenti vocamus: an fuerit non solum æqualis, & superabundans, sed etiam ad eam perfecta, in ratione satisfactionis, ut fuerit de toto rigore iustitiæ, id est, an in illa omnes conditiones ad rigorem iustitiæ in satisfactione exacta concurrerint? Si ad litteram Ill. Godoy cit. ergo &c.*

71

Reijcitur 2

Reijcitur secundo: licet Christi merita ob infinitum valorem sufficiant ad satisfaciendum pluribus debitis quo ad æqualitatem, insufficientia sunt ad Deum ex rigore iustitiæ obligandum pro gratia hominibus conferenda, pacto, vel promissione seclusis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: illa infinita merita Christi erant Deo debita alijs titulis, præsertim, titulo gratiarum actionis ob beneficium Incarnationis: ergo &c. Antecedens est indubitatum. Consequentia constat ex eo, quod ad rigorem iustitiæ requiritur, quod opus obligans fiat ex bonis alio titulo non debitis Creditori. Ultra quod probatur in hunc modum: merita, quæ nullo modo essent alijs titulis debita Deo, Deum ex rigore iustitiæ obligarent: ergo merita, quæ alijs titulis sunt Deo debita, nequeunt Deum ex rigore iustitiæ obligare; atqui merita

Christi infinita sunt Deo alijs titulis debita: ergo nequeunt Deum ex rigore iustitiæ obligare, & consequenter licet merita Christi ob infinitum valorem sufficiant ad satisfaciendum pluribus debitis quoad æqualitatem, insufficientia sunt ad Deum obligandum ex rigore iustitiæ pro gratia hominibus conferenda, pacto, vel promissione seclusis.

Reijcitur tertio: nam dato, & non concessio, quod meritis Christi ob infinitum valorem, non deficiat hæc conditio, ad Deum ex rigore iustitiæ obligandum, scilicet, quod *alio titulo non sint debita Deo*, illis tamen aliæ conditiones, ad Deum ex rigore iustitiæ obligandum, deficiunt: ergo nequeunt Deum ex rigore iustitiæ obligare ad illorum remunerationem, & consequenter ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens quoad secundam partem: ad rigorosam iustitiam requiritur inter alia, quod opus non fundetur in gratia creditoris, & quod fiat ex bonis ipsius debitoris, in quæ Creditor nullum habeat ius, & dominium; sed hæc duæ conditiones deficiunt meritis Christi, adhuc simpliciter infinitis: ergo meritis Christi aliæ conditiones, ad Deum ex rigore iustitiæ obligandum, deficiunt. Consequentia est legitima. Maior autem, & minor probata manent per ea, quæ de Christi satisfactione diximus tom. 1. in 3. Sent. disput. 5. §. 2. & 4.

72

Reijcitur 3

Reijcitur quarto: merita Christi, adhuc simpliciter infinita, nequeunt absque maxima Dei imperfectione, Deum ex iustitia obligare, ad gratiam hominibus conferendam, pacto, vel promissione seclusis: ergo infinitas meritorum Christi non iubet ad Deum sic obligandum: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: merita Christi, adhuc simpliciter infinita, nequeunt Deum ex iustitia obligare, ad gratiam hominibus conferendam, pacto, vel promissione seclusis, quin Deus obligetur à iure alterius, seu ab aliquo à se distincto; sed Deum, pacto, vel promissione seclusis, obligari ex iustitia ab alterius iure, seu ab aliquo à se distincto, est maxima Dei imperfectio: ergo merita Christi, adhuc simpliciter infinita, nequeunt absque maxima Dei imperfectione, Deum ex iustitia obligare, ad gratiam hominibus conferendam, pacto, vel promif-

73

Reijcitur 4.

sione seclusis. Consequentia est legitima. Minor est certa, & constat ex dictis num. 47. Maior est manifesta.

Neque obest, quod ait Ill. Godoy in solutione, scilicet, quod hæc ratio æque militat, si vè pactum, & promissio intercedant, si vè non interponantur, quod est implicite contra nos retortio. Non (inquam) obest; nam hæc est retortio, quam contra nos facit expressè Ill. Godoy num. 59. obiectaque manet à nobis num. 46. & per consequentia usque ad num. 51. Illam solvimus triplici disparitate, ex qua triplicem instantiam contra illam formavimus, & aliam ad hominem contra ipsum proposuimus num. 52. quã ob illius efficaciam in præsentia etiam sub hac forma disponimus: imperfectio foret in Deo, quod Deus ex iustitia obligaretur operibus puræ creaturæ sine pacto, aut promissione; secus autem pacto, vel promissione intercedente; ergo non militat eadem ratio, si vè pactum, vel promissio intercedant, si vè non interponantur. Consequentia est evidens. Antecedens autem ad litteram est Ill. Godoy num. 40. cuius verba transcripsimus n. 52.

Ad argumentum deniquè nobis, quod pro sua sententia elicit Ill. Godoy, respondeo primò negando maiorem; quia quando ex illo capite, scilicet, quod opera puræ creaturæ non essent alio titulo Deo debita, possent opera puræ creaturæ Deum ex iustitia obligare, illis deficerent aliæ conditiones ad Deum ex iustitia obligandum, nempe, quia fundarentur in gratia creditoris, & non essent ex bonis, in quæ Creditor nullum haberet ius, & dominium, quod sufficit, ut Deum ex rigore iustitiæ nequeant obligare. Et ratio est evidens: nam id deficit à rigore iustitiæ, cui deficit qualibet conditio ex requisitis ad rigorem iustitiæ; sed ultra hoc, quod opus non sit alio titulo debiti creditor, duplex prædicta conditio requiritur, & adhuc plures aliæ: ergo quando opera puræ creaturæ non essent alio titulo Deo debita; non ob hoc Deum ex rigore iustitiæ obligarent, & consequenter hæc non est tota ratio, ut pactum requiratur ad Deum ex iustitia obligandum.

Utraque consequentia est legitima. Minor est generalis omnium Theologorum doctrina, cum illis à

nobis, & Ill. Godoy tradita tom. 1. disput. 5. Maior eadem gaudet certitudine ex ab utroque dictis tom. & disp. cit. Ultra quod illud axioma: *Malum ex quocumque defectu*, eam evidenter convincit. Deinde: omissa maiori, neganda, vel distinguenda est minor, de quo in solutione tertij argumenti Ill. Godoy. Et hæc est secunda solutio.

§. VI.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

Arguit primò Ill. God. num. 10. contra nostram conclusionem ex Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo cap. 19. post medium*, illis verbis: *Quantum autem sit, quod Filius sponte dedit, non est opus exponere, sufficienter patet; eum autem, qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non iudicabis: imo necesse esse video, ut Pater Filio retribuatur, alioquin iniustus esse videretur, si nolet, aut impotens, si non posset, quæ aliena sunt à Deo.* Hæc Anselmus; ex quibus apertè colligitur, Sanctum Doctorem sensisse, Deum ex vi meritòrum Christi ad ipsorum retributionem fuisse ex iustitia obligatum.

Respondeo primò ad argumentum: Deum necessitatum fuisse ad remuneranda merita Christi, quod docet Anselmus; cæterum non docet, necessitatem istam Deo sine promissione, aut pacto convenire, aut convenire potuisse, quin potius pacrum includit, quod patet primò: nam Anselmus eodem cap. in fine, prædictam necessitatem remittendi peccata, his verbis exponit: *Palam enim est, quia Deus, ut hoc faceret, quod diximus, nullatenus indigebat, sed ita veritas immutabilis exigebat.* Cum ergo immutabilitas procedat ex alia voluntate antecedenti, promittente remissionem iniuriæ ex satisfactione Christi, necessitas, ut Pater Filio retribuatur, ex promissione, & pacto procedit iuxta Anselmum.

Secundò: nam idem expressius declaraverat cap. 5. eiusdem libri, exemplo promittentis, his verbis: *Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia; nam si quid hodie sponte promittis, te cras daturum, quamvis necesse sit, te cras reddere promissum, si non poteris, aut non vis mentiri; non tamen minus tibi debet ille pro impenso beneficio, cui*

Respond. 2.

77
Arguit. 1.78
Respond. 1.79
Secundò.74
Cuidam ritorsioni occurritur.75
Ad nobum arg. quod format. Ill. God. respōdeo 1.

76

das, quam si non promisisses, quoniam te debitorem illi facere non es coactus. En quomodo ex mente Anselmi voluntas retribuendi procedit ex promissione, & pacto.

80

Replicat
Ill. Godoy.

Sed contra hanc solutionem tripliciter replicat Ill. Godoy *numer. 12*. Primo: nam si Anselmus necessitatem istam Deo ratione pacti attribueret, non esset necessarium, recurrere ad bonorum magnitudinem, quæ Christus retribuit Deo; atqui Anselmus hoc recursum fuit usus: ergo quia sentit, necessitatem in Deo retribuendi merita Christi, non habuisse ortum ex pacto, vel promissione, sed ab illis independentem fuisse. Secundo: nam si hæc necessitas ratione promissionis, vel pacti Deo conveniret, non bene intulisset Anselmus, iniustum fore, si nolet, aut impotentem, si non posset, sed futurum esse infidelem; agens namque contra suam promissionem, non iniustitiæ, sed infidelitatis vitium incurrit; at dicendum non est, male Anselmum intulisse: ergo sentit, necessitatem in Deo retribuendi merita Christi fuisse ex se independentem a pacto, vel promissione. Tertio: nam istam necessitatem constituit Anselmus in Deo respectu meritorum Christi specialiter ob ipsorum magnitudinem; at necessitas orta ex pacto, vel promissione convenit Deo in ordine ad opera condigna Iustorum: ergo manifestè sentit, respectu meritorum Christi non habuisse ortum ex pacto, sed ab illo fuisse omnimodè independentem.

Secundò.

Tertiò.

81

Respondeo
ad 1. replicam.

Respondeo ad primam replicam, distinguendo maiorem: si Anselmus necessitatem istam Deo ratione pacti attribueret, non esset necessarium recurrere ad bonorum magnitudinem, quæ Christus retribuit Deo, ut ratio necessitatis concedo maiorem; ut ratio dignitatis pro qualitate, & superabundantia donorum cum retributione nego maiorem, & distinguo minorem: Anselmus hoc recursum fuit usus, ad declarandam dignitatem pro æqualitate, & superabundantia donorum Christi cum retributione concedo minorem; ad declarandam necessitatem Dei in retributione nego minorem, & consequentiam.

Itaque Anselmus *cap. 19. cit.* non solum declarat necessitatem Dei ad

retributionem meritorum Christi verum etiam dignitatem æqualitatis; & superabundantiæ meritorum Christi cum retributione, seu præmio: Ad hanc æqualitatem, & superabundantiam declarandam, recurrit Anselmus ad donorum magnitudinem, quæ Christus sponte Deo dedit; at ad declarandam Dei necessitatem ad retributionem recurrit ad promissionem, & pactum, ut patet ex verbis Anselmi; tam *cap. cit.* quam *cap. 5.* eiusdem libri, à nobis traditis *num. 78. & 79.* Et per hoc patet ad tertiam negando maiorem.

Ad secundam replicam nego maiorem cum probatione imbibita; nam agens contra suam promissionem, in vitium iniustitiæ incurrit; quia pactum sub conditione operis onerosi, & condigni inducit in promittente obligationem distinctam ab obligatione orta ex fidelitate, adimpleta conditione adimplendi rem promissam; ut diximus *tom. 1. in 3. sent. disput. 7. num. 9.* quod etiam docuit Ill. Godoy *tom. 1. in 3. p. disput. 5. num. 8.* in hoc enim nos, & ipse convenimus, contra asserentes: Deum acceptasse Christi satisfactionem ex mera fidelitate, & gratitudine, solum dissentimus in eo, quod ipse asserit, talem acceptationem esse ex iustitia stricta, & speciali; nos autem tenemus, esse solum ex iustitia propriè dicta, pro quo recoliantur dicta *disp. 7. cit.*

Imò in hac replica inconsequenter procedere Ill. Godoy, manifestè ostendo: agens contra suam promissionem, non solum in vitium infidelitatis, sed etiam in vitium iniustitiæ strictæ, & specialis incurrit apud ipsum: ergo inconsequenter in præsentì procedit, asserendo, ut nunc asserit, quod agens contra promissionem, non iniustitiæ, sed infidelitatis vitium incurrit. Probatur antecedens: iuxta Ill. Godoy *tom. 1. in 3. p. disput. 7. num. 8.* pactum sub conditione operis onerosi, & condigni inducit in promittente obligationem strictæ, & specialis iustitiæ, adimplendi rem promissam: ergo &c.

Et ut luce clarius appareat, Anselmum non fabere Ill. Godoy, nec opinionem nostræ adversari, retorqueo argumentum contra ipsum: D. Anselmus in verbis relatis loquitur de facto, & in præsentì providentia: ergo iuxta

Ad 3.

82

Ad 2.

83

Quaedam
inconsequē-
tia Ill. Go-
doy. ostendit
ur.

83

84

Retorqueo
argum. &
replicas il-
lius.

Anselmum pactum, vel promissio Dei non intercessit de facto, ut Deus teneatur remunerare ex iustitia merita Christi. Atqui hoc est contra Ill. Godoy, qui oppositum supponit *num. 1.* & cum ipso nos supposuimus *num. 4.* idque per sequentia probavimus: ergo si aliquid probat Ill. Godoy auctoritate D. Anselmi, contra se ipsum probat, & contra omnes communiter Patres, & Theologos ex dictis *num. 6.* Hæc retorsio est contra replicas ipsius clarissima instantia.

85
Arguit. 2:

Arguit secundo *num. 13.* satisfactio Christi fuit sufficiens ad Deum obligandum ad sui acceptationem independentem à pacto, & promissione Dei: ergo merita ipsius independentem à pacto potuerunt Deum ex iustitia obligare ad sui remunerationem. Consequentia tenet. Tum à paritate rationis. Tum etiam; quia si quod inconueniens sequitur ex obligatione ad remunerandum in Deo sine pacto, & promissione, idem etiam infertur ex obligatione satisfactionem Christi acceptandi; & consequenter, si in hoc nullum inconueniens apparet, nec in primo reperitur. Denique: nam satisfactio Christi non fuit per modum formæ nos iustificantis, & dignificantis formaliter, & se ipsa sine voluntate remissiva Dei, debitum offensæ extinguentis, sed per modum meriti condigni remissionis offensæ, & voluntatis Dei gratiam infundentis, per quam excluditur peccatum formaliter: ergo si in ratione satisfactionis non indiguit pacto, aut promissione Dei, ut ipsum ad sui acceptationem obligaret, nec indiguit in ratione meriti pacto, aut promissione Divina, ut Deum obligaret ad sui remunerationem.

86
Antecedens probat.

Antecedens autem probatur: satisfactio perfecta ex toto rigore iustitiæ, talis conditionis est, ut sine pacto, aut promissione libera offensus ipsum obliget ad acceptationem sui; ita, ut illa posita, non possit offensus iuste aliam satisfactionem exigere; sed satisfactio Christi fuit perfecta, non solum perfectione æqualitatis, sed etiam perfectione rigoris iustitiæ: ergo ut Deum ad sui acceptationem ex iustitia obligaret, pacto, aut promissione Dei offensus non indiguit. Consequentia est legitima. Minor supponitur ab

Ill. Godoy ex ab ipso dictis *tom. 1. in 3. p. disp. 5. 6. & 7.* Maiorem autem dupliciter probat *num. 5.* Vtramque probationem omitto, quia maiorem non negamus.

Respondeo itaque ad argumentum, negando antecedens, ad cuius probationem concessa maiori, nego minorem; quia satisfactionem Christi non fuisse ex toto rigore iustitiæ, fuisse ostendimus *supra tom. 1. in 3. sent. disput. 5. per totam*, illamque Deum non acceptasse ex iustitia stricta, & speciali contra Ill. Godoy propugnauimus *tom. cit. disput. 7.* Nec argumentum alia indiget solutione.

Arguit tertio *num. 13.* meritum Christi ratione infiniti valoris se extendit ad omne præmium possibile, ad quod, illud voluntas Christi applicaverit; sed Deum hominibus gloriam, vel gratiam, cæteraque dona conferre sine pacto præcedente, non implicat: ergo si Christus sua merita sine pacto, aut promissione præcedente ex parte Dei applicaret pro obtinendis his donis hominibus, mereretur efficaciter, ut Deus illa cõferret; & consequenter Deus sine pacto præcedente obligatus ex iustitia id efficeret; ut enim supponit in præsentem, remuneratio pro meritis est in Deo actus iustitiæ.

Respondeo primò ad argumentum, distinguendo maiorem: meritum Christi ratione infiniti valoris se extendit ad omne præmium possibile, extensione dignitatis, æqualitatis, seu proportionis cum præmio concedo maiorem; extensione dignitatis iustitiæ nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; nam ut merita Christi Deum ex iustitia obligarent ad illorum retributionem, pacto, vel promissione seclusis, debebant se extendere ad omne præmium extensione, non solum dignitatis, æqualitatis, seu proportionis cum præmio, sed etiam dignitatis iustitiæ, quam dignitatem non habent independentem à pacto. Solutio claret ex dictis *num. 1.*

Respondeo secundò concessa maiori, distinguendo minorem: Deum liberaliter hominibus gloriam, vel gratiam, cæteraque dona conferre, sine pacto præcedente, non implicat concedo minorem; Deum ex iustitia gloriam, vel gratiam, cæteraque dona

87
Respondeo.

88
Arguit. 3.

89
Respond. 2.

90
Respond. 2.

hominibus conferre, sine pacto præcedente non implicat nego minorem, & consequentiam. Hæc solutio coincidit cum illa, quam sibi dedit Ill. Godoy *num. 23.* nempe, quod licet possibile sit, Deum prædicta dona sine pacto præcedente concedere, possibilitate rei; non tamen id est possibile possibilitate præmij, vel in ratione præmij; quia ad hoc necessarium erat, quod obligatus à meritis ex iustitia id efficeret; implicat autem, Deum ex iustitia sine pacto præcedenti obligari, eo, quod huiuscemodi obligatio dicit imperfectionem inferioritatis in Deo.

Hanc solutionem impugnat primo Ill. God. *num. 24.* licet Deum obligari obligatione non orta radicaliter ab ipso, maxima imperfectio sit; ac proinde ipsi repugnet; obligari tamen ex iustitia, obligatione ab ipso originaliter orta, nullam dicit imperfectionem; sed obligatio De in vi meritorum Christi sine pacto præcedente, originaliter oritur à Divina voluntate: ergo Deum hominibus gloriam conferre obligatum ex iustitia in vi meritorum Christi sine præcedentia pacti, nullam dicit imperfectionem; & consequenter illam sic conferre, est in ratione præmij possibile. Minor constat; nam voluntas Christi applicandi sua merita pro gloria hominibus obtinenda, est effectus voluntatis efficacis Divinæ, cui subordinatur in omni suo actu voluntas humana Christi: ergo obligatio Dei ex meritis Christi sic applicatis procedens, ortum ducet à Divina voluntate. Maiorem probat: licet Deum ad extra necessitari, necessitate absoluta, sit imperfectio opposita supremæ, eius libertati, necessitari ad extra necessitate originaliter orta à Divina voluntate, nullam imperfectionem Deo repugnantem dicit: ergo pariter.

Secundo impugnat *n. 25.* non est minus de ratione libertatis necessitatis exclusio, quam de ratione dominij sit exclusio obligationis; at contra supremam Dei libertatem non est, necessitari ad aliquod extra se ex suppositione ipsi libera: ergo nequæ erit contra supremum dominium, ex iustitia obligari ex suppositione libera sibi; at obligatio Dei in vi meritorum Christi Deo conveniret ex suppositione ipsi libera; cum merita Christi appli-

cata, quæ obligationem inducerent, sint effectus liberæ voluntatis Divinæ: ergo Deum in vi meritorum Christi obligari sine pacto præcedente, nullam imperfectionem Deo repugnantem importat. Secunda consequentia ex prima evidentè colligitur. Minor susumpta est probata. Maior principalis constat, & minor prima probatur: Deus, ex suppositione, quod hominem efficaciter promoveat ad operandum, non potest non præstare suum simultaneum concursum, quem à prævio esse distinctum, supponit Ill. Godoy *extract. de Auxilijs*, & hoc, non ob aliam causam, contra Dei supremam libertatem non est, nisi quia necessitas præstandi simultaneum concursum est necessitas ex suppositione libera Deo, nempe, orta ex auxilio efficaci antecedenter liberè collato à Deo: ergo necessitas orta ex suppositione libera Deo contra perfectionem supremæ libertatis non est.

Impugnat tertio *num. 26.* Deum ex iustitia obligari in vi meritorum Christi, pacto, & promissione suppositis, imperfectionem Deo repugnantem non dicit, ut in præsentibus supponit Ill. God. & nos fatemur; at hoc non ob aliam causam, nisi quia hæc obligatio oritur originaliter ex Divina voluntate: ergo obligatio ab ipso originaliter orta, non dicit imperfectionem; & consequenter, nec debet imperfectio censeri, quod Deus ex iustitia in vi meritorum Christi obligetur sine pacto præcedente; cum etiam pacto secluso obligatio in vi meritorum Christi, originaliter ex Divina voluntate nascatur.

Respondeo ad primam replicam distinguendo maiorem quoad secundam partem: Deum obligari ex iustitia, obligatione ab ipso originaliter proxime orta, nullam dicit imperfectionem concedo maiorem; originaliter remote nego maiorem; distinguo minorem: obligatio Dei in vi meritorum Christi sine pacto præcedente, originaliter remote oritur à Divina voluntate concedo minorem; originaliter proxime nego minorem, & consequentiam; & hac distinctione distinguo probationem maioris. Licet autem hæc distinctio sit ad secundam, & tertiam impugnationem solutio, ipsam tamè in forma applicemus.

91
Impugnat
solutionem
Ill. Godoy.

Primò.

92
Impugn. 2.

93
Impugn. 3.

94
Respondeo
ad 1. repli-
cam.

95
Ad 2.

Ad secundam respondeo concessa maiori, distinguendo minorem: contra supremam Dei libertatem non est, necessitari ad aliquod extra se, ex suppositione ipsi libera proxime concedo minorem; remotè nego minorem, & distinguo similiter consequens eum subsumpta, & nego consequentiam. Ad probationem minoris distinguo antecedens distinctione data, & pariter etiam consequens. Ad tertiam concessa maiori, distinguo minorem: non ob aliam rationem, nisi quia hæc obligatio oritur originaliter proxime ex Divina voluntate concedo minorem; originaliter remotè nego minorem, & distinguo similiter consequens, negoque sub illatum. Omitto replicam, quam facit Ill. God. n. 27. contra hanc solutionem, quia omnino falsa est in nostra doctrina.

Ad 3.

96
Ratio solutionis.

Ratio itaque solutionis est: nam obligatio à Deo proxime orta, uti est obligatio orta ex promissione, ut ex ratione formali obligandi, nullam dicit imperfectionem; obligatio autem à Deo remotè orta, uti esset obligatio Dei in vi meritorum Christi eo, quod merita Christi à Deo dependent in fieri, & conservari, dicit in Deo maximas imperfectiones, ut claret ex dictis à num. 47. usque ad num. 52.

97
Retorq. I.
replicam ad
hom. contra
Ill. Godoy.

Denique retorqueo primam replicam ad hominem contra Ill. Godoy: licet Deum obligari, obligatione non orta radicaliter ab ipso, maxima imperfectio sit, ac proinde ipsi repugnet; obligari tamen ex iustitia, obligatione ab ipso originaliter orta, nullam dicit imperfectionem: Ergo obligatio Dei ex iustitia in vi meritorum iustorum sine pacto præcedente, ad gloriam illis conferendam, nullam dicit imperfectionem. Consequentia est legitima: nam obligatio Dei ex iustitia in vi meritorum iustorum sine pacto præcedente, ad gloriam illis conferendam, originaliter oriretur à Divina voluntate, cum omnis actus voluntatis iustorum sit effectus voluntatis Divinæ, cui subordinatur in omni suo actu voluntas humana. Antecedens autem sic proba: licet Deum ad extra necessitari, necessitate absoluta, sit imperfectio opposita supremæ eius libertati, necessitari ad extra necessitate originaliter orta à Divina voluntate, nullam imperfectionem Deo repugnantem dicit: ergo pari-

ter: licet Deum obligari, obligatione non orta radicaliter ab ipso, maxima imperfectio sit, obligari tamen ex iustitia, obligatione ab ipso originaliter orta, nullam dicit imperfectionem.

Retorqueo secundam replicam ad hominem etiam contra ipsum: non est minus de ratione libertatis necessitatis exclusio, quam de ratione dominij sit exclusio obligationis; at contra supremam Dei libertatem non est, necessitari ad aliquod extra se ex suppositione ipsi libera: ergo nec erit contra supremum dominium, ex iustitia obligari ex suppositione libera sibi: at obligatio Dei in vi meritorum iustorum, Deo conveniret ex suppositione ipsi libera; cum merita iustorum applicata, quæ obligationem inducerent, sint effectus liberæ voluntatis Divinæ: ergo Deum in vi meritorum iustorum obligari sine pacto præcedente, nullam imperfectionem Deo repugnantem importat. Secunda consequentia ex prima evidentè colligitur. Minor subsumpta est probata. Maior principalis constat, & minor prima probatur: Deus, ex suppositione, quod hominem efficaciter promoveat ad operandum, non potest non præstare suum simultaneum concursum, quem à prævio esse distinctum, supponit Ill. Godoy ex tractatu de auxilijs, & hoc, non ob aliam causam contra Dei supremam libertatem non est, nisi quia necessitas præstandi simultaneum concursum est necessitas ex suppositione libera Deo, nempe, orta ex auxilio efficaci antecedentè liberè collato à Deo: ergo necessitas orta ex suppositione libera Deo contra perfectionem supremæ libertatis non est.

Retorqueo tertiam instantiam ad hominem contra ipsum: Deum ex iustitia obligari in vi meritorum iustorum, pacto, & promissione suppositis, imperfectionem Deo repugnantem non dicit, ut in præsentibus supponimus, & fatetur Ill. Godoy in præsentibus; at hoc non ob aliam causam, nisi quia hæc obligatio oritur originaliter ex Divina voluntate: ergo obligatio ab ipso originaliter orta, non dicit imperfectionem; & consequenter, nec debet imperfectio censi, quod Deus ex iustitia in vi meritorum iustorum obligetur sine pacto præcedente; cum etiam pacto

98
Retorqueo
2. replicam
ad hom. contra
ipsum.99
Retorq. 3.
etiam ad
hom.

secluso, obligatio in vi meritorum Iustorum originaliter ex Divina voluntate nascatur. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magis-

tri, vbi disputatio præcedens, & in 3. dist. 20. §. 2. ad illa verba: *Sed qua Iustitia? Iesu Christi.*
(5)

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA SEPTIMA.

Quo tempore Christus meruit?

Christus meruit à 1. sue conceptionis instanti usque ad instantis mortis exclusivè.

TRiplicem conclusionem statuit in hac disputatione Ill. God. Prima est: *Christus meruit in primò sue Conceptionis instanti.* Sic Ill. Godoy num. 2. Secunda est: *Meruit Christus ab infantia, & toto tempore vite mortalis continuatè usque ad mortem.* Ita habet num. 17. Tertia est: *Non meruit Christus post mortem, nec in ipso mortis instanti.* Sic habet num. 59. In hac triplici conclusione cum ipso convenimus; nam prima docetur ab Scoto in 3. dist. 18. quæst. unica, §. Est igitur. Secunda est communis Theologorum sententia. Tertia deniquè traditur ab Scoto quodlib. 12. §. De tertio, versic. *Universalitèr.* Vndè in hoc immorari non oportet. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 3. dist. 18. §. 2. ibi: *Non solum meruit Christus quando Patri obediens, Crucem subiit, sed etiam ab ipsa Conceptione, ex quo homo factus est.*

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA OCTAVA.

An Christus per actum Charitatis meruerit?

§. I.

Aliqua declarantur, & sententiæ referuntur.

Num. 1
De fide est Christum meruisse.

Certum de fide est: Christum Dominum in statu viatoris habuisse aliqua opera, quibus meruit; nam vt dicitur in Trident. Sess. 6. cap. 7. Ipse fuit causa meritoria nostræ iustificationis: Vndè Ecclesia, & omnes eius Doctores hoc unanimiter consentunt, & docent, & licet expressè non contineatur in Sacra Scriptura, habet tamen verba æquivalentia, scilicet: *Humiliavit semetipsum, &c. Propter quod, & Deus exaltavi illum, &c. & similia.*

Et vt hoc amplius patefiat, osten-

ditur, discurrendo per conditiones ad rationem meriti requisitas; istæ namquè sumuntur ex tribus capitibus, scilicet, ex parte actus, ex parte merentis, & ex parte illius, apud quem meremur. Ex parte actus requiritur, quod sit bonus, & honestus, liber libertate contingentia, & proportionatus cum præmio. Quæ conditiones ita sunt necessariae vt nec Divinitus suppleri possunt. Vndè actus carens honestate, vt est actus malus, & indifferens, nequit esse meritorius. Nequè qui caret libertate contingentia,

Conditiones ad rationem meriti requisitæ.

Conditiones ex parte actus.

ut sunt actus primò primi. Nequè qui caret proportione cum præmio, ut est actus naturalis, qui mereri nequit præmium supernaturale, nisi priùs eleveretur ad illum ordinem, saltem per directionem charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis; aut saltem per acceptationem Dei antecedentem. Quam acceptationem sufficere, videtur insinuare Scotus in 1. dist. 17. q. 3. §. 5. & 7. De 2. articulo.

3
Reperiuntur in operibus Christi.

Has condiciones ex parte actus reperiri in aliquibus Christi operibus, est manifestum; operabatur enim perfectè, & consequenter ex motivo honesto virtutis; Deinde: liberè operabatur, quia habebat liberum arbitriū, & tandem eius opera proportionabantur cum præmio, quia si hoc erat supernaturale, illa etiam supernaturalia erant. Nequè hoc potest negari, quia innegabile videtur, quod opus Christi, v.g. Ieiunium, fuerit bonum, & honestum, factum cum libertate contingentia, & proportionatum cum præmio.

4
Conditiones ex parte merentis.

Ex parte merentis duæ condiciones requiruntur. Prima est: quod qui meretur condignè præmium supernaturale, sit in statu gratiæ, quæ conditio requiritur ex natura rei, estque indispensabilis, si intelligatur de gratia habituali, vel extrinseca acceptatione in amicum, vel filium adoptivum, ut loquendo de proportione operis cum præmio diximus num. 2. Secunda est: quod sit viator, quæ conditio non ex natura rei, sed solum ex Dei voluntate requiritur, consequenterque est à Deo dispensabilis. Ratio autem, cur hæc conditio solum ex Dei voluntate requiratur, est: quia ex natura rei etiam comprehensores possunt mereri, dummodo eorum operationes habeant reliquas condiciones ad meritum per se requisitas.

5
Reperiuntur in Christo.

Has condiciones ex parte merentis in Christo fuisse repertas, est indubitatum apud omnes; fuit enim in statu gratiæ, & viatoris, quia etiam ab instanti conceptionis eius anima clarè viderit Deum, & de illo perfectissimam habuerit fruitionem; tamen per miraculum beatitudo animæ non redundabat in corpus, & consequenter simul erat beatus, & viator, seu tendens in gloriam corporis, & redemptionem generis humani. Quod autem

cum beatitudine animæ sit componibile meritum, fatetur Ecclesia ipsa, dum cum Tridentino diffinit: Christum Dominum meruisse nobis iustificationem, ut diximus num. 1.

Ex parte denique illius, apud quem meremur, requiritur promissio præmij sub conditione operis faciendi, quæ promissio habet rationem pacti, & per eam promittens manet obligatus ex iustitia propriè dicta, licet non ex toto rigore, ad remunerandum meritum, seu dandum præmium, ut probavimus disput. 46. & etiam statutum reliquimus tom. 1. in 3. disput. 5. 6. & 7.

Hanc tandem conditionem, scilicet, quod ex parte Dei præcesserit pactum, seu promissio præmiandi opera Christi Domini, est etiam apud omnes certum, in Christo reperiri, & prima ratio generalis est: nam aliqua Christi opera fuerunt meritoria, ut tanquam de fide certum, suppositum manet num. 1. atqui pactum nequit à ratione meriti separari, seu est ad meritum insupplevile: ergo ex parte Dei præcessit pactum præmiandi opera Christi Domini. Secunda ratio, & specialis est: quia loquendo de passione, & morte Christi, continetur promissio in illis verbis Isaïæ cap. 53. Si passuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. Et iuxta illud Pauli: Delens, quod adversus nos erat chirographum, cuius inelectio erat conditionata, scilicet, nisi Christus pateretur: ergo ex parte Dei præcessit pactum, seu promissio præmiandi opera Christi Domini.

Supposito itaque: aliqua Christi opera meritoria fuisse, difficultas in hac disputatione est: an Christus per actum Charitatis, vel dilectionis meruerit? Et rationem dubitandi proponit Ill. Godoy num. 1. eamque ad litteram transfero. Ratio dubitandi (inquit Ill. Godoy cit.) eaque satis efficax, & difficilis est; libertas namque ad meritum necessario requiritur, ut tenet comunis Theologorum sententia 1. 2. q. 114. art. 1. vbi inter alias condiciones ad meritum requisitas, omnes Theologi, nullo excepto, quem viderim, libertatem actus assignant; atqui actus Charitatis in Christo liber non fuit: Ergo Christus per illum non meruit. Minor, in qua sola est posita difficultas, probatur: Christus,

6
Conditio ex parte Dei.

7
In Christo reperitur.

8
Ratio dubitandi, & difficultas proponitur.

utpotè, clarè, & intuitivè Divinam Essentiam videns, necessario Deum diligebat; Deus enim clarè visus ad sui dilectionem necessitat, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 4. & cum illo communiter Theologi; ergo non diligit libere Deum; & consequenter actus Charitatis in Christo liber non fuit.

9

1. Sententia.

Hæc ratio dubitandi (prosequitur num. 2.) ob sui difficultatem adeo tortis Theologorum ingenia, vt illos in varios modos dicendi, pluresque sententias diviserit. Quidam illa convicti, negarunt, Christum per aliquem actum Charitatis erga Deum meruisse; cumque actus dilectionis proximi, non à Charitate Theologica, sed à benevolentia, aut beneficentia erga proximum in illorum sententia elicitur, consequenter inferunt, per nullum actum Theologicæ Charitatis meruisse. Hanc sententiam pluribus alijs relatis, tenet Vazquez *disp. 74. cap. 14.* in illamque Angelicum Preceptorem conatur adducere.

Vazquez.

10

2. Sententia.

Secunda distinguit duplicem actum dilectionis in Christo, vtrunque ad Dei bonitatem in se, & ratione sui terminatum; vnum regulatum scientia beata, alterum regulatum scientia supernaturali infusa; & asserit, primum fuisse necessarium omnino, ac proinde non meritorium. Secundum autem liberum, meritoriumque extitisse. Refertur pro hac sententia Caietan. *supra quest. 11. artic. 1.* sed falso; in illam tamen inclinat 1. p. q. 82. *circa finem.* Illam tenet Ferrar. 3. *contra Gentes cap. 62. §. Ad id, quod ultimo.* Medina *in presenti art. 3. q. 2.* Et probabilem cenet Vincentius *de Gratia Christi, quest. 5. pag. 414.* Pro qua etiam referuntur Capreolus *in 1. dist. 1. q. 2. in ultim. verbis.* Et Mag. Soto *lib. 3. de Natura, & Gratia, cap. 7.* Tenet etiam ex P. P. Societatis Suarez *disp. 29. Sect. 2.* Granadus *de Incarnatione tract. 14. disp. 1. Sect. 1.* Eidemque vt probabiliori adhæret Valentia *in presenti q. 19. punct. 2.* quos aliqui Recentiores ex eadem familia sequuntur.

Caietan.

Ferrar.
Medina.
Vincent.

Capreolus.

Sotus.

Suarez.
Granadus.

Valentia.

11

3. Sententia.

Tertia sententia duos alios actus Charitatis distinguit, vtrunque regulatum scientia beata; vnum, quo Deo bona intrinseca dilexit, & in illis, vt Deo bonis, complacuit; alterum, quo ipsi Deo bona extrinseca voluit, ni-

mirum, gloriam, honorem, & omnia bona creata, quatenus sunt bona Dei; & asserit, non meruisse per primum, quia necessarius erat; per secundum verò meruisse, quia non fuit necessarius, sed liber. Ita Lorca *disp. 72. cõcl. 2.*

Lorca.

12

Ita sunt sententiæ ab Ill. Godoy relatæ, & pro nulla, vt patet, citat Scotum, nec aliquem Scotistam, cuius signum evidens est: hanc difficultatè contra nos non tractare, & solum inter Thomistas disputare, quod etiam, manifestè apparet per ab ipso dicta in tota hac disputatione. Cõterum, hoc non obstante, contra ipsum in hac disputatione procedemus, & sicut ipse *num. 3. in fine* promittit quartã sententiam tribus assertionibus explicare, ita nos, vestigia illius sequendo, quartam, & veram sententiam tribus assertionibus explicabimus, pro ipsi- que Scotum, & Scotistas citabimus.

4. Sententia.

§. II.

Christum per aliquem actum Charitatis meruisse, probatur.

Prima conclusio: Meruit Christus per aliquem actum Charitatis erga Deum, regulatum scientia beata. Ita Scotus *in 3. dist. 18. quest. unica, §. In ista quest. 8. ad 2.* Et cum eo omnes Scotistas, quos citat Cavellus *in Scholio ad vers. contra illud.* Hanc conclusionem statuit Ill. Godoy *num. 4.* contra Authores primæ sententiæ negantes: Christum per aliquem actum Charitatis erga Deum meruisse. Et relictis rationibus, quibus illam pro prima parte probat ex D. Thoma, sic à nobis.

13

1. Conclusio

Scotus.

Scotista.

Ill. Godoy

Probatur 1. ex Scoto *cit.* obiectū primum, circa quod aliquis primò meretur, est Deus secundum quod affectione iustitiæ vult Deo bonum, nempe, esse, & bene esse, scilicet, Iustum, Sapientem, &c. atqui actus iste est Charitatis, & dilectionis: ergo Christus meruit tali actu. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est certa; nam meritum est ordinatus motus circa Deum, volendo ipsi bonum, propter quod meritum dicitur reperiri in portione superiori, & radicem omnis meriti esse in voluntate secundum affectionem iustitiæ; non secundum affectionem commodi, vt latè tradit Doctor *cit.*

14

1. p. cõclus. probatur 1.

Probatur secundo eadem pars con-

15

Probat. 2.

clusionis: nam Charitas est, quæ imperat omnes actiones, & operationes, estque radix omnis meriti: ergo ipsa est meritoria: ergo per ipsam meruit Christus. Antecedens est apud omnes certum. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: si Charitas, quæ imperat omnes actiones, & operationes, estque radix omnis meriti, non esset meritoria, nulla esset actio, & operatio meritoria; sed hoc est falsum, ut est manifestum: ergo Charitas est meritoria. Probatur maior: ablata radice, necessarium est, radicatum auferre, & ablata ratione meriti à Charitate imperante, necessarium est, rationem meriti auferre ab actibus imperatis; sed Charitas est, quæ imperat omnes actiones, & operationes, estque radix omnis meriti: ergo si ipsa non est meritoria, nulla esset actio, & operatio meritoria.

16

Probat. 3.

Probatur tertio conclusio: nam ex motivo præsertim Charitatis, scilicet, ex amore, & dilectione Dei, alia opera sua meritoria frequentissime Christus exercebat: ergo meruit Christus per actum Charitatis. Antecedens est certum: nam Christus operabatur, & patiebatur ex magna sua dilectione erga Deum, quæ glorificare intendebat, ut expressit ipse per Ioann. cap. 14. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem* Consequentia probatur: si Christus non meruisset per actum Charitatis, opera Christi ex motivo Charitatis procedentia, non essent magis meritoria, quam opera Christi ex alio motivo procedentia; sed hoc est falsum: ergo meruit Christus per actum Charitatis.

17

Dices.

Dices: hac, & præcedenti ratione non probari: amorem Christi in Deum esse meritorium formaliter; sed probari, dumtaxat: amorem Christi in Deum esse radicaliter meritorium, quia hoc indicat, Charitatem esse radicem meriti; tum, quia non plus probat, quod alia virtutum opera exercuisset ex motivo amoris, quo Deum diligebat. Sed contra primò: amor Christi in Deum fuit formaliter meritorius: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: amor Christi in Deum fuit actus imperans actus formaliter meritorios cæterarum virtutum: ergo amor Christi in Deum fuit formaliter meritorius. Probatur conse-

Contra 1.

quentia: actus imperati, vniuersaliter loquendo, participant formaliter bonitatem, & meritum actus imperantis; sed amor Christi in Deum fuit actus imperans actus formaliter meritorios cæterarum virtutum: ergo fuit formaliter meritorius. Maior, & minor tenent. Consequentia elaret: nam nequeunt actus imperati participare formaliter meritum actus imperantis, quin actus imperans sit formaliter meritorius; atqui iuxta concessa amor Christi in Deum fuit actus imperans actus formaliter meritorios cæterarum virtutum: ergo amor Christi in Deum fuit formaliter meritorius.

Contra secundò: actus, qui ex motivo Charitatis procedunt, sunt magis meritorij formaliter, quam actus, qui ex alio motivo, à Charitate distincto, procedunt: ergo actus Charitatis Christi erga Deum fuit formaliter meritorius; & consequenter tradita solutio ruit. Antecedens est certum. Consequentia verò probatur: repugnat, quod actus, qui ex motivo Charitatis procedunt, sint magis meritorij formaliter, quam actus, qui ex alio motivo, à Charitate distincto, procedant, quin actus Charitatis sit formaliter meritorius; atqui plures actus formaliter meritorios Christus exercuit ex motivo Charitatis eius erga Deum: ergo actus Charitatis Christi erga Deum fuit formaliter meritorius. Consequentia est legitima. Minor est certa, & probata manet *num: 16*. Maior autem patet: alioquin actus prædicti non essent magis meritorij formaliter, quod est contra veritatem antecedentis, quod concessum manet.

Contra tertio, & denique probatur conclusio: Charitas est omnium virtutum Princeps; sed actus aliarum virtutum fuerunt in Christo formaliter meritorij: ergo formaliter meritorius fuit etiam actus Charitatis in Christo. Maior est generalis omnium consensus, & ideo opus Charitatis dicitur, & est inter omnes virtutes perfectissimum. Minor est innegabilis. Consequentia verò probatur: non est dicendum, Christum caruisse excellentiori actu meritorio formaliter; sed si actus Charitatis in Christo non fuisset formaliter meritorius, Christus caruisset excellentiori actu meri-

18

Contra 2.

01

19

Contra 3.
& denique
prob. conclusio.

torio formaliter: ergo actus charitatis in Christo fuit formaliter meritorius. Maior patet: Christo enim denegandum non est, quod excellentius est. Minor constat, & concessa manet. Consequentia legitima videtur.

Deinde: secunda pars conclusionis, scilicet, *Quod actus iste dilectionis Dei, quem formaliter meritorum statuimus in Christo, regulatur visione beata, seu ad visionem beatam subsequatur, traditur ab Scoto citat. num. 13.* eamque probat Ill. Godoy, loquendo de prædicta Dei dilectione, prout respicit bona extrinseca, quæ Deo amantur à creaturis; non verò prout respicit ipsum Deum clarè visum, seu intrinsecas Dei perfectiones, vt patet ex ab ipso traditis numer. 12, quod idem repetit §. 6. per totum.

Sed licet hoc sufficiat ad veritatem conclusionis contra Authores primæ sententiæ, qui, vt diximus numer. 13. negant, Christum meruisse per aliquem actum charitatis; non tamen sufficit ad veritatem conclusionis, quæ debet statui, scilicet, Christum meruisse per actum charitatis erga Deum regulatum visione beata, non solum prout respicit bona extrinseca Dei, sed etiam prout respicit intrinsecas Dei perfectiones, vt conclusione tertiâ dicemus contra Ill. Godoy, & per ibi dicenda probata manebit hæc secunda pars primæ conclusionis, contra quam nullum est argumentum præter supra positum numer. 8. pro ratione dubitandi, de quo infra §. 6. vbi veram solutionem rationi dubitandi assignabimus.

§. III.

Christum per actum charitatis, regulatum scientia infusa, meruisse, probatur.

Secunda conclusio: *Christus Dominus meruit per actum dilectionis Dei, regulatum scientia infusa.* Ita Scotus cit. num. 13. quem præter Scotistas secuntur ex Thomistis, & ex Iesuitis Authores pro secunda sententiâ relati num. 10. Conclusio est contra Ill. Godoy numer. 33. negantem, dari in Christo duplicem amorem erga Deum, alterum regulatum scientia infusa, & alterum regulatum scientia beata. Probatur primo conclusio: Christus per scientiam supernaturalem infu-

sam cognovit Deum quidditative abstractivè: ergo potuit Christus liberè ipsum amare propter se ipsum: ergo & mereri per talem amorem, & consequenter sic de facto amavit, & meruit. Antecedens est Scoti opinio, quam contra Ill. Godoy propugnauimus tom. præced. disp. 36. §. 1. vbi solum, & reorsum manet quid quid in oppositum adducit. Consequentia est notoria: nam illa cognitio, vtpote, abstractiva, non est beata; hæc enim semper est intuitiva: ergo non aufert libertatem voluntatis, quod etiam apud Ill. Godoy est verum.

Probatur secundo conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: nam ex effectibus supernaturalibus, scilicet, ex actu fidei supernaturalis, visionis beatæ, & aliorum (quos Christus Dominus cognovit per scientiam per se infusam apud Ill. Godoy tom. 2. in 3. p. disp. 35. num. 41. & in nostra sententiâ per scientiam per accidens infusam iuxta dicta tom. præced. disp. 35. §. 2. & 5.) cognovit Christus Dominus à posteriori evidentè quoad an est, Deum Authorem supernaturalem; atqui ad hanc cognitionem potuit sequi amor Dei in se: ergo potuit mereri per hunc actum dilectionis Dei in se. Tunc sic, sed hic actus esset scientia infusa regulatus: ergo potuit Christus mereri per actum dilectionis Dei, regulatum scientia infusa, & consequenter de facto meruit.

Maior est doctrina Ill. Godoy, quam tradit tom. 2. cit. disp. 36. numer. 30. & repetit in præsentibus num. 34. Minor apparet: nam cognitione supposita, amare potest voluntas. Consequentia est manifesta; quia ille actus esset Christi, vt viatoris, & esset liber, quorum vtrumque tenetur concedere Ill. Godoy, & ostentum manet numer. 22. Susumpta est apud omnes certa: amor enim, qui ad scientiam infusam sequitur, scientia infusa regulatur, sicut qui sequitur ad scientiam beatam, scientia beata regulatur. Consequentia, ex susumpta deducta, legitima est, simul cum consequente.

Arguit Ill. Godoy num. 36. contra nostram conclusionem: duo accidentia solo numero distincta, non possunt esse simul in eodem subiecto, vt cum Aristotele, & Angelico Doctore docet melior philosophia; sed amor Dei regulatus per scientiam beatam,

20

2. p. conclus. vt traditur ab Ill. God. declaratur.

21

Vt ab Scoto traditur, declaratur, & infra probabitur.

23

Prob. 2. ad hom. contra Ill. Godoy.

24

22

2. Conclusio. Scoti contra Ill. Godoy.

Probatur. 1.

25

Arguit Ill. Godoy.

solum numero differret ab amore eiusdem, regulato per scientiam infusam; cum haberent idem obiectum, nempe, eadem bonitatem Divinam; ex obiecto autem sumitur specifica inter actus distinctio: ergo non fuerunt in Christo duo amores Dei, alter regulatus per scientiam beatam, & alter per scientiam infusam.

26

Respond. 1.

Duo accidentia, solo numero distincta possunt esse in eodem subiecto de potentia absoluta.

Respondeo primò negando maiorem; quia duo accidentia solo numero distincta, posse esse in eodem subiecto, cum Aristotele, & Scoto docet melior Philosophia. Id enim vltra Scotum in 3. dist. 8. q. unica. §. contra istam rationem. Et 5. Methaph. quest. 7. docuerunt Antonius Andres 5. Methaph. q. 8. Trombeta q. 7. Faber. disput. 12. fuisse, & exactè. Aureolus in 1. d. 7. q. 2. art. 1. Suarez disput. 5. methaph. sect. 3. Pasqualigius tom. 2. methaphisicæ disp. 42. & alij quam plures, ex quibus (Pasqualigio excepto) non solum de potentia Dei absoluta id de omni accidente concedunt, verum de aliquibus id de potentia ordinaria, seu naturaliter propugnant. Et iuxta hanc doctrinam.

27

Respond. 2.

Quaedam accidentia, solo numero distincta possunt naturaliter esse in eodem subiecto.

Respondeo secundò distinguendo maiorem: duo accidentia, solo numero distincta, non possunt esse simul in eodem subiecto de potentia Dei absoluta nego maiorem; de potentia Dei ordinaria, subdistinguo duo accidentia omninò similia non possunt esse simul in eodem subiecto concedo maiorem; non omninò similia nego maiorem; & hac distinctione distinguo minorem, & nego consequentiam. Itaque: accidentia quaedam sunt omninò similia in munere, officio, & habitudine, vt sunt duo calores, duæ albedines, & similia; alia verò sunt, quæ differunt, vel in munere, vel in habitudine, quæ est veluti diversitas quædam materialis, vt sunt duæ visibiles species diversorum individuorum, & duæ Paternitatis relationes.

28

Probatür ex fine.

Ex his autem, licet accidentia omninò similia nequeant naturaliter multiplicari in eodem subiecto; accidentia autem non omninò similia possunt naturaliter multiplicari in eodem subiecto, & de facto multiplicari, docet experientia. Quod validissimis rationibus ex fine, & efficiente deductis, ostenditur. Ex fine sic primo: nam multiplicatio accidentium

omninò similiarum esset supervacanea, & otiosa, non verò multiplicatio accidentium non omninò similiarum: ergo sine multiplicatione illorum stat istorum multiplicatio. Probatür antecedens: multiplicatio illorum, quæ nec in munere, nec in officio, nec in habitudine differunt, supervacanea, & otiosa est; non verò multiplicatio illorum, quæ in munere, officio, & habitudine differunt; atqui accidentia omninò similia, nec in munere, nec in officio, nec in habitudine differunt; accidentia autem non omninò similia in aliquo istorum differunt: ergo multiplicatio accidentium omninò similiarum esset supervacanea, & otiosa, non verò multiplicatio non omninò similiarum. Maior patet: nam sicut non esset finis in multiplicatione accidentium omninò similiarum ob nullam illorum differentiam; adeo finis in multiplicatione accidentium non omninò similiarum ob aliquam illorum differentiam. Minor est certa; alioquin nec omninò similia, nec omninò non similia, talia essent. Consequentia est legitima.

Probatür secundò ex efficiente: nam agens per se solum intendit, reddere passum sibi simile; atqui hoc agens consequitur per vnâ solam formam ex formis omninò similibus: ergo agens per se solum intendit vnâ ex his formis: ergo alia erit superflua, & consequenter non multiplicanda. Suffumo nunc; atqui hæc ratio cessat in accidentibus, vel formis, quæ non sunt omninò similes, quia subiectum indiget maiori assimilatione, ideoque agens illam procurat: ergo locum habet in his multiplicatio: ergo licet accidentia omninò similia nequeant naturaliter multiplicari in eodem subiecto; oppositum debet evenire in accidentibus non omninò similibus. Cum igitur amor Dei regulatus per scientiam beatam, & amor eiusdem regulatus per scientiam infusam, non sint omninò similes, quia vnus est beatus, & alter non beatus; hinc est, quod de lege ordinaria, sive naturaliter in eodem subiecto, nempe, Christo, compatiantur.

Hanc solutionem prævidit Ill. Godoy num. 37. contra ipsamque replicat num. 40. nam dissimilitudo illa, vel est specifica, vel tantum individualis? Si primò: solo numero non

or

29
Prob. 2. ex efficiente.

30
Impugnatio Ill. Godoy. Solutionem I.

dif-

Probat mi-
norem, quo
ad 2. p. I.

differant. Si secundum: non potest cum unitate subiecti salvari: ergo prædicta accidentia, eito dissimilia sunt, simul existeri nequeunt. Minorem pro secunda parte probat primo numero. 38. nam ratio, quare duo accidentia solo numero distincta, nequeunt esse simul in eodem subiecto, est, quia unitas, & distinctio numerica, cum non formalis, sed materialis sit, non à forma, sed à materia sumuntur, & subiectum respectu accidentium obtinet vices materiæ; at hæc ratio pari efficacia militat in non omnino similibus, atque in accidentibus omnino unilibus: ergo duo accidentia non omnino unilia, solo numero distincta, nequeunt simul in eodem subiecto existeri.

31
Secundò.

Probat secundo dictam minorem num. cit. nam dato, quod accidentia non omnino similia, solo numero distincta, possent simul eidem subiecto in esse, hoc tantum teneret verum, quando cum unitate subiecti essent termini, vel obiecta diversa, à quibus numericam distinctionem reciperent: at in casu nostri dubij non dantur diversa obiecta, sed vnum, & idem est, quod per actum liberum, & necessarium attingitur, nempe, eadem Divina bonitas per utramque scientiam proponita: ergo dato, duo accidentia solo numero distincta, posse esse simul in eodem subiecto, quando non omnino similia sunt, non sequitur, posse Deum simul per actum liberum, & necessarium numero distinctos diligi.

32
Tertiò.

Tertiò probat dictam minorem num. 39. nam iuxta D. Thom. infra quæst. 55. art. 5. & communem Thomistarum sententiam: pater non pluribus, sed vna tantum relatione ad plures filios refertur, eo quod, si plures essent, solo numero differant, & non possunt duo accidentia solo numero distincta, simul eidem inherere subiecto, & tamen relationes Paternitatis, si essent, non essent omnino similes, quia terminos diversos respicerent: ergo iuxta Div. Thomam axioma assumptum non solum verificatur de accidentibus omnino similibus, sed etiam de non omnino similibus.

33
Respond. ad
replicam.

Respondeo ad replicam concessa maiori, negando minorem pro secunda parte, ad cuius primam proba-

tionem nego suppositum maioris supponit namque, quod accidentia individuentur per subiectum, quod est falsum, vt tenet Scotus in 4. dist. 12. q. 2. §. Hic sunt due opinionones. Et in 3. dist. 8. q. unica. Vbi eius expositores Kada 2. p. controvers. 3. art. 3. Faber. Theorem. 90. cap. ultim. & 92. Pontius disp. 6. Logica q. 8. Suarez disp. 5. metaphisica lect. 7. & alij, ex quo ad secundam minoris probationem, & tertiam nego suppositum maioris ob eandem rationem. Et licet hæc erat sufficiens ad impugnationem solutio; ne tamen solutionem nudam relinquamus, sicut impugnationem Ill. God. dereliquit; solutionem firmabimus, falsitatem suppositi declarando.

Firmatur primo solutio: nullum accidens, siue materiale, siue spirituale, siue absolutum, siue respectivum, individuatur per subiectum; sed hoc supponit solutio: ergo falsum supponit. Probatur maior primo: differentia individualis debet esse intrinseca individuo; sed subiectum non est intrinsecum accidenti: ergo. Secundò: accidens singulare cuiuscumque prædicamenti, vt hæc quantitas, hæc albedo &c. secundum se consideratum est vnum per se, & non per accidens: ergo substantia non constituit illud in esse individuali. Consequencia patet: nam alioquin esset ens per accidens.

Firmatur secundò: plura accidentia, solo numero distincta, possunt saltem successivè in eodem subiecto reperiri: ergo accidens non individuatur per subiectum. Antecedens patet experientia; nam aqua v. g. sæpius frigescit, & incalescit: aer sæpius illuminatur, & tamen non est idem lumen, quod reddit aer, nec est idem frigus, nec idem calor, quem aqua reddit. Consequencia probatur: si accidens individuaretur per subiectum, nec successivè possent plura accidentia solo numero distincta, esse in eodem subiecto; sed plura accidentia solo numero distincta, possunt saltem successivè in eodem subiecto reperiri: ergo accidens non individuatur per subiectum. Probatur maior: si accidens individuaretur per subiectum, itante unitate subiecti, omnia accidentia succedentia essent vnum accidens: ergo si accidens individuaretur per subiectum, nec successivè

34

Firmatur 1
solutio.

Nullum acci-
dens indi-
viduatur
per subiec-
tum.

35

Firmatur 2

possent plura accidentia solo numero distincta, esse in eodem subiecto. Probatur antecedens: si accidens individuaretur per subiectum, stante unitate subiecti, semper subiectum daret eandem individuationem: ergo si accidens individuaretur per subiectum, stante unitate subiecti, omnia accidentia succedentia essent vnum accidens. Antecedens est manifestum. Consequentia legitima: quia stante eadem individuatione, non stat numerica distinctio.

36

Firmatur 3

Firmatur tertio: si accidentia numero differrent per subiectum, non solum duo accidentia solo numero distincta repugnarent in eodem subiecto; verum etiam duo accidentia diversae speciei; sed hoc est falsum: ergo accidentia non differunt numero per subiectum, & consequenter non individuantur per illud. Consequentia patet. Minor docetur ab experientia; videmus namque in eodem subiecto dulcedinem, & albedinem, quae sunt accidentia diversae speciei. Maior probatur: idem individuationis principium nequit plura numero individuaré: ergo idem subiectum nequit individuaré duo accidentia diversae speciei: ergo si accidentia numero differrent per subiectum, non solum duo accidentia, solo numero distincta, repugnarent in eodem subiecto; verum etiam duo accidentia diversae speciei. Vtraque consequentia apparet. Antecedens probatur: principium individuationis est proprium illius, quod individuat: ergo idem individuationis principium nequit plura numero individuaré.

37

Firmatur 4
de accidentibus respectivis.

Firmatur denique de accidentibus respectivis: nam si D. Thomas (vt ait Ill. Godoy *num. 39.*) sentit: Patrem vnica relatione Paternitatis referri ad plures filios; Scotus docet: non vnica, sed pluribus Paternitatis relationibus, solo numero distinctis, referri ad plures filios, eo, quod nullum accidens individuatur per subiectum, sed per propriam haecitatem, vt de omnibus generaliter est ostensum, & late probat Doctor citatus *num. 26.* Ultra dicta tamen sic contra Ill. Godoy.

38

Firmatur 5

Firmatur quinto: in eodem Patre ad plures filios possunt saltem successivè esse plures Paternitates: ergo Paternitas non individuatur per subiec-

tum. Consequentia claret ex dictis *num. 35.* Antecedens autem, quod de accidentibus absolutis experientia probavimus *num. cit.* nunc de respectivis pro Paternitate probatur: accidentia respectiva variari possunt successivè in eadem re: ergo in eodem Patre ad plures filios possunt saltem successivè esse plures Paternitates. Probatur antecedens: in casu, quo Petrus nunc sedeat, postea surgat, & iterum sedeat, in eodem Petro sunt plures sessiones successivè. Item: in casu, quo vna forma sit vnita subiecto, postea pereat vnio, & iterum reuniatu eidem subiecto, forma per aliam numero vnionem, à qua fuit primo vnita, reunitur; atqui sessiones, & vniones sunt accidentia respectiva: ergo accidentia respectiva variari possunt successivè in eadem re. Nec obest, quod eadem sessio, & vnio reproduci valeat, quod etiam docet Scotus in *4. dist. 43. q. 1. in fine*, quia licet reproduci possint; hoc tamen non est necessarium: ergo per nobam numero sessionem, & nobam vnionem, Petrus sedebit, & forma vnietur.

39

Firmatur 6

Firmatur sexto contra ipsam: nam dato, & non concesso, quod Paternitas per aliquid extrinsecum individuaretur, nulla est ratio, cur per subiectum, vel fundamentum individuetur, & non per terminum; sed si terminus ingreditur in principium individuationis Paternitatis, Pater habens plures filios, habebit plures Paternitates numero distinctas: ergo plura accidentia respectiva solum numero distincta naturaliter erunt in eodem subiecto. Probatur maior: essentia relationis magis per ordinem ad terminum explicatur, quam per ordinem ad subiectum, vel fundamentum: ergo &c. Antecedens constat ex diffinitione relationis. Consequentia probatur: non est ratio, vt de individuatione relationis non philosophemus, sicut de eius essentia philosophamus; sed essentia relationis iuxta concessa magis explicatur per ordinem ad terminum, quam per ordinem ad subiectum, vel fundamentum: ergo dato, & non concesso, quod Paternitas per aliquod extrinsecum individuaretur, nulla est ratio, cur per subiectum, vel fundamentum individuetur, & non per terminum.

Replicat Ill. Godoy secundo *n. 40.*

40

Replicat 2.
Ill. Godoy.
cōtra solutio-
tionem.

contra nostram supra datam solutio-
nem: quia omnia accidentia solo nu-
mero distincta habent dissimiles con-
ditiones: nam Individuum est cuius
collectio proprietatum taliter con-
venit vni, quod non potest alijs com-
petere: ergo si amor necessarius, &
liber, quia sunt inter se dissimiles,
possunt existere simul in eodem sub-
iecto, quælibet alia accidentia solo
numero distincta, poterunt simul in
eodem subiecto esse.

41
Respond. 1.

Respondeo distinguendo antece-
cedens: omnia accidentia solo nume-
ro distincta, habent dissimiles condi-
tiones in ratione communi individui
concedo antecedens; in ratione talis
individui nego antecedens, distinguo
similiter probationem imbibitam, &
nego consequentiam. Certum itaque
est: quod omnia individua eiusdem
speciei, præter dissimilitudinem acci-
dentalem, quam habent, ratione in-
tensionis, vel extensionis, aut alterius
accidentis, consequentis differentiam
individualem; habent etiam ratione
differentiæ individualis, seu ratione
communi individui, aliquam dissi-
militudinem substantialem, vel me-
thaphisicam, nempe, *hoc non esse aliud*,
vt diximus in Logica, & docuit Sco-
tus, docendo: inter plura individua
eiusdem speciei non dari inæqualita-
tem perfectionis entitativæ de quo
agit Doctor in 2. dist. 16. in fine. Et dist.
20. q. 2. Et in 4. dist. 44. q. 1.

42

Cæterum falsum est, quod omnia
accidentia, solo numero distincta, ha-
beant dissimiles condiciones in ratio-
ne talis individui; nam vt diximus
num. 27. duo colores, & duæ albedi-
nes, sunt omnino similes in munere,
officio, & habitudine, quam similitu-
dinem non habent duæ visibiles spe-
cies diversorum obiectorum, & duæ
relationes Paternitatis, ob quod num.
28. & 29. probavimus, accidentia om-
nino similia naturaliter non multi-
plicari; bene verò accidentia non
omnino similia, cuius conditionis
sunt amor regulatus per scientiam
beatam, & amor per scientiam infu-
sam regulatus, ex ibi dictis. Nequæ ad
hoc valet aliquid probatio imbibita
antecedentis. Si autem hæc solutio
Ill. Godoy non placet, quia fateri nol-
lit differentiam assignatam de acci-
dentibus omnino similibus, & omni-
no non similibus, omitto, quantum

Respond. 2.

adducit in replica, & nihil contra
nostra conclusionem.

Respondeo tertio ad argumen-
tum supra dictum Ill. Godoy, omit-
tendo maiorem, & negando minorem:
nam licet haberent idem obiectum
amor regulatus per scientiam beatam,
& amor per scientiam infusam regu-
latus, hoc tamen non obest, vt tales
amores specificè distinguantur. Cu-
ius quadruplex ratio est à nobis assignanda.
Prima est: quia specifica inter
actus distinctio non sumitur ex obiec-
to, tanquam ab specificativo ad æqua-
to; sed solum inadæquato. Aliunde
namque possunt specificè distingui,
nempe, à principijs, imò magis ab illis,
quam ab obiectis, cum ab his ac-
cipiant solum extrinsecum ordinem,
& habitudinem; ab illis autem intrin-
secum esse; vnde dixit Scotus in 3.
dist. 14. quest. 1. ad 2. quod etiam si
distinctio obiectorum semper con-
cludat distinctionem actuum, & po-
tentiarum; non tamen unitas specifi-
ca obiecti concludit semper unitatē
actus, & potentia. Vnde generalis ex-
tra controversiam est hæc regula: Si
cognitiones præviæ ad amorem sunt
inter se specie diversæ, quia nimirum,
aut diversa prorsus obiecta represen-
tant, aut idem, sed sub diversa ratio-
ne formali, aut alia de causa, ad earum
diversitatem specificam sufficiente,
semper inducunt diversitatem speci-
ficam affectuum in voluntate. Ex
qua regula manifestè apparet, quod
unitas obiecti non obest ad differen-
tiam specificam actuum.

Secunda ratio, & magis ad pro-
positum, est: quia tales amores petunt
prævias condiciones specificè distin-
ctas, quales sunt, vt fatetur Ill. God.
num. 44. scientia beata, & scientia in
proprio genere, qua ratione Doctor
in 4. dist. 49. quest. 5. probabilius de-
fendit, quod amor viæ, & Patriæ dif-
ferunt specie, quia petunt prævias
condiciones specificè diversas, quales
sunt cognitio fidei, & cognitio beata.
Quod autem præviæ condiciones spe-
cificè distinctæ inferant diversitatem
specificam in actibus, ostendit Doctor
cit. quia licet cognitio sit pura con-
ditio, & non obiectum formale, tamē
cognitio obscura est conditio essen-
tialiter requisita ad amorem viæ, &
cognitio intuitiva ad amorem Patriæ;
sed conditio essentialiter requisita ad

43
Respond. 3.
ad argum.

Specificæ ac-
tuum distinc-
tio non su-
mitur ad æ-
quatem ab
obiecto.

44
Specificæ
distinctio
petit præ-
vias condi-
tiones spe-
cificè dis-
tinctas.

effectum, essentialiter etiam suo modo concurrunt ad specificationem illius; ergo praeviae conditiones specificè distinctae inferunt diversitatem specificam in actibus.

45
Specifica
distinctio
sumitur ex
diverso modo
attingendi
obiectum.

Tertia ratio est: quia tales amores diverso modo respicerent Deum; quia amor secutus ad scientiam beatam respiceret Deum intuitivè; amor verò secutus ad scientiam infusam, Deum respiceret abstractivè, quod sufficit, ut praedicti amores specie differant; quia actus non solum distinguuntur specie ob objectis, sed etiam ex diverso modo attingendi objectum, ut est apud omnes ferè in confessio.

46
Specifica
distinctio
sumitur ex
diversa approximatione.

Denique quarta ratio est: quia tales amores haberent diversas approximationes ad idem objectum; ut patet: nam amor secutus ad scientiam beatam procederet à voluntate aproximata per notitiam intuitivam objecti; amor verò secutus ad scientiam infusam procederet à voluntate aproximata per notitiam abstractivam objecti, quae diversa aproximatio eiusdem objecti sufficit ex Scoto in 3. dist. 31. q. unica, s. Sed adhuc, ut amor vitae, & Patriae specie differant.

47
Doctrina
tradita
declaratur, &
confirm.

Quam doctrinam egregiè declarat Scotus in 4. dist. 14. q. 5. hac simul ratione, & exemplo: ex sola diversa approximatione variatur effectus essentialiter: ergo ex sola diversa approximatione variatur effectus specificè. Probatur antecedens: maior ignis ad lignum aproximatio facit, quod ignis producat ignitionem; minor verò aproximatio facit, quod calefactionem tantum producat: sed hi duo effectus sunt essentialiter diversi: ergo ex sola diversa approximatione variatur effectus essentialiter. Cum ergo cognitio sit veluti intentionalis aproximatio objecti ad voluntatem, maior aproximatio, & minor, scilicet, cognitio intuitiva, & abstractiva, poterunt sufficienter inducere diversitatem specificam amorum.

48
Respond. 4.
ad argum.

Statuto iam, quod unitas objecti nullatenus officit, ut amor per scientiam beatam regulatus, & amor regulatus per scientiam infusam, sint specie diversi. Respondeo quartò ad praedictum argumentum, omittà maiori, negando minorem, & eius probationem, nempe, quod haberent idem obiectum, scilicet eandem bonitatem Divinam. Ratio est: quia plura objecta, quae ab

scientia infusa non attinguntur, attingit visio beata; in vita enim B. Mariae de Pazis (ut refert Arriaga) legitur: quod dictae Mariae semel per revelationem valde multa attributa manifestata fuere, de quibus nec summi Theologi tractant. Unde etiam per diversa objecta specificè distinguuntur amores praedicti. Quod, hac supposita doctrina iuxta omnium sententiam.

Demonstro: si cognitiones praeviae ad amorem specificè distinguuntur, eo, quod diversa objecta repraesentent, tunc iuxta omnium sententiam semper inducunt diversitatem specificam actuum voluntatis; atqui visio beata, à qua amor beatificus procedit, & scientia infusa, à qua amor tali scientia regulatus, procedit, repraesentant diversa objecta: Ergo inducunt diversitatem specificam in his amoribus; ergo hi amores distinguuntur specificè ex eo etiam, quod diversa habeant objecta. Secunda consequentia ex prima inferitur. Prima autem ex praemissis. Ex his verò maior est generalis omnium doctrina. Minor constat ex dicta revelatione, & ex eo, quod aliqua Christus scientia beata cognovit, quae scientia infusa cognita non erant.

Hanc simul, & praecedentem solutionem impugnat Ill. God. num. 42. amor namque regulatus per fidem, non differt specificè ab amore regulato per intuitivam visionem: ergo pariter: scientia infusa, & visio clara non inducunt specificam differentiam in amores regulatos. Consequentia est evidens: magis enim distant fides, & visio beata, quam scientia beata, & infusa; cum istae in claritate conveniant; secus autem fides, & visio: ergo si ex visione, & fide non variantur specificè actus, nec ex scientia infusa, & visione accipient diversitatem specificam. Antecedens autem suadetur primò ex D. Thoma 1. 2. q. 67. art. 6. ad 1. quo argumento contendeat probare, Charitatem vitae, & patriae non esse eiusdem speciei propter fidei, & visionis regulantium diversitatem; & respondet: Dicendum, quod Charitas non habet pro obiecto ipsam cognitionem; sic enim non esset eadem in via, & in Patria, sed habet pro obiecto ipsam rem cognitam, quae est eadem, scilicet, ipsum Deum: ergo iuxta D. Tho-

49
Amores praedicti specie differunt propter diversa objecta.

50
Impugnat Ill. Godoy. solutionem.

Probat antecedens 1.

mam, amor fide regulatus, non differt specificè ab amore regulato per beatificam visionem.

§ 1
Secundò.

Secundò probatur ex eodem D. Thom. q. 25. de veritate, art. 1. ad 6. ubi docet: apprehensionum diversitatem per accidens se habere ad variandos appetitus, nisi ipsam consequatur diversitas apprehensorum, hoc est, bonorum appetibilium; sed visionem claram Dei, & fidei cognitionem obscuram non sequitur apprehensorum diversitas, sed eadem bonitas Divina per utranque cognitionem proponitur: ergo amores regulati per illas non differunt specificè. Tertio probatur: nam apprehensio non est formale obiectum, nec quod, nec quo voluntatis, ut in Phisica docuit, constatque ex D. Thom. utroque testimonio allegato; sed bonitas est ratio formalis specificans voluntatem: ergo stante eadem bonitate specifica, eisdem regulæ, aut apprehensiones varientur, non multiplicantur actus voluntatis specificè; sed per fidem, scientiam infusam, & visionem claram Dei eadem bonitas divina proponitur: ergo licet cognitiones istæ inter se distinguantur specificè, actus regulati per illas, specificè non distinguuntur.

Tertio:

§ 2
Quartò.

Denique: nam si bonitas divina, ut proposita per fidem, aut scientiam per se infusam, & beatificam visionem, esset obiectivè diversa ad variandos specificè actus voluntatis, maximè, quia ut sic est sufficientèr diversa ad specificè distinguendos actus intellectus, qua ratione plures ex contrariis utuntur; at hoc fundamentum est insufficiens omninò: ergo, & tradita solutio. Minorem ostendit, primò: nam Deus respectu intellectus; ideò prædictos actus specificè distinguit, quia attingitur ab illis, ut stat sub diversis rationibus obiectivis formalibus, à fide sub revelatione obscura, à scientia infusa sub effectibus creatis, à beatifica visione in se, & ratione suis; at respectu voluntatis non obijcitur sub diversis rationibus, sed sub eadem ratione bonitatis increatæ: ergo ex eo, quod actus intellectus distinguat, non sequitur idem de actibus voluntatis dicendum. Secundò: nam Deus in ordine ad intellectum, non solum obiectivè actus distinguit, sed etiam distinguit habitus; & tamen ut bonus per has regulas propositus,

Probat minorem I.

Secundò.

non distinguit habitus voluntatis: idè enim est habitus Charitatis Patriæ, & viæ, ut tenet communis Theologorum sententia: ergo ex eo, quod in Deo sit diversitas sufficiens ad distinguendum specificè visionem claram, fidem, & scientiam infusam, non sequitur, etiam in ratione boni, habere sufficientem distinctionem obiectivam ad distinguendos specificè amores regulatos per illas.

Respondeo primò negando antecedens, cuius primam, & secundam probationem nobis solvere non incumbit; negamus itaque cum Scotocit. prædictam D. Thomæ doctrinam; imò nequè ita est apud ipsos Thomistas, cum plures D. Thom. sequentes, doctrinam Scoti amplectentur, nempe, amorem viæ, & Patriæ specie differre, ut sunt Caietanus, Capreolus, Ferrariensis, & ex Recentioribus Coninch, Amicus, Arriaga, & alij, qui D. Thomam exponent, ut in eius opinione, & doctrina salvent sententiam Scoti, quam secuntur.

Ad tertiam probationem, concessa maiori, distinguo minorem: bonitas est ratio formalis specificans adæquatè voluntatem nego minorem; inadæquatè concedo minorem, & nego consequentiam, ob dicta num. 43. Et distinguo subsumptam, primò: per fidem, scientiam infusam, & visionem beatam Dei, eadem bonitas Divina proponitur cum prævijs conditionibus specificè distinctis concedo minorem; specificè indistinctis nego minorem, & consequentiam. Solutio claret ex dictis num. 44. Distinguo secundò: eadem bonitas Divina, & eodem modo proponitur nego minorem; & diverso modo concedo minorem, & nego consequentiam, cuius ratio allata est num. 45. Distinguo tertio: eadem bonitas divina cum eadè approximatione proponitur nego minorem; cum diversa approximatione concedo minorem, & nego consequentiam, ob dicta num. 46. & 47.

Ad quartam probationem respondeo primò negando maiorem; quia nos diversitatem specificam in illis actibus voluntatis non deducimus ex diversitate specifica actuum intellectus, ita, ut ratio, quæ in actibus intellectus convincit diversitatem specificam, sit ratio, quæ convincat talem

§ 3
Respond. 1.
Ad 1. & 2.
prob. antec.

§ 4
Ad 3.

§ 5
Ad 4. respondeo 1.

diversitatem in actibus voluntatis, & ratio est manifesta: nam ratio convincens diversitatem specificam in actibus fidei, scientiæ infusæ, & visionis, est, (vt ait Ill. Godoy) quia prædicti actus attingunt Divinam bonitatem sub diversis rationibus obiectivis formalibus; atqui hanc ratione, vt constat ex hucusquæ dictis, nos non probamus diversitatem specificam illorum actuum voluntatis, sed tantum ex conditionibus prævijs specificè distinctis; ex diverso modo respiciendi bonitatem Divinam, & ex diversa approximatione, sicut liquet à num. 44. usque ad 48. ergo illa ratione nos non vitur, & consequenter non militat contra nos impugnatio.

§6
Secundò.

Respondeo secundò ad prædictam probationem, omiſſa maiori, distinguendo minorem: est insufficientis ad variandos specificè actus voluntatis eo, quod sub diversis rationibus formalibus respiciant Divinam bonitatem concedo minorem; ex alio capite nego minorem, & consequentiã. Ratio est: nam licet Divina bonitas non obijciatur voluntati sub diversis rationibus, ideoquæ ex hoc capite amores prædicti specie non differant; est tamen aliud caput, & adhuc principalius, ad diversitatem specificam illorum, scilicet, quod plura obiecta, quæ à fide, & scientia infusa non attinguntur, attingeret visio beata, vt diximus num. 48. ergo saltem ex hoc capite amores prædicti erunt specificè diversi. Consequentia hæc demonstrata manet num. 49.

§7
Ad 1. prob.
minoris.

Vndè ad primam minoris probationem, concessis præmissis, distinguo consequens: non sequitur idem de actibus voluntatis dicendum, eo, quod sub diversis rationibus formalibus respiciant bonitatem Divinam concedo consequentiã; eo quod diversa obiecta respiciant nego consequentiã. Ad secundam probationem nego consequentiã; quia licet non sit ratio ad distinguendos habitus voluntatis eo, quod habitus Charitatis, Patriæ, & vig. idem sit; est tamen multiplex ratio ad distinguendos specificè actus voluntatis, vt patet ex dictis à num. 44.

Ad 2.

§8
Respond. 2.

Respondeo secundo retorquendo impugnationem Ill. Godoy, & ad hominè contra ipsum fituratur nostra tertia responsio ad argumentum

principale: actus voluntatis dependet in sua entitate à cognitione regulante, & proponente obiectum: ergo actus Charitatis regulatus à visione beata, & actus Charitatis regulatus ab scientia infusa, dependent in sua entitate à prædictis cognitionibus. Atqui cognitio beata, & infusa, sunt entitates specificè distinctæ: ergo actus Charitatis, ab istis cognitionibus regulati, sunt specificè distincti. Hæc consequentia patet: alioquin actus voluntatis non dependeret in sua entitate à cognitione regulante, & proponente obiectum, cuius oppositum affirmat antecedens. Subsumpta est Ill. God. num. 44. Prima consequentia legitime inferitur ex antecedenti. Antecedens autem est ipsius num. 91.

§. IV.

Christum meruisse per actum Charitatis erga Deum, regulatum scientia beata, prout respicit intrinsecas Dei perfectiones, probatur.

Tertia conclusio: Meruit Christus per actum Charitatis erga Deum, regulatum visione beata, non solum prout respicit bona extrinseca Dei, & creaturas, sed etiam, prout respicit intrinsecas Dei perfectiones. Hæc conclusio est contra Ill. God. §. 6. per totum, vbi ultimam partem conclusionis negat, idemquæ repetit §. 9. num. 94. Conclusio tamen est Scoti cit. num. 13. cum omnibus Scotistis, & quoad omnes partes (ultima excepta) probat Ill. Godoy §. 6. Quoad ultimam tamen, in qua oppositionem habemus, Scotistæ probant. Sed relictis rationibus Scotistarum, in ipsis videndis, unica ratione ad hominem contra Ill. Godoy est à nobis probanda.

Probatur itaque conclusio: Christus meruit per actum Charitatis erga Deum, regulatum visione beata: ergo Christus meruit per actum excellentissimum, & perfectissimum Charitatis erga Deum, regulatū visione beata. Antecedens est doctrina Ill. God. §. 4. 6. & 9. Consequentia certissima apparet; quia meritum Christi per actum cuiusque generis debet esse in illo genere excellentissimum, & perfectissimum. Infero nunc: ergo Christus meruit per actum Charitatis erga Deum, regulatum visione beata,

retorquendo contra Ill. Godoy.

§9
3. Conclus.

60
Probatur ad hom. contra Ill. God.

prout

provt respicit intrinsecas Dei perfectiones. Probatur hæc consequentia: Christus meruit per actum Charitatis erga Deum, regulatum visione beata; sed actus Charitatis erga Deum, prout respicit intrinsecas Dei perfectiones, est excellentissimus, & perfectissimus: ergo Christus meruit per actum Charitatis erga Deum, regulatum visione beata, prout respicit intrinsecas Dei perfectiones. Maior est ipsius. Minor est indubitata, & ostentia manet *num. 14.* Consequentia est ad hominem contra ipsum.

61
Dices cum
Ill. Godoy.

Respond. I.

Dices cum Ill. Godoy: Christus secundum actum Charitatis regulatum visione beata, erat comprehensor, seu beatus: ergo nequit per illum mereri. Respondeo primò negando consequentiam; quia licet secundum illum actum esset beatus; erat etiam viator, habebatque, vt ait Scotus *cit.* omnes conditiones viatoris, quas beati non habent, vnde rationale fuit, vt omnes eius actus, & præsertim excellentiores, ad meritum acceptarentur. Respondeo secundò retorquendo: Christus secundum actum Charitatis regulatum visione beata erat comprehensor, & beatus: ergo nullo tali actu potuit mereri, quod est contra Ill. Godoy.

Secundò.

62
Instabis.
Respond. I.

Secundò.

Instabis pro ipso: Beati non merentur; sed Christus per dilectionem beatam erat beatus: ergo non meruit per illam. Respondeo primò: hoc argumentum militare contra omnes Auctores, sequentes opinionem Ill. Godoy, vt patet. Vnde respondeo secundò negando consequentiam. Disparitas est: quia beati, ideò non merentur, quia sunt in termino, tam secundum affectionem iustitiæ, quam secundum affectionem commodi; Christus verò non erat in termino secundum affectionem commodi, nam contra illam operabatur, ieiunando, orando &c. Dices: ergo solum actu, quo operatur Christus contra affectionem commodi, merebatur. Atqui hic actus non erat beatificus: ergo non merebatur actu beatifico. Nego consequentiam; quia vtroque actu merebatur Christus, & ratio est: nam ex eo, quod Christus non esset in termino secundum affectionem commodi, est congruentia, vt Christus esset in statu merendi, & consequenter, vt vtroque actu mereretur.

Dices.

Respondeo.

Replicabis cum ipso in tota hac disputatione: amor beatificus, quo Christus diligebat Deum, & Deo bona intrinseca, vt Trinitas, Bonitas &c. non est liber: ergo nec meritorius. Hæc replica est ipsa ratio dubitandi in hac disputatione ab Ill. Godoy tradita *num. 1.* & à nobis transcripta *num. 8.* ante cuius solutionem, à nobis declarandam, solutionem Ill. Godoy reijciam.

§. V.

Solutio Ill. Godoy ad rationem dubitandi refertur, & reijcitur.

AD Rationem dubitandi *num. 8.* propositam, relictis aliorum solutionibus, respondet Ill. God. *num. 94.* notando: Deum, aut illius bonitatem, meditari posse dupliciter, nempe, vt est ratio diligendi ipsum Deum; & prout est finis creaturarum in exercitio, & ratio illas diligendi; & sub vtraque ratione Deus diligebatur, & diligitur ab anima Christi Domini per dilectionem beatificam, vt §. 6. monstravit. Dicit ergo, dilectionem Christi beatificam, vt terminatam ad bonitatem Divinam, vt est ratio diligendi Deum, & Deo perfectiones intrinsecas necessarias, non liberam, sed necessariam fuisse; ac per consequens sub ista consideratione non fuisse meritoriam; vt autem terminabatur ad bonitatem Divinam, vt est ratio diligendi Deo bona extrinseca, scilicet, honorem, & gloriam, & prout est ratio diligendi creaturas, & terminationes intrinsecas liberas, non fuisse necessariam, sed liberam; ac per consequens fuisse prout sic meritoriam.

Hæc tamen solutio impugnatur: ideò actus amoris beatifici terminatus ad Deum, vt est ratio diligendi se, non est liber libertate contrarietatis, nec contradictionis secundum Ill. Godoy, sequentem D. Thomam, quia posita visione beatifica ipsius Dei, non est in potestate voluntatis elicere actum oppositum, scilicet, odium Dei, nec non elicere talem actum; aliàs posita visione, posset illum non elicere, vel elicere oppositum; atqui etiam posita visione beatifica representativa Dei, vt est ratio diligendi creaturas, non est in potestate voluntatis elicere actum oppositum, scilicet,

63
Replicabis.
Solutio videntia §. 6.

64
Solutio Ill. God. ad rationem dubitandi.

65
Impugnatur.

cet,

cet, odium Dei, nec non elicere actum amoris, quo in illud obiectum tendat: ergo actus amoris beatifici terminatus ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas, non est liber libertate contrarietatis, nec contradictionis. Probatur minor: entitas amoris, quo beatus amat Deum, vt est ratio diligendi creaturas, non est alia ab entitate amoris, quo amat Deum, vt est ratio diligendi se, quia vnico actu amat Deum sub duplici illa ratione iuxta Ill. Godoy: ergo si posita visione beatifica, non potest cessare ab amore Dei, vt est ratio diligendi se, nec actum oppositum elicere; posita visione beatifica, non poterit cessare ab amore Dei, vt est ratio diligendi creaturas, nec oppositum actum elicere.

66

Respondet
Ill. Godoy.

Ad hanc rationem, etsi aliter formatam responderet Ill. Godoy num. 99. negando minorem quoad secundam partem, ad cuius probationem concessio antecedenti distinguit consequens pro secunda parte: quoad entitatem, vel quoad denominationem, & terminationem concedit consequentiam; quoad entitatem semper negat consequentiam; nam dilectio beatifica Christi considerari potest tripliciter, nempe, secundum entitatem, & secundum terminationem necessariam ad Deum, & illius perfectiones necessarias, & secundum denominationem, seu terminationem liberam ad Deum, vt est ratio diligendi creaturas; quoad entitatem, & terminationem necessariam, necessario existit, nec est in potentia ad non existendum entitative; potest tamen non esse denominative, & terminative secundum conceptum liberæ terminationis; non autem opponuntur contradictorie, aut contrarie necessitas essendi entitativa, & terminativa terminatione necessaria, & potentia ad non essendum denominative, & terminative secundum terminationem liberam, vt constat in actu libero voluntatis diuinæ, qui cum necessitate sub conceptu entitatis est in potentia ad non esse sub conceptu denominationis, & liberæ terminationis.

67

Declaratur
solutio.

Vnde tota solutio Ill. Godoy in hoc (brevitatis, & claritatis gratia) consistit. Ait enim: vnicum esse actum secundum entitatem, & non esse vnum secundum terminationem, & sic actus ille erit necessarius quoad en-

titatem, & primam terminationem, scilicet, ad Deum, vt est ratio amandi se, quia ita posita visione beatifica, non potest voluntas cessare ab amore; at quoad secundam terminationem, non est ita necessarius, quia ita potest cessare, vt patet in Deo, qui liber libertate contradictionis ad extra est, eo, quod potest cessare terminatio ad obiecta secundaria, seu ad suam essentiam, vt est ratio diligendi creaturas.

Reijcitur primò solutio Ill. Godoy: posita visione beatifica, non erit ille actus amoris in Christo liber, nec quoad secundam terminationem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ideò actus Dei ad extra liber quoad illam terminationem est, quia est in eius potestate talis terminatio, & terminus terminans eam, vt sit, vel non sit, & vt terminetur, vel non terminetur actus ad illam; sed posita visione beatifica, & producto amore in voluntate Christi, non est in potestate voluntatis creatæ Christi tendentia illa secunda: ergo posita visione beatifica, non erit ille actus amoris in Christo liber, nec quoad secundam terminationem. Probatur minor: non est in eius potestate applicatio obiecti, & terminus terminans eam, scilicet, representatio Dei, vt ratio movendi ad amorem creaturarum: ergo posita visione beatifica, & producto amore in voluntate Christi, non est in potestate voluntatis creatæ Christi tendentia illa secunda. Probatur antecedens: quia videtur esse in potestate representantis, & ostendentis: ergo &c.

Reijcitur secundò: posito actu amoris, regulati visione beatifica, etiam si possit deficere terminatio ad obiectum, voluntas Christi libera libertate contradictionis non erit, etiã si ob id ad extra libera sit voluntas Dei: ergo nulla est tradita solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: voluntas creata dicitur libera à libertate contradictionis ratione principij indifferentis ad entitatem, ita, vt possit elicere, vel non elicere actum: ergo posito actu amoris, regulati visione beatifica, etiam si possit deficere terminatio ad obiectum, voluntas Christi libera libertate contradictionis non erit, etiam si ob id ad extra libera sit voluntas Dei. Probatur antecedens: nam hæc est differentia inter liberta-

68

Reijcitur 2
solutio Ill.
Godoy.

.abundant

.abundant

.abundant

.abundant

69

Reijcitur 2

.abundant

.abundant

tem voluntatis Divinæ, libertatemque voluntatis creatæ, quod illa consistit in indifferentia non ad entitatem actus eliciendam, aliàs actus purus non esset, sed in indifferentia ad terminationem, & non terminationem; libertas autem creatæ consistit in indifferentia ad eliciendum, & non eliciendum actum, sumptum entitative, eo, quod potentia creatæ non identificatur cum suo actu, sed ab illo realitèr distinguitur: ergo de ratione actus liberi creati est talitèr esse, quod possit non esse ex indifferentia principij, non solum terminativè, sed etiam entitative.

70
Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy num. 109. negando ultimum antecedens, universalitèr intellectum: nam licet aliquando libertas voluntatis creatæ sit per ordinem ad elicientiam, & non elicientiam actus; non tamen hoc semper habet, semper tamen à libertate voluntatis Divinæ sufficientèr distinguitur per hoc, quod voluntas Divina actum liberum sibi entitative identificat; voluntas autem creatæ nunquam cum illo identificatur; quando enim elicit actum ex primo conceptu liberum, realitèr ab illo distinguitur; & quando se exercet liberè per actum per se primo necessarium, & liberum secundario, entitative etiã discriminatur ab illo; cum distinguitur realitèr ab entitate actus necessarii, cum qua terminatio libera identificata invenitur.

71
Contra 1.

Contra primò: semper voluntas creatæ est libera libertate contradictionis per indifferentiam ad elicientiam, vel non elicientiam actus, ut contra distinguitur à voluntate Divina: ergo nunquam erit libera sine tali indifferentia: ergo nulla est tradita solutio. Probatur antecedens: semper voluntas creatæ, ut contra distinguitur à Divina libertate contrarietatis, est libera sic per indifferentiam ad elicientiam oppositorum actuum, ut possit hunc, vel illum elicere; voluntas verò Divina sic est libera libertate contrarietatis, ut non per istam indifferentiam, sed per indifferentiam terminativam cum unico actu in entitate non elicitò, vel productò, sit ita libera, ut patet in prædestinatione Ioannis, in qua Deus liber est libertate contrarietatis per solam terminationem liberam, & non per indifferen-

tiam ad elicientiam actus; eodem enim actu, quo prædestinat, potest Deus positivè reprobare: ergo similiter: voluntas creatæ, ut contradistinctur à Divina in libertate contradictionis, erit libera per indifferentiam ad elicientiam actus, & non elicientiam.

Contra secundò ad hominem contra Ill. Godoy: voluntas creatæ est aliquando libera libertate contradictionis sine indifferentia ad elicientiam, vel non elicientiam actus: ergo erit etiam aliquando libera libertate contrarietatis sine indifferentia ad elicientiam actuum oppositorum. Atqui hoc est omnino impossibile, & repugnans: ergo impossibilis, & repugnans est solutio Ill. Godoy. Sumpta cum consequentia patet. Antecedens est solutio ipsius. Consequentia probatur: ideo voluntas creatæ est aliquando libera libertate contradictionis sine indifferentia ad elicientiam, vel non elicientiam actus, quia semper à libertate voluntatis Divinæ sufficientèr distinguitur per hoc, quod voluntas Divina actum liberum sibi entitative identificat; voluntas autem creatæ nunquam cum illo identificatur; atqui etsi voluntas creatæ esset libera libertate contrarietatis sine indifferentia ad elicientiam actuum oppositorum, semper à libertate voluntatis Divinæ sufficientèr distinguere-tur per hoc, quod voluntas Divina actum liberum sibi identificaret entitative; voluntas autem creatæ nunquam cum illo identificaretur: ergo si voluntas creatæ est aliquando libera libertate contradictionis sine indifferentia ad elicientiam, vel non elicientiam actus, erit etiam aliquando libera libertate contrarietatis sine indifferentia ad elicientiam actuum oppositorum. Maior est ipsa solutio Ill. Godoy. Minor est evidens ob rationem ab ipso traditam. Consequentia legitima apparet.

Contra tertio: idem actus Charitatis, regulatus per scientiam beatam, & insulam, diverso modo proponentes essentiam Divinam, nequit esse necessarius, & liber sufficientèr ad meritum: ergo nec idem actus, regulatus per scientiam beatam, proponentem obiectum, scilicet, Deum diverso modo, nempe, ut est ratio diligendi se, & creaturas, potest esse ne-

72
Contra 2.
ad hom. contra
Ill. Godoy.

73
Contra 3.
ad hom. contra
ipsum.

cessarius, vt terminatus ad Deum primo modo, & liber, vt terminatus secundo modo, sufficienter ad meritum. Consequentia est paritate certa; alioquin assignetur disparitas, cur actus Charitatis, regulatus per scientiam beatam, & infusam, non possit sub illa duplici terminatione esse necessarius, & liber, vt sit meritorius; bene verò actus Charitatis, regulatus per scientiam beatam, possit sub illa duplici terminatione esse necessarius, & liber, vt sit meritorius?

74

Antecedens autem est Ill. Godoy, quatenus *num. 91. 92. & 93.* ipsi non placet solutio quorundam Thomistarum ad rationem dubitandi, quam refert *num. 89.* his verbis: tertio alij respondent: dilectionem Christi beatificam dupliciter posse considerari, nempe, vt regulatam per visionem beatam, Deum clarè, & vt est in se, representantem, & prout regulatam per scientiam infusam, divinam bonitatem abstractivè tantum attingentem: qua distinctione supposita, docent huius solutionis Authores, prout subest primæ regulæ, non liberam, sed necessariam esse; & consequenter non meritoriam; prout verò subest secundæ, esse liberam; ac per consequens meritoriam.

75

Nequè impugnationes Ill. Godoy adversus dictam solutionem Thomistarum vim habent. Prima namque ab ipso adducta *num. 91.* est omnino falsa, & si vera est, in ipsum resurgit ex dictis *num. 58.* Secunda, quam tradit *num. 92.* soluta manet per dicta *num. 26. usque ad 58.* & contra ipsum militat, vt dicemus *numer. 81.* tertia, quam format *num. 93.* soluta est per dicta *num. 44. & seqq.*

76

Contra 4.
etiam ad
hom. contra
ipsum.

Contra quarto ad hominem contra Ill. Godoy: actus Charitatis, vt terminatus ad Deum secundum se, non est liber, ideòque nec meritorius: ergo actus Charitatis, vt terminatus ad Deum, secundum quod est ratio movendi ad amorem creaturarum, non est liber, ideòque nec meritorius, & consequenter nulla est solutio. Probatnr consequentia: ablata ratione libertatis, & meriti ab actu Charitatis, vt terminato ad Deum secundum se, & rationem libertatis, & meriti auferre ab actu Charitatis, vt terminato ad Deum, secundum quod est ratio movendi ad amorem creaturarum,

necesse est; sed actus Charitatis, vt terminatus ad Deum secundum se, non est liber, ideòque nec meritorius: ergo actus Charitatis, vt terminatus ad Deum, secundum quod est ratio movendi ad amorem creaturarum, non est liber, ideòque nec meritorius.

Probatnr maior: ablata radice meriti, & meritum auferre, necesse est; atqui ablata libertate, & merito ab actu Charitatis, vt terminato ad Deum secundum se, auferretur radix meriti: ergo ablata ratione libertatis, & meriti ab actu Charitatis, vt terminata ad Deum secundum se, & rationem libertatis, & meriti auferre ab actu Charitatis, vt terminato ad Deum, secundum quod est ratio movendi ad amorem creaturarum, necesse est. Maior est D. Thomæ *1. 2. q. 114. artic. 4. in corpore. Et solut. ad 5. Et in 3. dist. 18. q. 1. art. 5. ad 5.* Et pluribus alijs in locis, vt ait Ill. Godoy *num. 5.* hacquè ratione probat ibi, Christum per aliquem actum Charitatis meruisse.

Probatnr minor: radix meriti supernaturalis est Caritas, vt Caritas rigurose est, seu vt est dilectio summi boni propter suam bonitatem, & propter se ipsum, seu vt est dilectio finis, vt finis, Dei, vt Dei: ergo ablata libertate, & merito ab actu Charitatis, vt terminato ad Deum secundum se, auferretur radix meriti. Consequentia patet; alioquin actus cæterarum virtutum essent meritorij, quin Caritas, illos imperans, esset meritoria, quod est contra D. Thom. & Ill. Godoy *num. 5.* Antecedens probatur: obiectum formale Charitatis rigurose, & perfectæ est bonitas Divina, non prout nobis bona, & comoda, sed prout bona Deo: ergo radix meriti supernaturalis est Caritas, vt Caritas rigurose est, seu vt est dilectio summi boni propter suam bonitatem, & propter se ipsum, seu vt est dilectio finis, vt finis, Dei, vt Dei. Consequentia est legitima. Antecedens est Thomistarum cum D. Thomæ *3. p. q. 23. art. 4.* vt refert Gonet, & patet primo ex eo, quod aliquim Caritas esset amor concupiscentiæ, & non amicitæ, quod est falsum. Secundo: quia Caritas perfectissima est ex qua secuntur alij actus, qui etiam sunt Charitatis, vt velle Deo bona, tam intrinseca, quam extrinseca, amare creaturas &c. qui actus non sunt

77
Prob. min.

ipsa perfectissima Charitas, quia hæc per respectum ad Deum diligendum propter se, & vt est in se, specificatur, & completur.

Contra quintò ad hominem etiã contra Ill. Godoy: amor Christi beatus, terminatus ad Deum sub ratione amandi se, est omninò necessarius, & nullo modo, nec terminatiuè indifferens, seu liber: ergo amor Christi beatus, terminatus ad Deum, vt est ratio diligendi bona extrinseca, scilicet, gloriam, honorem, & creaturas, est omninò necessarius, & nullo modo, nec terminatiuè indifferens, seu liber. Antecedens est doctrina Ill. Godoy. Consequentia probatur: ideò amor Christi beatus, terminatus ad Deum sub ratione amandi se, est omninò necessarius, & nullo modo, nec terminatiuè indifferens, vel liber, quia terminatur ad objectum bonum infinitum clarè visum; sed etiã prout terminatur ad Deum, vt est ratio diligendi bona extrinseca, & creaturas, terminatur ad bonum infinitum clarè visum: ergo hic etiã actus est omninò necessarius, & nullo modo liber. Consequentia inferitur. Maior est certa; alioquin assignet Ill. Godoy aliam rationem. Probatur minor: amor Christi beatus, terminatus ad Deum, vt est ratio diligendi bona extrinseca, & creaturas, terminatur ad ipsam Diuinã bonitatem clara visam, vt est ratio amandi creaturas; sed bonitas Dei clarè visa, vt est ratio amandi creaturas, est bonitas infinita; cum sit eadem bonitas, ac bonitas Diuinæ Essentiæ, quæ est infinita perfectio Dei: ergo amor Christi beatus, etiã prout terminatur ad Deum, vt est ratio diligendi bona extrinseca, & creaturas, terminatur ad bonum infinitum clarè visum.

Dices pro Ill. Godoy: bonitatem diuinam, vt est ratio diligendi creaturas, esse quidem in se subiectiue infinitam; tamen formalissimè applicatam creaturis per modum rationis, illas diligendi, finitam esse, quia finito modo applicatur, sicut, & ipsæ creaturæ finite illam participant, cuius rei exemplum est in ipsa Essentia Diuina, vnita per modum speciei impressæ mentibus beatorum, quæ prout vnita formalitèr, finita est, quia finite vnitur, licet in se, vel subiectiue infinita sit, & in eadem essentia, vt continente rationem idealem æqui, quæ

etiã prout sic formalitèr comprehensibilis est, licet in se, seu obiectiue incomprehensibilis sit.

Contra: quod bonitas Diuina, vt ratio diligendi creaturas, vt applicata creaturis, sit finita, non sufficit, vt actus ille terminatus ad eam sit liber, dummodo in se bonitas infinita clarè visa sit: ergo solutio ruit. Probatur antecedens: quod ipsa bonitas Diuina, vt ratio diligendi se, vt applicata voluntati creaturæ, & finitæ, finita sit, quia finito modo ei applicatur, & vnitur iuxta capacitatem voluntatis, vt patet in exemplo speciei impressæ adducto; non sufficit, vt actus ille terminatus ad eam sit liber, quia in se bonitas infinita clarè visa est: ergo similiter. Ex quo inferitur, quod ratio libertatis in voluntate non sumitur ex applicatione obiecti infiniti finito modo, vel finiti infinito modo; aliàs actus voluntatis Dei nullo modo esset liber, quia semper obiectum mouens suam voluntatem, est infinitum, & infinito modo iuxta capacitatem voluntatis infinitæ mouet; sed ex alio capite, scilicet, ex intrinseca ratione libertatis voluntatis contingentis, quæ adhuc positis omnibus requisitis, & motionibus finitis, vel infinitis, potest agere, & non agere, amare, vel non amare; vnde solutio ad replicam nulla est.

Contra sextò ad hominem etiã contra Ill. Godoy: nam duplex illa terminatio, quam multiplicare in dilectione beatifica necessarium est, ad salvandum, fuisse necessariam, & liberam, vel distingueretur numericè, vel specificè; non primum; quia iuxta ipsum num. 36. duo accidentia solo numero distincta, non possunt simul in eodem subiecto existerè. Non secundum; nam obiectum vtriusque terminationis est idem, nempe, Diuina bonitas; diuersitas autem illa, vt est ratio diligendi Deum, & diligendi creaturas, non sufficit ad diuersitatè specificam in actibus voluntatis inducere: ergo duplex illa terminatio non potest in dilectione saluari, & consequenter nec libertas, & necessitas ex illa diuersitate. Hæc est replica, quam ad litteram adducit Ill. Godoy num. 92. contra solutionem quorundam Thomistarum, de qua diximus num. 74. Stat autem differentia in illis verbis positis contra ipsum, scilicet, di-

78

Contra 5. ad hom. etiam.

78

79

Dices pro ipso.

78

80

Contra.

81

Contra 6. etiam ad hom.

versitas autem illa, ut est ratio diligendi Deum, & diligendi creaturas, non sufficit ad diversitatem specificam in actibus voluntatis inducere.

82 Quod ex ipso contra ipsum probō primò: diversitas regulæ non sufficit, diversitatē specificam in actibus voluntatis inducere, ut habet ipse *num. 92.* ergo diversitas illa, ut est ratio diligendi Deum, & creaturas, non sufficit ad diversitatem specificam in actibus voluntatis inducere. Secundo: quia non est ratio, ut diximus *n. 73.* cur actus Charitatis, regulatus per scientiam beatā, & infusā, non possit sub illa duplici terminatione esse necessarius, & liber, ut sit meritorius; bene verò actus Charitatis, regulatus per scientiam beatam, possit sub illa duplici terminatione esse necessarius, & liber, ut sit meritorius? Probat̄ tertio: quia si diversitas ab Ill. Godoy assignata, sufficit ad diversitatem specificam in actibus voluntatis inducere, etiam sufficit diversitas regulæ ad talem diversitatē inducendam, tum ob hucusquē a nobis dicta; tum etiam ob præcipuē dicta *num. 58.* quæ retulimus ex Ill. Godoy. Unde videtur, fateri debere, vel quilibet ex dictis diversitatibus sufficere, ad inducendam specificam diversitatem in actibus voluntatis; vel neutram esse sufficientem.

s. VI.

Vera solutio rationis dubitandi traditur.

83 **Q**uare, modo dicendi Ill. Godoy omisso, ad rationem dubitandi aliter est occurrendum. Respondeo igitur cum Scoto *in 4. dist. 49. q. 6. §. Hic duo, à v. Contra 1.* distinguendo maiorem: libertas intrinseca, & essentialis, vel extrinseca, & accidentalis, ad meritum necessario requiritur concedo maiorem; extrinseca, & accidentalis præcisè subdistinguo: in puro viatore concedo maiorem; in viatore simul, & comprehensore nego maiorem; distinguo quæ minorem: actus Charitatis in Christo liber non fuit, libertate extrinseca, & accidentali concedo minorem; libertate intrinseca, & essentiali nego minorem, & consequentiam. Hæc est doctrina, in qua omnes Scotistæ uniformiter conveniunt, & ratione cuius cum Magistro asserunt: Beatos

non esse ab intrinseco impeccabiles, neque oppositio, quam contra Pontium facit Mastrius *in 3. disp. 3. q. 11. num. 416.* est alia, quam de nomine, ut parebit paulisper attendenti.

84 Itaque sicut Christus ex speciali privilegio erat simul viator, & comprehensor, ut testatur Scotus *in dist. 18. q. unica*; ita etiā speciali quodammodo merebatur; sufficiebat enim in Christo ad merendum libertas intrinseca, & essentialis, seu remota, ex intrinseca voluntatis indifferentia derivata, qualis etiam in amore beatifico reperitur; libertas autem extrinseca, & accidentalis, seu proxima, vel expeditus usus libertatis ad operandum, & non operandum, non requiritur, quamvis sit in puro viatore necessaria. Amor ergo Christi erga Deū etiam beatificus non erat meritorius, quatenus necessarius; erat tamen meritorius, quatenus liber libertate prædicta, quod amplius declarabimus disputatione sequenti.

85 Contra hanc nostram, & Scoti solutionem, nihil adducit Ill. Godoy; solum enim tradit *num. 70.* solutionē aliquorum dicentium: ad meritum sufficere libertatem essentialē, quā optimè impugnat à *num. 71. usque ad 82.* Et certè, si hanc solutionem prævenit, prævenire potuit solutionem nostram, quæ est (ut dixi) omnium Scotistarum, ut si aliquid contra ipsam habebat, in nos objiceret. Quod autem objici potest, est: quod idem realitèr actus non potest esse simul necessarius, & liber. Cæterum ultra hoc, quod hoc non valet objicere Ill. Godoy, quia id negat absolute *num. 99.* nos distinguimus: idem actus nequit esse simul necessarius, & liber intrinsece, & essentialitèr concedo; liber intrinsece, & essentialitèr, & necessarius extrinsece, & accidentalitèr nego ob rationē datam in solutione.

86 Ex dictis colligitur primò: quod duplex dilectio Dei, & proximi, est in Christo constituenda, quarum utraque fuit meritoria. Hoc corollarium pro secunda parte, scilicet, respectu proximi, habet Ill. Godoy *num. 144.* quod optimè probat. Pro prima verò, scilicet, respectu Dei, est contra ipsum *num. cit.* Contra quem sic probatur: dilectio Dei multiplicatur in Christo ex duplici cognitione regulante, beatifica, nempe, & infusa, sive

2. Corollarium.

sint tales dilectiones solo numero distinctæ, siue specie differentes, ut utroque modo propugnatum manet, §.3. Colligit secundo num. 115. extitisse etiam in Christo duos actus dilectionis erga Deum, prout illi Christus volebat gloriam, & honorem extrinsecum, vnum regulatum scientia

beata, alterum per scientiam infusam. In hoc convenimus, & optimè ab Ill. Godoy num. cit. probatur. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 3. dist. 18. §. 2. ad illa verba: *Ex quo homo factus est, per Charitatem, Iustitiam, & alias virtutes, &c.*

DISPUTATIO

QUADRAGESIMA NONA.

An meruerit Christus per actus, ad quos tenebatur ex præcepto positivo?

§. Vnicus.

Ratio dubitandi proponitur, solutio Ill. Godoy reiicitur, & vera ostenditur.

Num. 1
Ratio dubitandi pro parte negativa.

Ratio dubitandi pro parte negativa, & quidem difficillima (ait Ill. Godoy num. 1.) est: nam Christus ab intrinseco fuit impeccabilis, ut commaniter docetur à Theologis supra q. 15. Tum ratione Sanctitatis personæ, inseparabiliter humanæ naturæ unitæ. Tum etiam ratione visionis beatificæ, qua à primo suæ Conceptionis instanti fruebatur: ergo non fuit liber ad obediendum præcepto, & consequenter in illius observantia non meruit. Probatur consequentia: libertas in obedientia ad præceptum, petit potentiam expeditam ad non obediendum, sicut libertas amoris petit principium indifferens, & potens ad non amandū; sed Christus non habebat potentiam ad non obediendum: ergo nec libertatem in obediendo. Probatur minor: potentia ad non obediendum est idem, quod potentia ad peccandum; sed in Christo non erat potentia ad peccandum: ergo nec erat in illo potentia ad non obediendum. Maior probatur: actu non obedire præcepto sibi imposto, est actu peccare: ergo posse non obedire, est posse peccare; sicut quia actu esse hominem, est actu esse animal rationale, posse esse hominem, est posse esse animal rationale: ergo si actu non obedire, est actu peccare, & actu præceptum transgredi, posse non obedire, est posse pecca-

re, & posse præceptum transgredi. Hac tamen ratione dubitandi non obstante, affirmativa sententia, nempe, Christum meruisse per actus, ad quos tenebatur ex præcepto positivo, communis est apud Theologos, quod probat Ill. God. §. 1. per totum, & probavit Scotus in 3. dist. 18. q. univ. §. 1. principale, probantque omnes Theologi, in quibus probationes videndas relinquo, quia in hoc oppositionem cum Ill. God. non habemus. Ratio autem dubitandi, que, ut ab Ill. God. proponitur, contra nos non militat, ut patet ex primò antecedenti, scilicet, *Christus ab intrinseco fuit impeccabilis*, quod ut verum supponit, & nos negamus, & negatum habemus disp. 41. ita extorsit Thomistarum ingenia, ut in plures, & ferè inintelligibiles solutiones sint distracti, quin aliquis sit solutione alterius contentus. Eas adducit Ill. God. à n. 14. vsq; ad 179 in quolibetque Scotista videri valent. Ad ipsam vero responderet Ill. Godoy num. 179. vsque ad 183. dupliciter distinguendo ultimum consequens, cuius utranque solutionem declarando num. 183. utranque reducit ad sensum compositum, & divisum, ad potentiam antecedentem, & consequentem, ut iam dixerat in conciliatione libertatis cum efficacia gratiæ, & prædestinationis Divinæ tract. de prædestinat. 1. p. quæst. 23. art. 6. dub. 1.

2
Sententia affirmativa, & communis.

3
Ratio dubitandi non militat contra Scotistas.

4
Solutio Ill. Godoy.

Impugnata manet.

Hæc tamen doctrina latè à nobis impugnata manet *tom. 2. in 1. sent. disp. 67. de Conciliatione libertatis cum efficacia gratiæ, & prædestinationis Divinæ, & tom. cit. disp. 36. §. 7. vbi impugnando phisicam prædeterminationem, prædictas Ill. Godoy solutiones reiecit.*

5
Vera solutio ad rationem dubitandi.

Nos itaque, solutione Ill. Godoy relicta, facillimè ad rationem dubitandi respondemus, negando antecedens, quia Christum non esse ab intrinseco impeccabilem, *disp. 41. docuimus. Vnde ad Conciliandam Christi libertatem in observatione cuiusque præcepti, sive positivi, sive naturalis, est, quam insinuavimus disput. preced. num. 83. & 84. & quia eam amplius declarare ibi promissimus, promissum adimpleo.*

6
Declaratur

Dicimus itaque, quod Christus Dominus, sicut speciali privilegio fuit simul viator, & comprehensor ex Scoto *in 3. dist. 18.* ita etiam speciali quodam modo merebatur; vnde quavis regularitè loquendo in homine puro viatore ad merendum requiratur in voluntate proxima libertas ad operandum, & non operandum, vt docent Scripturæ, Patres, & quam plures Pontificiæ Constitutiones; simpliciter tamen, & absolute loquendo, non est necessaria ad meritum talis proxima libertas, sed sufficit remota.

7
Amplius declaratur.

Hoc declarat Scotus *cit.* dicens: actum beatificum Michaelis acceptari posse à Deo de potentia absoluta, tãquam meritorium; ad hoc enim sufficit, quod sit imputabilis actus ad laudem, & vituperium; vt verò sit ita imputabilis, sufficit, vt sic sit in potestate agentis, vt excludat necessitatem intrinsecam agendi, licet extrinsecam haberet ex denegatione Divini concursus parati ad vtrumlibet; sufficit, inquam, vt quantum est ex intrinseca voluntatis dispositione, possit ipsa agere, & non agere, & actus fieri, & non fieri; cum enim hic modus operandi sit intrinsecus voluntati creatæ, non potest immutari per aliquod extrinsecum, sicut est denegatio concursus parati.

8

Hinc itaque ad propositum dicimus: Christum Dominum quoad actus præceptos fuisse utique liberum, non libertate proxima, vt potuerit non elicere, quia tunc etiam peccare potuisset, præceptum omittendo, sed

libertate remota, & intrinseca indifferentia ad agendum, & non agendum; quantum enim erat ex parte ipsius voluntatis creatæ, poterat non observare præcepta, sed à Deo præservante denegatus fuit concursus paratus ad transgressionem eorum; & quamvis hæc libertas in nobis ad meritum nõ sufficiat, sed requiratur proxima, supponens concursum Dei paratum ad vtrumlibet; ex speciali tamen dispensatione sufficiens fuit in Christo.

9

Rationem verò huius dispensationis, & specialis in Christo privilegij, deduxit Scotus *cit.* ex dignitate Mediatoris, & Redemptoris; nam quia Christus venerat ad destruendum peccatum, debebat esse sine peccato, & sine proxima potentia ad illud, vt sic esset impeccabilis. Et quia erat Dei, & hominum Mediator, Redemptor, & Advocatus generis humani, debebat plures actus meritorios elicere.

10

Vnde sicut hæc ratio est certum apud omnes, Christum ex speciali dispensatione, ac privilegio fuisse simul viatorem, & comprehensorem, vt posset mereri; eadem ratione certum debet esse apud omnes, quod ex speciali dispensatione, & privilegio libertas remota, seu intrinseca indifferentia ad agendum, & non agendum, fuerit in Christo sufficiens ad merendum, licet in nobis sufficiens non sit. Et hic est melior, certior, securior, clarior, & facilius modus dicendi ad conciliandam Christi libertatem cum eius impeccabilitate in observatione cuiuscumque præcepti, quem ferè omnes Scoticæ amplectuntur cum Magistro *in 3. dist. 16. & 17.* vbi ait: *Quod potest mereri in Christo stat cum beatitudine dispensativè.* Nec aliud vult Pontius, quidquid dicat Matrius.

11

Sed licet Ill. Godoy nihil adducat contra nostram opinionem, nec illius meminerit, contra nostrum dicendi modum stat ratio dubitandi, non vt ab Ill. Godoy proponitur, sed sic proposita: voluntas Christi vel potuit non implere præcepta, vel non potuit? Si potuit: ergo potuit peccare. Si non potuit: ergo non erat libera, & consequenter incapax merendi. Respondeo distinguendo antecedens pro prima parte: potuit non implere præcepta, potentia remota concedo antecedens; potuit potentia proxima nego antecedens, & è contra distin-

Dices contra solutionem.

Respondeo.

quo secundam partem : non potuit potentia proxima concedo antecedens ; potentia remota nego antecedens , & distinguo primū consequens : ergo potuit peccare potentia remota concedo consequentiam ; potentia proxima nego consequentiam. Distinguoque secundum : ergo non erat libera proximè concedo consequentiam ; remotè nego consequentiam , & subillatam ; quia vt Christus mereretur , sufficiens erat remota libertas.

Solutio claret ex dictis , & roboratur ratione , simul & paritate : Deus cum Christo dispensavit in illa conditione , ad meritum requisita regularitèr , nempe , quod merens sit purus viator : ergo etiam dispensare potuit in illa conditione , scilicet , quod merens sit liber proximè. Antecedens est apud omnes certum. Consequentia videtur paritate certā ; nisi Dei Omnipotentiam miniterè velint.

Instabis : esse maximam disparitatem : nam quod merens sit purus viator , est conditio ad meritum requisita , non ex natura rei , sed ex sola lege Dei statuta ; potest enim de potentia Dei absoluta comprehensor mereri , vt diximus cum Scoto *num. 7.* Ast libertas est conditio ex natura rei requisita , & ita ad meritum requisita , vt nec de potentia Dei absoluta possit esse meritum sine ea , vt diximus *disp. preced. num. 2.* nulla ergo est solutio tradita , & nulla solutionis roboratio.

Respondeo : hanc disparitatem non officere nostræ solutioni ; nam libertas ad meritum requisita , est libertas remota , quæ est intrinseca voluntati , & consistit in potentia ad agendum , & non agendum ; non autem libertas proxima , quæ importat expeditum libertatis vsum , & dicit ordinem , non solum ad principium intrinsecum activum , sed etiam ad cætera requisita extrinseca , præcipuè ad concursus Dei paratum ad vtrumlibet. Cum ergo Christus etiam circa actus præceptos habuerit libertatem remotam , quæ est voluntati intrinseca , habuit libertatem sufficientem ad meritum , licet non habuerit libertatem proximam , quæ extrinseca , & accidentalis est.

Vrgebis : libertas ad meritum requisita est libertas proxima , quin remota sit sufficiens : ergo ruit tota doctrina à nobis tradita. Probatu ante-

cedens : si libertas ad meritum requisita , non euet libertas proxima , & remota esset sufficiens , iufficeret in nobis ad merendum libertas remota , quin proxima esset necessaria ; atqui hoc est falsum : ergo & antecedens. Respondeo primo distinguendo antecedens : libertas ad meritum regularitèr requisita est libertas proxima , quin remota sit sufficiens concedo antecedens ; absolutè , & simpliciter loquendo , seu de potentia Dei absoluta nego antecedens , & consequentiam. Patet solutio ex dictis *num. 7.* Respondeo secundo aliter distinguendo antecedens : libertas ad meritum sine privilegio , & dispensatione requisita , est libertas proxima , quin remota sit sufficiens concedo antecedens ; ad meritum ex privilegio , & dispensatione nego antecedens , & consequentiam , ex quibus ad probationem nego maiorem ; quia nos meremur merito regulari , & sine dispensatione , ac privilegio , & constat solutio ex dictis *num. 10.*

Replecabis deniquè : libertatem remotam sufficere ad meritum , est contra Patres , & Concilia : ergo ruit solutio. Probatu antecedens : Patres , & Concilia docent contra plures Hæreticos : proximam libertatem esse necessariam ad meritum : ergo libertatem remotam sufficere ad meritum , est contra Patres , & Concilia. Respondeo negando antecedens , ad cuius probationem distinguo antecedens primo : Patres , & Concilia docent , proximam libertatem esse necessariam ad meritum , regularitèr loquendo concedo antecedens ; absolutè , & simpliciter nego antecedens , & consequentiam. Distinguo aliter : ad meritum sine dispensatione , & privilegio concedo antecedens ; ex privilegio , & dispensatione nego antecedens , & consequentiam , vel illam similiter distinguo.

Patres enim , & Concilia solum de merito regularitèr locuntur ; non verò de merito absolutè , & simpliciter , ex speciali privilegio , & dispensatione , quale est meritum Christi , cuius dispensatio stat in hoc , quod vbi in nobis ad merendum requiritur libertas proxima , in Christo remota sufficiat , quod satis expressè dixit Scotus *cit.* & satis constat ex dictis. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Ma-

Respond. i

Secundo.

16
Replicabis.

Duplex solutio.

17

12
Roboratur solutio.13
Instabis.14
Respondeo.15
Urgebis.

Magistri in 3. dist. 18. §. 5. ad illa verb: *Vt ipseus passio, & mors ibi esset forma, &* causa; forma virtutis, & humilitatis; causa gloriae, & libertatis &c.

DISPUTATIO

QUINQUAGESIMA.

An Christus mereri sibi potuerit de condigno vnionem suæ humanitatis ad Verbum?

HÆC est difficultas, in qua cum Ill. Godoy litigium non habemus; concedimus namque Christum, nec de potentia Dei absoluta potuisse mereri de condigno vnionem suæ humanitatis ad Verbum, nec per opera antecedentia vnionem, quod supponit *num. 1.* Nec per opera Incarnationem subsequentia, quod contra Suarez, & alios quosdam paucos statuit pro conclusione *numer. 5.* quam eandem conclusionem propugnant communiter Scotistæ cum Magistro, vt habet *Mastrius in 3. disp. 3. q. 12. à num. 74. vsque ad num. 94.* Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 3. dist. 18. §. 3. ad illa verba: *Sed nunquid hoc meruit? Suprà enim dictum est, quia hoc tantum bonum homo ille non meruit. Et in 2. dist. 29. ad illa verba: Quid est meritum hominis ante gratiam? &c.*

DISPUTATIO

QUINQUAGESIMA PRIMA.

Quæ dona sibi Christus de facto meruerit?

Num. 1
Explicatur
difficultas.

PLura sunt, de quibus dubitari potest, An Christus illa sibi meruerit, nempe, continuatio Incarnationis, circumstantia Natiuitatis, aut generationis Christi, quod, scilicet, ex tali Matre fuerit natus, & genitus, gratia habitualis, ac dona ipsam consequentia, visio beatifica, in qua essentialis animæ beatitudo consistit, gloria corporis, ac illius Resurrectio, & nominis exaltatio, Iudicia, Regia, & Sacerdotalis potestas. De his agit Ill. Godoy in hac disputatione, & de his agemus.

§. I.

De continuatione Incarnationis.

2
1. Conclusio

Prima conclusio: Potuit Christus de potentia Dei absoluta mereri

merito condigno continuationem vnionis hypostatica, & de facto illam meruit. Hæc conclusio pro secunda parte est contra Ill. Godoy *num. 2.* Pro prima autem defenditur ab ipso, à quo optime probatur *num. 3. & 4.* vltra quod sic à nobis ostenditur: tota ratio, cur non potuit Christus de condigno mereri vnionem suæ humanitatis ad Verbum, est, quia cum Incarnatio sit principium meriti, sequeretur, quod cadaret sub merito, & quod consequenter daretur mutua causalitas in eodẽ genere causæ, scilicet, efficientis moralis, quod etiam de potentia Dei absoluta repugnat; Atqui hoc non sequitur ex eo, quod possit Christus mereri de condigno continuationem suæ vnionis: ergo potuit Christus de

1. pars probatur.

potentia Dei absoluta mereri merito condigno continuationem vnionis hypostaticæ. Consequentia est legitima. Maior est ferè omnium Theologorum contra Suarez ex dictis *disputatione precedenti*. Minor autem probatur: continuatio vnionis non est principium primæ operationis Christi, quin potius illam supponit: ergo ex eo, quod possit Christus mereri de condigno continuationem suæ vnionis, non sequitur, quod principium meriti cadat sub merito, nec quod detur mutua causalitas in eodem genere causæ.

3
2. pars probatur 1.

Secunda pars conclusionis probatur primò: possibile est, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis; aliàs cedit in excellentiam, & gloriam Christi: ergo illam de facto meruit de condigno. Antecedens pro prima parte constat ex *num. anteced.* idquè fatetur Ill. Godoy. Pro secunda indubitata videtur. Consequentia verò probatur: id, quod est possibile, & cedit in excellentiam, & gloriam Christi, Christo de facto conceditur; sed iuxta Ill. Godoy possibile est, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis: ergo illam de facto meruit de condigno.

4
Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num. 19.* vel negando absolute maiorem, vel claritatis gratia, illam distinguendo: si nulla inconnaturalitas in ordine gratiæ intercedat, concedit maiorem; si aliqua inconnaturalitas in ordine gratiæ, vel in substantia, vel in modo inveniatur, negat maiorem; & concessa minori, negat consequentiam; quia vt Christus suæ Incarnationis continuationem mereretur de condigno, necessarium erat, quod non decernerentur, ex vi eiusdem decreti prima Incarnationis existentia, & illius continuatio, cuius oppositum petit Incarnatio, vt sibi connaturale; vnde sicut hac ratione in sententia Suarez, nec substantia Incarnationis, nec habitualis gratia fuerunt de facto præmia meritorum Christi, quia ad primum requirebatur anticipata præmij solutio, quod est præter connaturalem modum præmiandi; & ad secundum, quod actus supernaturales à gratia habituali non procederent, & consequenter non elicerentur ea connaturalitate, quam petunt: ita in sententia ipsius, etsi non implicet, continuationem

Incarnationis sub meritis Christi cadere, de facto tamen non fuit talium meritorum præmium, quia ad hoc exigebatur, non decerni continuationem ex vi decreti terminati ad Incarnationis substantiam, cuius contrarium petitur ab Incarnatione, vt sibi connaturale.

Hæc tamen solutio Ill. Godoy impugnat primò: quod eodem decreto executivo decernatur Incarnatio, & eius continuatio, non obest, vt hoc decretum, vt terminatum ad Incarnationem, præscindat à meritis, & vt terminatum ad continuationem, sit ex meritis: ergo quod decretum sit idem, non obest, vt Christi mereatur continuationem Incarnationis: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Antecedens est in nostra sententia certissimum, & patet in decreto Incarnationis, quod licet idem sit circa substantiam, & modos, hoc non obest, vt idem decretum, prout terminatum ad substantiam Incarnationis, præcedat prævisionem peccati, & vt terminatum ad modos, prævisionem peccati subsequatur, vt cum Scoto, & Scotistis diximus *tom. 1. in 3. sentent. disput. 8.* Item: in decreto gloriæ, quod licet idem sit, hoc non obest, vt tale decretum, prout terminatum ad gloriam secundum se, præcedat prævisionem meritorum, & prout terminatum ad gloriam, vt coronam, prævisionem meritorum supponat, vt diximus *tom. 2. in 1. sent. disp. 65.*

5
Impugnatur.

Cæterum, quia Ill. Godoy negat dictum antecedens *num. 23.* illud probò primò ad hominem contra ipsum: quod actus Charitatis Christi, regulatus scientia beata, sit idem, non obest, vt hic actus, prout terminatus ad bonitatem Divinam, vt est ratio diligendi Deum, sit necessarius, & non meritorius, & prout terminatus ad eandem bonitatem Divinam, vt est ratio diligendi creaturas, sit liber, & meritorius: ergo quod eodem decreto executivo decernatur Incarnatio, & eius continuatio, non obest, vt hoc decretum, vt terminatum ad Incarnationem, præscindat à meritis, & vt terminatum ad continuationem, sit ex meritis. Consequentia videtur paritate certa; nam si diversa terminatio est sufficiens, vt idem actus Christi sit liber, & necessarius, meritorius, & non meritorius, quare diversa de-

6
Probat
antecedens
1. ad hom.
contra Ill.
Godoy.

creti terminatio sufficiens non erit, vt Incarnatio præcindat à meritis, & eius continuatio sit ex meritis? Antecedens verò est Ill. Godoy *disp. 48. num. 94.* quod multoties in dicta disputatione repetit.

Probatur 2.
ad hom. cõ-
tra ipsum.

Probatur secundo ad hominem etiam contra Ill. Godoy: idem concursus sub diversa terminatione potest meritum terminare, & esse liberalis: ergo idem, quod antea. Antecedens est Ill. Godoy *num. 184.* dicentis: *Distinctio moralis inter concursum Divinum, vt primo terminatum ad gloriam animæ, & vt terminatum ad gloriam corporis, sufficit, vt sub prima terminatione meritum subterfugiat, & sub secunda causalitatem meritoriam terminet.*

Tertio etiã
ad hom.

Probatur tertio ad hominem etiam contra ipsum: quod eodem decreto decernatur gloria animæ, & corporis Christi, non obest, vt hoc decretum, vt terminatum ad gloriam animæ, sit sine meritis, & vt terminatum ad gloriam corporis, sit ex meritis, vt habet Ill. Godoy *s. 10. & præsertim num. 171.* cum sequentibus: ergo pariter.

7

Quarto.

Probatur quarto: ordo inter decreta executiva Dei commensuratur ordini obiectorum, vt in executione, & colligitur ex illo: vnde, quia gloria in executione merita præsupponit, et si decretum intentivum gloriæ non supponat merita, sed præcedat; decretum tamen executivum gloriæ post merita est; sed continuatio Incarnationis est in executione posterior aliquibus Christi meritis: ergo decretum executivum dicte continuationis præsupponit aliqua merita Christi, & illorum decretum executivum.

8

Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num. 23.* distinguendo maiorem: ordini executionis obiectorum, primo, & per se terminantium habitudinem decreti, concedit maiorem; non primo, sed secundo terminantium, negat maiorem, & concessa minori, negat consequentiam; nam continuatio Incarnationis non terminat primario, & per se decretum intentivum, aut executivum, sed decernitur ex vi decreti primo terminati ad Incarnationis substantiam, vt primo existentem. Vnde cum prima existentia Incarnationis executive omne meritum Christi præcedat, quamvis eius continuatio sit executive posterior aliquibus Christi meritis, decretum executi-

vum continuationis Incarnationis, non est posterius, sed prius decreto executivo meritorum.

Contra: ordo inter decreta executiva Dei commensuratur ordini obiectorum, quomodocumque terminantium: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ordo inter decreta executiva Dei commensuratur ordini obiectorum, vt sunt in executione; sed obiecta terminant habitudinem decreti executivi, vt sunt in executione: ergo ordo inter decreta executiva Dei commensuratur ordini obiectorum, quomodocumque terminantium. Consequentia inferitur. Minor est certa; alioquin quod est prius in executione, esset posterius in terminando habitudinem decreti executivi, & similiter, quod est posterius in executione, terminaret prius, quod est apud omnes falsum. Maior patet: alioquin ordo inter decreta executiva Dei non colligeretur ex ordine obiectorum, vt sunt in executione, quod etiam est apud omnes falsum.

Confirmatur contra Ill. Godoy, & vrgetur primo: irrationabile videtur, quod meritum aliquod Christi sit in executione prius, quam continuatio Incarnationis, & quod meritum illud Christi non antecedit decretum executivum continuationis; atqui meritum aliquod Christi est in executione prius, quam continuatio Incarnationis: ergo irrationabile videtur, quod meritum illud Christi non antecedit decretum executivum continuationis: ergo nulla est solutio Ill. Godoy. Minor est ipsius in solutione. Maior probatur: irrationabile videtur, quod ordo inter decreta executiva Dei colligatur ex ordine obiectorum, vt sunt in executione, & quod obiectum in executione prius alio non antecedit decretum executivum illius, vt patet in meritis respectu gloriæ in executione, & in quocumque alio: ergo irrationabile videtur, quod meritum aliquod Christi sit in executione prius, quam continuatio Incarnationis, & quod meritum illud Christi non antecedit decretum executivum continuationis.

Vrgetur secundo contra ipsum: ordo inter decreta executiva Dei mensuratur per ordinem obiectorum, vt sunt in executione: ergo qualis fuerit ordo obiectorum in executione, talis

9
Contra.

10
Confirm. &
vrgetur 1.

11
Vrgetur 2.

debet esse ordo inter decreta executiva Dei, quia qualis fuerit mensura, tale debet esse mensuratum: ergo obiectum, quod in executione est prius alio, antecedit decretum executivum illius; atqui aliquod Christi meritum est in executione prius, quam continuatio Incarnationis: ergo aliquod Christi meritum antecedit decretum executivum continuationis Incarnationis, & consequenter nulla est solutio Ill. Godoy.

12
Probat. 5. antecedens supra possum.
 Probat. 5. Probatur quinto antecedens prædictum: quod eodem decreto executivo decernatur Incarnatio, & eius continuatio, non obest, ut hoc decretum prius terminetur ad Incarnationem, quam ad eius continuationem: ergo quod eodem decreto executivo decernatur Incarnatio, & eius continuatio, non obest, ut hoc decretum, ut terminatum ad Incarnationem, præscindat à meritis, & ut terminatum ad continuationem, sit ex meritis. Consequentia vim habet ratione paritatis. Antecedens autem conceditur ab Ill. Godoy *num. 23.* concedente: continuationem Incarnationis terminare secundo habitudinem decreti executivi.

13
Impugn. 2.
 Impugnatur secundo solutio principalis Ill. Godoy: nulla inconnaturalitas sequitur ex eo, quod Christus de facto meruerit continuationem suæ vnionis: ergo nulla est allata Ill. Godoy solutio. Probatur antecedens: nulla sequitur inconnaturalitas ex parte operationum Christi, sed nec ex parte decretorum Dei in executione: ergo nulla inconnaturalitas sequitur ex eo, quod Christus de facto meruerit continuationem suæ vnionis. Consequentia est legitima. Maior certa: quia nullus invertitur ordo inter operationes Christi. Minor probatur: nullus invertitur ordo inter decreta executiva Dei: ergo nulla sequitur inconnaturalitas ex parte decretorum Dei in executione. Probatur antecedens: nam in tantum inverteteretur ordo inter decreta executiva Dei, in quantum obiectum aliquod in executione posterius, terminaret prius habitudinem decreti, vel in quantum obiectum aliquod in executione prius, terminaret posterius habitudinem decreti; atqui hoc non evenit, ut claret ex dictis *num. 8.* ergo nullus invertitur ordo inter decreta executiva Dei.

14
Impugn. 3.
 Impugnatur tertio: quod est possibile, & cedit in excellentiam, & gloriam Christi connaturalissimè; est Christo de facto concedendum; sed possibile est, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis, & cedit in excellentiam, & gloriam Christi connaturalissimè: ergo illam de facto Christus meruit, & consequenter nulla est solutio. Probatur secunda pars minoris: aliquod Christi meritum fuit prius in executione, quam continuatio suæ vnionis; sed est connaturalissimum, Christum acquirere excellentiam, & gloriam merendi per illud continuationem suæ vnionis: ergo Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis, cedit in excellentiam, & gloriam Christi connaturalissimè. Maior est certa apud Ill. Godoy *num. 23.* Minor probatur: est connaturalissimum, per meritum in executione prius mereri præmium in executione posterius, ut est notorium, & patet per dicta *num. 8.* sed aliquod Christi meritum fuit prius in executione, quam continuatio suæ vnionis: ergo connaturalissimum est, Christum acquirere excellentiam, & gloriam merendi per illud continuationem suæ vnionis.

15
Impugn. 4.
 Impugnatur quarto, & fortiter, nisi fallor: quod est possibile, & cedit in excellentiam, & gloriam Christi, etsi cum aliqua inconnaturalitate, est Christo de facto concedendum: ergo nulla est solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: Christo de facto concedere, quod est possibile absque aliqua inconnaturalitate, non est excellentia Christi: ergo quod est possibile, & cedit in excellentiam, & gloriam Christi, etsi cum aliqua inconnaturalitate, est Christo de facto concedendum. Probatur antecedens primo: concedere de facto cuicumque, quod est possibile absque vlla inconnaturalitate, non est excellentia illius: ergo Christo de facto concedere, quod est possibile absque vlla inconnaturalitate, non est excellentia Christi. Secundo: quod est possibile absque vlla inconnaturalitate, est connaturale; sed concedere alicui, quod est connaturale, non est illius excellentia: ergo idem, quod antea. Unde illud Theologorum axioma non bene ab Ill. Godoy explicatur, quia per illud (meo videri) Theologi connantur, ut effi-

fit aliqua inconnaturalitas, Christo ob eius excellentiam concedatur de facto, quod est possibile; alioquin nihil ob eius excellentiam concederetur, quia quod est possibile, & connaturale, cuiuscumque concedi potest.

16

*Impugn. 5.
& ad hom.
contra Ill.
God. prob.
2. conclusio.*

Impugnatur quintò, & simul probatur conclusio secundò ad hominè contra Ill. Godoy, dato, non implicare, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis, eam sic de facto meruisse, asserendum est: ergo superfluit solutio. Probatur antecedens: dato, non implicare contradictionem, quod intellectus creatus Divina intellectuione sit sapiens, asserendum est, de facto intellectum animæ Christi per illam intellexisse: ergo similiter. Antecedens ad litteram est Ill. Godoy tom. 2. in 3. p. disp. 31. num. 155. Consequentia est evidens, & ultrà probatur ad hominem etiam contra ipsum: ideo iuxta Ill. Godoy cit. dato, quod non implicet, intellectum creatum Divina intellectuione esse sapientem, asserendum est, de facto intellectum animæ Christi per illam intellexisse, quia Christo concedendum est, quidquid dignitatis est, si in eo nulla repugnantia involuitur: atqui continuationem suæ vnionis Christum mereri, dignitatis maximæ est: ergo dato, non implicare, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis, eam sic de facto meruisse, asserendum est.

17

Impugn. 6.

Et ex hac secunda ad hominem contra Ill. Godoy probatione impugnatur sextò solutio illius: inconnaturalitas non obest, vt Christo de facto concedatur, quidquid dignitatis est, si in eo nulla involuatur repugnantia: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: intellectus Christi creatus per intellectuionem increatam non intelligeret modo connaturali; sed hoc non obest, vt dato, quod non implicet, intellectum creatum Divina intellectuione esse Sapientem, intellectus animæ Christi per illam de facto intellexisset: ergo inconnaturalitas non obest, vt Christo de facto concedatur, quidquid dignitatis est, si in eo nulla involuatur repugnantia. Minor est Ill. Godoy cit. Maior probatur primò: intelligere per intellectuionem increatam non est connaturale intellectui creato, vt de se patet: ergo intellectus Christi creatus per intel-

*Probatur
maior 1.*

lectionem increatam non intelligeret modo connaturali.

Probatur secundò dicta maior ad hominem contra Ill. Godoy: intellectus Christi creatus, etiam intelligeret per increatam intellectuionem, adhuc etiam intelligeret per intellectuionem creatam; sed hoc non alia ratione, nisi, vt connaturaliter intelligeret: ergo idem, quod antea. Maior est Ill. Godoy tom. 2. disp. cit. num. 172. Minor est etiam ipsius cit. num. 190. Consequentia patet: nam si intellectus Christi creatus intelligeret connaturaliter per intellectuionem increatam, superflueret creata intellectuio, vt connaturaliter intelligeret. Probatur tertio etiam ad hominem contra ipsum: humanitas Christi Domini, etiam sit Sancta sanctitate increata, hæc tamen sanctitas non est illi connaturalis: ergo intellectus Christi creatus per intellectuionem increatam non intelligeret modo connaturali. Consequentia est paritate certa. Antecedens est Ill. Godoy tom. cit. disp. 23. num. 6. & 36. vbi statuit, quod gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi Domini, vt eliceret connaturaliter actus ordinis supernaturalis, & vt mereretur connaturali modo præmium supernaturale.

Impugnatur septimò ad hominem etiam contra ipsum, formando replicam ab opposito: data non repugnantia merendi de condigno continuationem vnionis hyposticæ, nulla est assignabilis ratio, cur tale meritum non sit factibile Christo connaturale per aliquod donum creatum: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: data non repugnantia intelligendi intellectum creatum per intellectuionem increatam, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ intellectuionis ad intellectum creatum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy tom. cit. disp. 31. num. 168. vbi illud probat, & firmat num. 169. Consequentia est paritate notoria.

Et ultrà illam probò: magis inconnaturale est absolute, intellectum creatum intelligere per intellectuionem increatam, quam Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis; sed iuxta Ill. Godoy data non repugnantia intelligendi in-

18

*Probatur 2.
ad hom. cō-
tra Ill. God.*

*3. etiam
ad hom. cō-
tra ipsum.*

19

*Impugn. 7.
etiam ad
hom.*

20

Probatur cōseq.

tellectum creatum per intellectionem increatam, nulla est assignabilis ratio, cur vnio prædictæ intellectionis ad intellectionem creatum non sit factibilis connaturalis ipsi per aliquod donum creatum: ergo data non repugnantia merendi de condigno continuatione vnionis hypostaticæ, nulla est assignabilis ratio, cur tale meritum non sit factibile Christo connaturale per aliquod donum creatum. Probatur maior: id, quod est absolute impossibile, magis inconnaturale est absolute, quàm id, quod est absolute possibile; sed intellectionem creatum intelligere per intellectionem increatam, est absolute impossibile, & Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis, est absolute possibile: ergo magis inconnaturale est absolute, intellectum creatum intelligere per intellectionem increatam, quam Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis. Maior patet ex terminis. Minor pro prima parte est Ill. God. cit. num. 38. pro secunda est ipsius in præsentibus num. 3. Consequentia est legitima.

21 Probatur tertio conclusio doctrina generali: Christus de facto meruit merito condigno omnes circumstantias, Incarnationem subsequentes; sed continuatio Incarnationis Incarnationem subsequitur: Ergo Christus de facto meruit merito condigno continuationem Incarnationis. Consequentia est legitima. Minor indubitata, & ab Ill. God. in præsentibus concessa num. 20. & seqq. Maior autem supponitur generaliter à Theologis contra Vincentium de gratia Christi, quest. 5. art. 3. dubio 2. vt dicemus §. 3. Et ex hac generali doctrina.

22 Probatur quarto conclusio, destruendo vnicum Ill. Godoy fundamentum: vt Christus mereretur continuationem suæ Incarnationis, non exigebatur, quod substantia Incarnationis, & illius continuatio diversis decretis decernerentur: ergo ruit fundamentum Ill. Godoy, in oppositum nitens. Probatur antecedens: vt Christus mereretur circumstantias Incarnationis subsequentes, non exigitur, quod substantia Incarnationis, & eius circumstantiæ subsequentes, diversis decretis decernantur: ergo vt Christus mereretur continuationem suæ Incarnationis, non exigebatur, quod substantia Incarnationis, & illius con-

tinuatio, diversis decretis decernerentur. Consequentia certa videtur. Antecedens est doctrina Theologorum generalis, non exigentium diversa decreta ad Incarnationem, & eius circumstantias subsequentes. Et si aliqui hoc necessarium putent, eodem modo discurrunt de Incarnatione, & eius continuatione, vt potè, Incarnationem subsequente. Ultra quod.

23 Probatur antecedens eisdem verbis, quo id probat Ill. Godoy num. 6. de Divinis decretis loquendum est conformiter ad rerum naturas, nisi oppositum sit revelatum; sed circumstantiæ subsequentes (imò, & omnes) Incarnationem, attenda propria natura, petunt decerni ex vi eiusdem decreti intentivi, & executivi, quo decernitur earum substantia, & oppositum non est revelatum: ergo de facto vniam terminavere decretum. Minor pro secunda parte constans est: non enim est assignabile testimonium aliquod Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum, in quo diversa contineantur decreta erga substantiam Incarnationis, & eius circumstantias subsequentes. Pro prima autem parte probatur: nam attenda rerum natura, eodem decreto, & eius circumstantiæ, decernuntur: ergo vi eiusdem decreti ad Incarnationem, & eius circumstantias subsequentes terminati, decernuntur.

24 Nec dicas pro ipso, quod ipse dicere valeret, nempe, esse differentiam inter continuationem Incarnationis, & circumstantias ipsam subsequentes; quia istæ sunt extrinsecæ Incarnationis; continuatio autem est intrinseca, vt potè, eadem actio cum actione Incarnationis. Ne (inquam) hoc dicas pro illo, quia hoc etiam contra ipsum est, vt hac patet ratione: Incarnatio, & passibilitas, scilicet, mors crucis, eodem decreto decernuntur, vt asserit Ill. Godoy tom. 1. in 3. p. disp. 8. imò, & plures Scotistæ, vt nos ibi diximus num. 13. Atqui passibilitas, scilicet, mors Crucis, est circumstantia extrinseca Incarnationis, vt apud omnes est certum, & sine controversia, ibi etiã num. 9. supposuimus: ergo quod circumstantiæ Incarnationem subsequentes, sint extrinsecæ, non obest, vt eodem decreto ipsæ, & Incarnatio decernantur: nulla ergo est pro Ill. Godoy responsio.

Probatu deniquè conclusio: pos-

23
Probatu
antecedens
verbis Ill.
Godoy.

24
Dices pro
ipso.

Contra.

25

21
Probat. 3.
conclus. ge-
nerali doc-
trina.

22
Probat. 4.
destruendo
vnicū fun-
dam. Ill.
Godoy.

Probat. 5.
conclusio.

sibile fuit, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis: ergo illam de facto meruit. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy num. 2. Consequentia probatur: credibile est, Deum ad omnia præmia possibile ordinasse de facto opera Christi, cum sint summi valoris, & in opinione Ill. Godoy infiniti valoris simpliciter; atqui iuxta cōcessā possibile fuit, Christum mereri de condigno continuationem suæ vnionis: ergo de facto illam meruit.

26

Vndè credibile est, quod Divina voluntas de facto decrevit (sicut potuit in sententia Ill. Godoy) vnionem humanitatis ad Verbum quoad substantiam, non decernendo vi huius decreti continuationem vnionis, sed ab illa præcendendo, & in hoc instanti Christum habere actus honestos, habentes sufficientem dignitatem ad merendam continuationem Incarnationis, postea esse aliud decretum, vel extensionem illius de vnione humanitatis ad Verbum quoad substantiā ad continuationem illius, quomodo discurrunt plures Scotistę de substantia Incarnationis, & modis passibilitatis, vel impassibilitatis ex dictis tom. 1. in 3. Sent. disp. 8. num. 14. Et eodem modo nos philosophavimus de gloria quoad substantiam, & quoad modos, vel circumstantias tom. 2. in 1. Sent. disp. 65. à num. 2. vsquè ad 10.

§. II.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

27
Arguit Ill.
Godoy.

Contra secundam partem nostræ conclusionis arguit Ill. Godoy num. 5. vt enim Christus mereretur continuationem suæ Incarnationis, necessariò exigebatur, quod substantia Incarnationis, & illius continuatio, non vno, sed diversis decretis, decernerentur; at de facto non diversis, sed vno indivisibili decreto intentivo, & exequente, fuerunt determinatę substantia Incarnationis, & illius perseverantia, & continuatio: ergo de facto Christus continuationem Incarnationis non meruit. Consecutio tenet. Maior autem constans videtur: nam vnum, & idem decretum omnimodè indivisibile, nequit esse gratiosum, & ex iustitia; cum iustitia, & liberalitas Dei virtualitèr distinguantur: ergo vt substantia Incarnationis terminet actum liberalem Dei, & il-

lius continuatio decretum remunerativum, necessarium est, quod terminent diversa decreta. Deindè: quia non stat, ex vi vnus decreti decerni substantia Incarnationis, & illius continuatio; & quod decretum substantię sit actus iustitię, & decretum continuationis sit omninò liberale: vndè, quia gloria quoad substantiā, & perpetuam durationem ex vi eiusdem decreti decernitur, prout refertur ad decretum Dei intentivum, liberalitèr sub vtraque ratione decernitur, & in ordine executivo decreto remunerativo ad illam terminato secundum vtranque rationem: ergo paritèr: non stabit, ex vi eiusdem decreti decerni substantiam Incarnationis, & illius continuationem; & quod illius substantia donum liberale sit, & perseverantia non sit donum liberale, sed præmium meritorum.

Deindè minor discursus facti suadetur: nam de Divinis decretis loquendum est conformitèr ad rerum naturas, nisi oppositum sit revelatū; sed continuatio Incarnationis, attenta propria natura, petit decerni ex vi eiusdem decreti intentivi, & executivi, quo decernitur eius substantia, & oppositum revelatum non est: ergo de facto non duo, sed vnum terminare decretum. Minor pro secunda parte est certa; non enim est assignabile testimonium aliquod Scripturę, Conciliorum, aut Patrum, in quo diversa cōtineantur decreta erga substantiam Incarnationis, & illius continuationem. Pro prima autem parte probatur: nam vnioni humanitatis ad verbum est debita connaturalitèr cōtinuatio: ergo petit connaturalitèr fieri ex vi eiusdem decreti, ad Incarnationis substantiam terminati.

Quod amplius explicat, & confirmat primò: quia namquè proprietates consequuntur naturalitèr ad essentiam, petunt fieri ex vi eiusdem actionis, & ex vi eiusdem decreti eum essentia, ad quam consequuntur, decerni; sed Incarnationi, cum ex se perpetua, & incorruptibilis sit, non minus debetur perpetuitas durationis, quam essentię proprietates: ergo petit ex vi eiusdem decreti decerni quoad substantiam, & sui continuationem. Secundò confirmat: non enim minus debetur Incarnationi perseverantia, aut duratio, quam Angelicę naturę;

28

Probat mi-
norem.

29
Explicat,
& confir-
mat 2.

Confirmat 2.

sed

sed quia Angelo, ex suppositione, quod sit, debetur perpetua duratio, ex vi eiusdem decreti petit quoad substantiam, & durationem decerni: ergo idem est de Incarnatione dicendum. Tertio: non minus est debita Incarnationi continuatio, quam visioni nostrae beatificae; sed quia visioni nostrae beatificae debetur perpetua duratio, petit ex vi eiusdem decreti quoad substantiam, & durationem decerni, & oppositum non nisi miraculosè, & extraordinaria providentia contingeret, ut de facto evenit in visione transitoria Pauli: ergo pariter: Incarnatio petit ex natura sua vi eiusdem indivisibilis decreti quoad substantiam, & continuationem decerni.

Et ex his confirmat, & explicat amplius efficaciam argumenti: quia namque Angelus, & visio beatifica petunt ex vi eiusdem decreti quoad substantiam, & durationem decerni, Angelus non merens sui substantiam, nec meruit durationem, & continuationem sui esse; & è contra, iusti de condigno substantiam visionis beatæ merentes, merentur etiam condignè illius durationem, & continuationem; sed incarnatio petit ex natura sua ex vi eiusdem decreti quoad substantiam, & continuationem decerni: ergo Christus, qui de facto substantiam Incarnationis non meruit, nec meruit illius continuationem. Denique confirmat: quia namque gratiæ habituali est debita conservatio conditionata, nempe, quod semel infusa homini, non destruat, nisi interveniente mortali peccato, homo non merens primam infusionem gratiæ, non meretur illius conditionatam durationem, aut continuationem; sed unioni hypostaticæ est connaturalitè debita absoluta duratio, & continuatio: ergo Christus, qui de facto non meruit suæ unionis productionem, nec meruit illius absolutam durationem, & continuationem.

Respondeo primò negando maiorem ob dicta num. 26. ex cuius doctrina ad primam probationem distinguo antecedens primo: vnum, & idè decretum omnino indivisibile quoad entitatem, & extensionem concedo antecedens; quoad entitatem indivisibile, & divisibile quoad extensionem nego antecedens, & con-

sequentiam, distinguoque similiter secundam probationem, quin exemplum de gloria alia solutione indigeat; imo potius nobis fabet iuxta dicta eodem numer. 26. Distinguo secundo: vnum, & idem decretum, omnino indivisibile quoad entitatem, & terminationem concedo antecedens; quoad entitatem indivisibile, & divisibile quoad terminationem, nego antecedens, & consequentiam, & hac distinctione distinguo probationem secundam. Solutio claret ex dictis à n. 5. usque ad 13. & contra ipsum retorquetur per dicta n. 6. 22. 23. & 24.

Respondeo secundo omiſſa maiori, negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: de Divinis decretis loquendum est conformiter ad rerum naturas, nisi oppositum sit revelatum præcisè nego maiorem; nisi oppositum sit revelatum, vel sit in oppositum vrgens ratio, concedo maiorem; & omiſſa prima parte minoris, distinguo secundam: oppositum revelatum non est, nec est in oppositum vrgens ratio, nego minorem; & est vrgens in oppositum ratio, concedo minorem, & nego consequentiam.

Itaque licet, attentis rerum naturis, substantia Incarnationis, & eius continuatio, eodem decreto petant decerni; sunt tamen, ut diversis decretis decernantur, vrgentissimæ rationes. Prima est maxima Theologorum, scilicet, quod est possibile, & cedit in excellentiam Christi, Christo de facto debet concedi, quod limitari nequit ad connaturalitatem rerum, vel ad id, quod rerum naturæ postullant, ut apparet ex dictis num. 15. 17. & 18. Ratio secunda est: quia decens non videtur, quod Deus non ordinasset de facto opera Christi ad omnia præmia possibile. Si enim ad hoc non sufficit idem decretum cum divisibilitate extensiva, vel terminativa, duplex decretum debet poni, attendenti Christi excellentia, ad quam potius, quam ad naturas rerum, Deus attendit, quod à nullo rationabiliter videtur negandum.

Et iuxta hanc solutionem ad confirmationes omnes (omissis aliquibus falsitatibus, in ipsis repertis, de quibus disputare nos non cogit Ill. Godoy) respondeo ad triplicem positam num. 29. omittendo totum, quia

Tertio.

30
Vltius
confirmat.

Vltimo.

31
Respond. 1.
ad argum.

32

Respond. 2

Ad prob.
minoris.

33

34
Ad confir-
mationes.

nihil probant contra nostram secundam solutionem. Ad quartam distinguo maiorem: quia petunt præcisè ex vi eiusdem decreti quoad substantiam, & durationem decerni, nego maiorem; quia petunt, & quia non est vrgens ratio in oppositum, concedo maiorem, & omiſſa minori, nego consequentiam ob rationes datas, & hac distinctione maiorem ultimæ confirmationis distinguo, & omiſſa minori, nego consequentiam, & ruit tota, & longa Ill. Godoy probatio, quæ facilius evitatur, & fortè melius, primam tribuendo solutionem.

Ill. Godoy aliud non adducit in suum faborem; insurgit tamen quidam Scotista, & sic arguit: decretum exequendi Incarnationem includit continuationem eiusdem; sed Christus non meruit, nec mereri potuit decretum exequendi Incarnationem, ut inconfesso habemus: ergo nec meruit continuationem illius. Respondeo distinguendo maiorem: decretum exequendi Incarnationem, circumstantiarum, & modificatum modo continuationis, includit continuationem eiusdem, concedo maiorem; decretum exequendi Incarnationem, non circumstantiarum, nec modificatum modo continuationis, includit continuationem eiusdem, nego maiorem; & distinguo minorem: Christus non meruit, nec mereri potuit decretum exequendi Incarnationem, non circumstantiarum, nec modificatum modo continuationis, concedo minorem; ut circumstantiarum, & modificatum tali modo, nego minorem, & consequentiam. Imò miror, quod Scotista, cuius est argumentum, hanc solutionem non adverteret, cum illa utatur cum cæteris Scotistis pro defensione opinionis Scoti, scilicet, quod, Adamo, non peccante, Christus veniret.

Mastrius verò in 3. disp. 3. q. 12. numer. 460. aliter insurgit, & si quid est nobis supra obiectum, ad hoc reducit: unio, ut primo collata, fuit absque meritis, & ex natura sua est perpetua: ergo continuatio fuit absque meritis. Confirmatur: conservatio unionis est eiusdem rationis cum ipsa unione: ergo sicut unio nequit cadere sub merito, ita illius conservatio. Respondeo ad argumentum concessio antecedenti, negando consequen-

tiam. Disparitas est: nam prima collatio unionis est principium meritorum, ideoque non fuit ex illis. At illius conservatio supponit meritum, scilicet, primam Christi operationem; unde potuit ab illo dependere. Ad confirmationem omisso antecedenti, nego consequentiam ob eandem rationem. Denique: neque unio dicitur perpetua eo, quod Deus nequeat illam destruere, aut quia teneatur, illam conservare, sed quia non habet principium intrinsecum corruptionis (sicut habent res corporeæ) & quia à nulla creatura potest destrui, quod est esse perpetuam ex mera Dei voluntate; non verò ex natura sua, ut contra Thomistas tenent de Angelis Scotistæ, & de beatitudine propugnabimus contra Ill. Godoy tom. sequenti. Unde cum liberè à Deo unio conservetur, potest ista conservatio sub merito cadere.

§. III.

De Maternitate Beatissimæ Virginis.

Noto ante resolutionem, quod Theologi generaliter notant, scilicet, circumstantias Incarnationis esse in triplici differentia. Aliæ enim sunt antecedentes. Aliæ concomitantes; & aliæ subsequentes. Antecedentes sunt, quod Incarnatio sit prædicta à Prophetis, annunciata ab Angelo, & quod Christus descendat ex Stirpe David, & Abraham. Concomitantes, ut esse factum tali loco, tali tempore, & tali efficiente. Subsequentes sunt, adorari à Magis, & laudari à Pastoribus &c.

Ex his autem certum communiter est apud Theologos contra Vincentium à nobis cit. num. 21. Christum de facto meruisse circumstantias, Incarnationem subsequentes, cuius ratio generaliter recepta est: quia istæ circumstantiæ non se tenent ex parte principij merendi, sed ad illud subsistentur: ergo sub merito cadere possunt: ergo illas de facto Christus meruit, cum cedat in illius gloriam, & excellentiam. Unde meruit Christus Magorum, & Pastorum adorationem, fugam in Ægyptum ad evitandam præmaturam mortem; laudem Angelorum; curam; sollicitudinem B. V. Mariæ, & Iosephi; extensionem unionis hypostaticæ ad eas substantiæ par-

tes,

Vide n. 108
& 109.35
Obijcit quidam Scotista.

Respondeo.

37
Circumstantiæ Incarnationis sunt in triplici differentia.38
Christus meruit circumstantias subsequentes.

tes, quas per nutritionem acquirebat. Meruit etiam reunionem totius humani cū Verbo: nam anima Christi in triduo fuit separata à corpore; ideòquè totum humanum fuit destructum, & in Resurrectione reunitum Verbo; quia hæc Resurrectio consequitur ad unionem hypostaticam, cum sit effectus virtutis Christi, qui propria virtute resurrexit à mortuis, & ascendit in Cœlum.

39
Antecedentes, & concomitantes circumstantiæ sunt in duplici differentia.

Antecedentes autem, & concomitantes circumstantiæ sunt in duplici differentia. Quædam sunt per se, & sunt illæ, quæ ex parte principij fuerunt necessariae, vt quod vnio fieret Verbo, non Patri, nequè Spiritui Sæcto. Aliæ sunt per accidens, & sunt illæ, quæ ex parte principij non fuerunt necessariae, vt quod Maria fuerit Mater Christi; nam cum certum sit, potuisse Deum producere Christum sine concursu feminae, vel cum alterius feminae concursu, certum debet esse, quod ad esse Christi per accidens est, quod Maria fuerit eius Mater. De hac loquitur Ill. Godoy in præsentī, & de hac discordant Theologi, & nos etiam ab Ill. Godoy dissentimus. Sit Ergo.

40
2. Conclusio

Secunda conclusio: Meruit Christus de facto Virginis Maternitatem, hoc est, ex Beatissima Virgine nasci, & quod ipsum Virgo conciperet. Hanc conclusionem docent plures Doctores. Felix de Incarnatione cap. 9. diff. 5. Suarez 3. p. disp. 10. sect. 7. & 8. Vazquez disp. 32. cap. 2. Herice 1. p. disput. 29. sect. 4. Lugo disput. 8. sect. 7. Ripalda tom. 2. de ente supernaturali lib. 4. disp. 86. sect. 7. num. 55. Et est contra Ill. Godoy num. 26. Hanc conclusionem libenter amplector, vtpotè, meo videri probabiliorē, & excellentiæ Christi conformiorē.

41
Probat. 1.

Probat. 1. Beatiſſima Virgo meruit saltim de congruo Maternitatem Christi: ergo illa de condigno meruit Christus. Antecedens probavimus tom. 1. in 3. sent. disp. 13. num. 105. illudque concedit Ill. Godoy num. 50. Antecedens, prout attinet ad meritum, probatur: nulla dignitas est Virgini concedenda, quæ Christo non concedatur; sed Beatiſſima Virgo meruit Maternitatem Christi: ergo Christus illam meruit. Prout pertinet ad meritum de condigno, probatur idem antecedens:

ideò Beatiſſima Virgo solum de congruo, & non de condigno, meruit Maternitatem Christi, quia opera B. Virginis fuerunt de facto ordinata duntaxat ad merendum augmentum gratiæ, & gloriæ, tanquam ad præmium æquivalens, & adæquatum; sed opera Christi fuerunt de facto ad omnia præmia possibilis ordinata: ergo si Christus meruit Maternitatem, illam de condigno meruit. Maior est ratio à nobis tradita tom. & disp. cit. num. 111. Minor constat ex dictis in præsentī n. 25. Consequentia inferur.

Respondet Ill. Godoy numer. 50. concessio antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem pro prima parte, ait: veram esse maiorem de his, quæ non attinebant ad principium meritorum Christi, falsum autem, si ad illud pertineant; & quia Nativitas Christi ex Virgine fuit via ad existentiam Incarnationis, quæ fuit Christo principium merendi, fit consequens, vt quamvis concedatur Virgini, congruum Maternitatis, & Incarnationis meritum, non sit Christo concedendum meritum condignum eiusdem Maternitatis.

Hæc tamen Ill. Godoy solutio rejicitur primò: licet verum sit, quod B. Virginem esse Matrem Christi, pertineat ad principium meritorum Christi, scilicet, ad Incarnationem; falsum tamen est, quod per se pertineat ad tale principium; atqui quod per se non pertinet ad principium meritorum Christi, potest cadere sub merito, subsecuto ad illud principium: ergo cum Maternitas Christi non per se, sed per accidens, pertineat ad principium meritorum Christi, sub merito Christi cadere valet: ergo sic esse de facto dicendum est: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Maior est certa; nam potuit Christus à Deo produci sine concursu feminae, vel cum alterius feminae concursu, vt diximus num. 39.

Minor verò probatur primò: quod per se pertinet ad principium meritorum Christi, scilicet, ad Incarnationem, non potest cadere sub merito, secuto ad illud principium: ergo quod per se non pertinet ad principium meritorum Christi, potest cadere sub merito, subsecuto ad illud principium. Antecedens constat ex dictis num. 39. Consequentia probatur: si quod per se non pertinet ad principium meri-

42
Respondet
Ill. Godoy.

43
Reijcitur 1

44
Prob. mi-
nar. I.

torum Christi, non posset cadere sub merito, secuto ad illud principium, nulla esset differentia in ordine ad illud principium inter ea, quæ per se, & per accidens requiruntur; sed hoc est omnino falsum: ergo quod per se non pertinet ad principium meritorum Christi, potest cadere sub merito, subsecuto ad illud principium.

Probatum secundo: id quod per se, & essentialiter non dependet ab alio, potest à Deo videri futurum sine illo: ergo &c. Consequentia est legitima. Antecedens patet: nam potuit Deus decernere effectum, non decretata causa, à qua essentialiter non dependet, cuius ratio est, quia effectus non individuatur à causa, à qua essentialiter non dependet, ut tenet Scotus in 2. dist. 20. quest. 2. Et in 3. dist. 8. loquendo de filiatione Christi.

Reijcitur secundo solutio allata, reijciendo fundamentum Ill. Godoy: Beatissima Virgo fuit mediatum principium physicum meritorum Christi Domini; sed hoc non obest, ut cadat sub merito Christi: ergo quod Maternitas Virginis pertineat ad principium meritorum Christi, non obest, ut sub merito Christi cadat: ergo nulla est solutio. Maior est fundamentum Ill. Godoy num. 26. Probatum minor: principium mediatum physicum meriti potest cadere sub merito actus, cuius est principium; sed iuxta Ill. Godoy B. Virgo fuit mediatum principium physicum meritorum Christi Domini: ergo quod sit tale principium, non obest, ut cadat sub merito Christi. Probatum maior: principium mediatum morale potest causari moraliter ab eo, cuius est principium: ergo similiter: principium mediatum physicum meriti potest cadere sub merito actus, cuius est principium.

Consequentia tenet: tum a paritate rationis. Tum etiam: nam ideo potest principium morale mediatum, quia principium essentialiter non est; posset namque de potentia absoluta hæc numero humanitas Christi produci, vel à Deo immediate, vel alterius Matris concursu: ergo potest principium mediatum physicum cadere sub merito operis, cuius est mediatum principium. Antecedens autem dupliciter ostenditur ad hominem contra Ill. Godoy. Primo: nam iuxta

ipsum Incarnatio fuit principium mediatum morale gratiæ Antiquis P. P. data, cum fuerit immediatum principium meriti prædictæ gratiæ, & tamen fuit effectus meriti Antiquorum P. P. ergo principium mediatum morale potest esse effectus meriti, cuius est principium mediatum. Secundo: nam gratia Antiquorum P. P. fuit principium mediatum morale Incarnationis Verbi; cum fuerit principium immediatum meriti, quo Antiqui P. P. Incarnationem meruerunt; & tamen fuit effectus meritorum Christi: ergo verum est antecedens.

Respondet Ill. Godoy numer. 54. concessio antecedenti, distinguendo consequens: illud concedit, loquendo de principio physico mediatum in esse rei; negat de principio physico mediatum in ratione actualis principij; ex quo tantum sequitur, meruisse Christum existentiam B. Virginis, quod libenter concedit, cum enim fuerit substantia Virginis effectus propriæ prædestinationis, ut colligitur ex his, quæ docuit *Tract. de præd. 1. p. q. 23. art. 2.* & Christus fuerit causa moralis, & meritoria prædestinationis, & omnium effectum illius; sit consequens, quod de facto Virginis existentiam meruerit; non tamen sequitur, quod meruerit Christus de facto Virginis Maternitatem: nam ad hoc requirebatur, quod de facto meruisset nasci, aut generari ex illa, quod negat in conclusione; ratio autem, cur potuerit mereri, & de facto meruerit existentiam B. Virginis, non autem mereri, nec potuerit mereri illius Maternitatem, habetur ex dictis, quia, nempe, meritis Christi non repugnat essentialiter præcedere in ordine executivo Virginis existentiam; cum non implicet, vel à Deo immediate, vel mediante altera femina, & sine Mariæ concursu, produci; implicat autem gigni ex illa, & generationem istam in ordine executivo meriti Christi præcedere; & ideo possunt Christi meriti mereri Virginis existentiam, illamque de facto merentur; secus autem Virginis Maternitatem.

Sed omissa falsitate, in solutione contenta, scilicet, existentiam Virginis esse effectum propriæ prædestinationis, ut colligitur ex his, quæ docuimus tom. 2. in 1. sent. disput. 62. impugnat hæc solutio primo: princi-

Secundo.

47
Respondet
Ill. Godoy.45
Reijcitur 2

46

Antecedens
ostenditur
1.48
Impugnatur
1 solut.

pium mediatum morale potest causari moraliter ab eo, cuius est principium: ergo principium phisicum mediatum in ratione actualis principij potest causari moraliter ab eo, cuius est principium: ergo tenet paritas, & ruit solutio. Probatum consequentia: minus compossibile est, quod principium mediatum morale causetur moraliter ab eo, cuius est principium, quam quod principium phisicum mediatum in ratione principij actualis causetur moraliter ab eo, cuius est principium; sed iuxta concessa principium mediatum morale potest causari moraliter ab eo, cuius est principium: ergo principium phisicum mediatum in ratione actualis principij potest causari moraliter ab eo, cuius est principium.

49
Probatum
maior.

Maiores autem probatur: minus compossibilis est mutua inter duo causalitas in eodem ordine, quam in diverso; quia minus compossibilis est mutua inter duo causalitas in ordine morali, quam in ordine morali, & phisico. Atqui semel concessio, quod principium mediatum morale possit causari moraliter ab eo, cuius est principium, componitur mutua inter duo causalitas in eodem ordine, scilicet, morali; ex eo autem, quod principium phisicum mediatum in ratione actualis principij causetur moraliter ab eo, cuius est principium, componitur duntaxat mutua inter duo causalitas in diverso ordine, nempe phisico, & morali: ergo minus compossibile est, quod principium mediatum morale causetur moraliter ab eo, cuius est principium, quam quod principium phisicum mediatum in ratione principij actualis causetur moraliter ab eo, cuius est principium.

50
Probatum
maior I.

Secundo.

Consequentia est legitima. Minor certa. Maior vero probatur primo: minus compossibilis est mutua inter duo causalitas in eodem genere cause, quam in diverso: ergo similiter. Probatum secundo: minus compossibilis est mutua inter duo causalitas in ordine intentivo, quam in ordine intentivo, & executivo: ergo pariter. Consequentia est paritate notoria. Antecedens est doctrina Ill. Godoy pluribus in locis; sufficiat tamen, quod adducit tom. 1. in 3. p. disp. 13. num. 36. ubi ideò docet, quod Incarnatio, ut prævisa in vi decreti intentivi, non

potest cadere sub merito Patrum Antiquorum, quia ut in hoc ordine prævisa Incarnatio, est principium meriti Antiquorum Patrum.

Impugnatur secundo solutio Ill. Godoy: ideò negat, Christum meruisse Maternitatem, quia essentialiter repugnat, Maternitatem esse Christo posteriorem in ordine executionis; sed hoc non obest, ut Christus mereatur Maternitatem: ergo illam Christus meruit. Maior est doctrina ipsius in solutione, quam sæpe in præfenti inculcat. Minor vero probatur his paritatibus. Prima: gratia Antiquis P. P. fuit præmium meritorum Christi; sed essentialiter repugnat tali gratiæ posterioritas ad Christum, & eius merita in ordine executionis: ergo quod essentialiter repugnet, Maternitatem esse Christo posteriorem in ordine executionis, non obest, ut Christus mereatur Maternitatem. Secunda: existentia Virginis est præmiū meritorum Christi; sed essentialiter repugnat existentia Virginis posterioritas ad Christum, & eius merita in ordine executionis: ergo idem, quod prius. Utraque paritas est ad hominem contra Ill. Godoy.

§ 1
Impugn. 2.

Respondet Ill. Godoy num. 61. negando minorem, ad cuius primam probationem à paritate negat maiorem, loquendo de illis actibus, & de gratia efficaci applicante; non enim efficienter moraliter, sed in genere causæ finalis fuerunt à Christo causata. Hæc tamen solutio manet à nobis impugnata tom. 1. in 3. Sent. disp. 13. à num. 74. usque ad 40. ibique falsitas solutionis videatur.

§ 2
Respondet
Ill. Godoy.
ad 1. paritatem.

Reijcitur.

Ad secundam paritatem respondet num. 57. in fine negando minorem, quia existentia Virginis non repugnat esse in ordine executivo posterior Incarnatione, cuius rationem dederat num. 53. & est eadem, quam nos retulimus num. 43. Hæc tamen solutio reijcitur primo: existentia Matris Christi repugnat essentialiter posterioritas ad Christum, & eius merita in ordine executionis; sed existentia Matris Christi est existentia Virginis: ergo essentialiter repugnat existentia Virginis posterioritas ad Christum, & eius merita in ordine executionis, & consequenter ruit solutio. Secundo: quia ideò iuxta Ill. Godoy existentia Virginis non repugnat essen-

§ 3
Ad 2. respondet.

Impugn. 1.

Secundo.

tialiter esse posterior Incarnatione in ordine executionis, quia potuit Christus à Deo produci sine concursu feminæ, vel cum alterius feminæ concursu; sed hac ratione nos probamus: Maternitatem Virginis per accidens tantum pertinere ad Incarnationem, ut patet ex dictis *num. 43.* ergo cum possit sub merito Christi cadere, quod per accidens pertinet ad Incarnationem ex dictis *n. 44.* Maternitas Virginis sub merito Christi cadere potest.

Reijcitur tertio, probando minorem nostræ probationis alia paritate ad hominem contra Ill. Godoy: substantia prædestinati est effectus prædestinationis, sed essentialiter repugnat substantiæ prædestinati posterioritas ad prædestinationem in ordine executionis: ergo quod essentialiter repugnet, Maternitatem esse Christo posteriorē in ordine executionis, non obest, ut Christus mereatur Maternitatem. Maior est opinio Ill. Godoy *tom. 2. in 1. p. disp. 62. num. 5.* Minor est per se nota, eamque perpetuo concedit ipse *disp. cit.* Consequentia est legitima, & ad hominem contra ipsum probatur primo: ideo substantia prædestinati est effectus prædestinationis, quia licet substantia prædestinati sit prius gloria in genere causæ materialis, potest esse posterius in genere causæ finalis: ergo licet Maternitas sit Christo prior in ordine phisico, poterit esse posterius in ordine morali.

Probatur secundò eadem consequentia: quod substantia prædestinati essentialiter sit prius in ordine executionis ad decretum electivum ad gloriam, non obest, ut sit effectus talis decreti iuxta Ill. Godoy: quod ergo essentialiter repugnet, Maternitatem esse Christo posteriorem in ordine executionis, non obest, ut Christus mereatur Maternitatē. Tertio: quod substantiæ prædestinati essentialiter repugnet posterioritas ad decretum prædestinativum in ordine intentionis, non obest, iuxta Ill. Godoy, ut in eodem ordine intentionis sit effectus talis decreti: ergo idem, quod antea.

Quarto: quod est prius in genere causæ materialis, potest in genere causæ finalis esse posterius, ut habet Ill. Godoy *cit. num. 6.* Item: quod est prius in genere causæ materialis, potest esse in genere causæ efficientis

posterius, ut ipse ibi fatetur in substantia genita, & creata, & generatione, & creatione. Item: quod est prius in genere causæ efficientis, & materialis, potest esse posterius in genere causæ finalis, ut apud ipsum *ibi* patet in potentia vitali, & actu illius: ergo quod est prius in genere phisico, potest esse posterius in genere moris: ergo Maternitas, quæ est Christo prior in genere phisico, potest esse Christo posterior in genere moris: ergo idem, quod prius.

Reijcitur quartò, aliter contra Ill. Godoy probando supra positam minorem: ut aliquod opus exerceat meritoriam causalitatem, necessariū non est, quod decretum eius executivum præcedat decretum executivū præmij: ergo quod essentialiter repugnet, Maternitatem esse Christo posteriorem in ordine executivo, non obest, ut Christus mereatur Maternitatem. Probatur antecedens: ut aliquod opus exerceat causalitatem meritoriam, sufficit, quod prævisio operis meritorij præcedat decretum executivum præmij: ergo pariter. Consequentia est legitima. Antecedens est Ill. Godoy *tom. 1. in 3. part. disp. 13. num. 78. & 89.* Et in *presenti num. 61.* Omitto plures alias probationes, quia ex à nobis dictis contra ipsum *tom. 2. in 1. Sent. disp. 62. à num. 11.* Et *tom. 1. in 3. Sent. disp. 13.* facillimè contra ipsum formari valent.

Impugnatur tertio solutio Ill. Godoy posita *n. 47.* & per ab ipso dicta destruitur tota illius doctrina: ideo negat ipse, Christum meruisse Maternitatem Virginis, quia essentialiter repugnat, Virginis Maternitatem esse Christo posteriorem in ordine executionis; sed hoc est falsum: ergo ruit solutio. Probatur minor primo: ubi non est repugnantia, non est repugnantia essentialis; sed non repugnat, Maternitatem Virginis esse Christo posteriorem in ordine executionis: ergo nec essentialiter repugnat. Maior, & consequentia tenent. Minor autem constat ex dictis *num. 44.* & etiam patet ex eo, quod non implicat, Christum à Deo immediatè produci, vel mediante altera feminæ, ut fatetur ipse *num. 54.* Probatur secundò dicta minor: ubi solum est repugnantia ex suppositione, non est essentialis repugnantia; sed Maternitatem

§4
Tertio.

Prob. con-
seq. 1.

§5
Secundò.

Tertio.

§6
Quarto.

§7
Impugn. 4.

§8
Impugn. 3.
Solutio po-
sita n. 47.

Virginis esse Christo posteriorem in ordine executionis, repugnat solum ex suppositione: ergo non repugnat essentialiter. Probat minor: solum repugnat ex suppositione; quod hæc numero humanitas sit mediante Virginis concursu, ut fateatur Ill. Godoy num. 45. atqui hæc est repugnantia solum ex suppositione: ergo Maternitatem Virginis esse Christo posteriorem in ordine executionis, repugnat solum ex suppositione.

§. IV.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy.

Ill. Godoy num. 26. arguit primò contra nostram conclusionem: non minor repugnàtia est in eo, quod principium mediatum meriti cadat sub merito actus, cuius est principium, quam principium immediatum; sed Beatissima Virgo fuit mediatum principium meritorum Christi Domini, quatenus fuit principium humanitatis, quæ fuit illorum immediatum principium: ergo sicut hæc non potuit sub meritis Christi cadere: ita nec Beatissima Virgo, ut fuit principium mediatum, potuit sub eiusdem meritis cadere.

Respondeo primò distinguendo maiorem: non minor repugnàtia est in eo, quod principium mediatum morale meriti cadat sub merito actus, cuius est principium, quam principium immediatum, omisso maiore; principium mediatum physicum, subdistinguo: per se, vel essentialiter exactum, concedo maiorem; per accidens requisitum, nego maiorem; distinguoque minorem: Beatissima Virgo fuit mediatum principium morale meritorum Christi Domini, nego minorem; physicum subdistinguo: per se, & essentialiter exactum ad Incarnationem, & eius merita, nego minorem; per accidens requisitum, concedo minorem, & nego consequentiam. Hæc solutio amplius declarabitur replica, & solutione sequenti.

Dices: quod est principium de facto alicuius rei, etiam si per accidens sit, quod de facto sit tale principium, ut quod Beatissima Virgo sit Mater Christi, nequit simul esse effectus eiusdem rei; sed Beatissima Virgo est de facto principium Incarnationis, & meritorum Christi: ergo nequit esse effectus Incarnationis, nec meritorum

Christi: ergo nequit Christus Maternitatem Virginis mereri. Respondeo distinguendo maiorem: nequit esse effectus eiusdem rei in eodem genere, concedo maiorem; in diverso genere, nego maiorem; distinguoque minorem: Beatissima Virgo est de facto principium physicum Incarnationis, & meritorum Christi, concedo minorem; principium morale, nego minorem, & distinguo consequens: ergo nequit esse effectus physicus Incarnationis, nec meritorum Christi, concedo consequentiam; effectus moralis, nego consequentiam.

Itaque, licet principium physicum alterius rei nequeat esse effectus moralis; hæc enim scilicet, *causa physica, & effectus moralis*, non opponuntur. Nec obest, quod physicum principium physicè antecedit, quia cum hoc componitur, quod moraliter subsequatur, præcipue, quando principium physicum per accidens se habet, ut diximus num. 44. & patet paritatibus de gratia Antiquorum P.P. existentia Virginis, & tubitantiæ prædestinati, quas retulimus num. 51. & 54. Cum ergo Beatissima Virgo sit solum principium physicum Incarnationis, & per accidens ad eam requisitum, potest sub merito Incarnationis cadere, & consequenter esse effectus moralis illius.

Contra hanc nostram solutionem replicat Ill. Godoy primo num. 45. ut enim confessum habemus tom. 1. in 3. Sent. disp. 13. quia gratia Antiquorum P.P. fuit de facto effectus Incarnationis in genere causæ meritoria, & moralis, non potuit esse principium merendi Incarnationis subitantiæ; & tamen non per se, sed per accidens fuit Incarnationis effectus; cum potuerit eadem numero gratia sine meritis Christi conferri: ergo si Beatissima Virgo fuit de facto principium Incarnationis, esto Incarnatio non per se, sed per accidens ab illa dependentiam habuerit, nec potuit esse Incarnationis effectus, nec præmium meritorum Christi.

Replicat secundò num. cit. nam Christum concipi ex Spiritu Sancto, & Virgine, fuit gratiolum comparative ad Christum: ergo si vè sit principium per se humanitatis, si vè non per se, sed per accidens, quod ipsum

Respondeo.

62

Declaratur solutio.

60

Respond. 1.

63

Replicat 1. Ill. Godoy.

61

Dices.

Replicat 2.

Tertio.

Virgo conceperit, non fuit ex meritis Christi. Tertio: nam estõ admittamus, hanc numero humanitatem nõ dependere per se à concursu Beatissimæ Virginis requisito, vt esset Mater, à quo in presenti abstinemus, eo tamen ipso, quod hæc numero humanitas Christi sit mediante Virginis concursu extrã causas constituenda, repugnat concursum istum in executione præcedere: ergo tiam hæc præcedentia repugnat meritis Christi; atqui non stat meritũ respectu præmij, respectu cuius tali merito repugnet præcedentia in ordine executionis: ergo non potuit Christus suis operibus mereri Natiuitatem ex Virginis & consequenter non meruit, nec potuit mereri Maternitatem Virginis.

64
Respondeo
ad 1. repli-
cam.

Respondeo ad primam impugnationem concessis præmissis, distinguendo consequens: ergo si Beatissima Virgo fuit de facto principium morale Incarnationis, non potuit esse Incarnationis effectus, concedo consequentiam, sed nego suppositum, scilicet, quod fuerit principium morale; si fuit principium phisicum sub distinguo: non potuit esse effectus phisicus Incarnationis, concedo consequentiam; effectus moralis nego consequentiam. Itaque notoria est, vt ex argumento conitat, disparitas inter gratiam Antiquorum P. P. & Beatissimã Virginem, respectu Incarnationis; nam gratia Patrum Antiquorum est effectus moralis Incarnationis, ideòque nequit esse principium morale illius, ne principium meriti sub merito cadat. At Beatissima Virgo fuit principium phisicum Incarnationis, non morale, vt cum Scoto diximus tom. 1. in 3. Sent. disp. 13. num. 15. Vnde potest esse effectus moralis Incarnationis ob dicta num. 60.

65
Ad 2. & 3.

Ad secundam impugnationem nego antecedens, de quo *infra* in solutione secundi argumenti. Ad tertiam distinguo antecedens: repugnat, humanitatem concursum Beatissimæ Virginis in executione præcedere, repugnantia ex suppositione, seu secundum quid, concedo antecedens; repugnantia absolute, & simpliciter, nego antecedens, & distinguo similiter consequens, & subsumptam, & nego consequentiam. Hoc enim est, quod replica tantum convincit, vt apparet ex ipsa; loquitur enim ex suppositio-

ne; quod hæc numero humanitas Christi sit mediante Virginis concursu extrã causas constituenda, quod est repugnantia ex suppositione, & secundum quid; nec aliud potest proferre Ill. Godoy; nam non repugnare absolute, & simpliciter, hanc numero Christi humanitatem posse esse absq; concursu Beatissimæ Virginis, vt apud omnes certissimum, concessum habet num. 54.

Respondeo secundo ad adumentum Ill. Godoy, ipsum retorquendo: non minor repugnantia est in eo, quod principium mediatum meriti cadat sub merito actus, cuius est principium, quam principium immediatum; sed B. Ioachin, & Ana fuerunt mediatum principium meritorum Christi Domini, quatenus fuerunt principium immediatum Beatissimæ Virginis, quæ fuit principium humanitatis, quæ fuit illorum immediatum principium: ergo sicut humanitas nõ potuit sub meritis Christi cadere, nec B. Virgo, vt fuit principium mediatum, ita, nec B. Ioachin, & Ana, vt fuerunt principium mediatum, potuerunt sub meritis Christi cadere, quod omninõ falsum videtur. Consequentia est æquè legitima, ac consequentia Ill. Godoy. Maior est ipsius. Minor patet ex illo communi axioma: *Quod est causa cause, est causa causati.*

Aliter formo retorsionem: non minor repugnantia est in eo, quod principium mediatum meriti cadat sub merito actus, cuius est principium, quam principium immediatum meriti: ergo non minor repugnantia est in eo, quod principium mediatum cadat sub merito actus, cuius est principium, quam principium immediatum principij mediati. Atqui Beat. Ioachin, & Ana fuerunt principium immediatum principij mediati meriti: ergo sicut Beatissima Virgo, vt fuit principium mediatum meriti, non potuit sub meritis Christi cadere, ita nec B. Ioachin, & Ana, vt fuerunt principium immediatum Virginis, potuerunt sub meritis Christi cadere, quod disonum videtur, & vsquẽ ad omnes Progenitores valet fieri progressus.

Omnia sunt vera, si vera est prima consequentia. Probat. itaque: ideò iuxta Ill. Godoy principium mediatum meriti nequit cadere sub me-

66
Respond. 2.
retorquẽdo
argum.

67
Aliter for-
matur re-
torsio.

68
Probat. 1.
consequen-
tia.

rito actus, cuius est principium, quia essentialiter repugnat, quod principium mediatum meriti sit posterius merito in ordine executionis; sed etiam essentialiter repugnat, quod principium immediatum principij mediati meriti sit posterius merito in ordine executionis: ergo non minor repugnantia est in eo, quod principium mediatum cadat sub merito actus, cuius est principium, quam principium immediatum principij mediati. Probatur minor: essentialiter repugnat, quod principium immediatum principij mediati meriti sit in ordine executionis posterius principio mediato meriti; sed essentialiter repugnat, quod principium mediatum meriti sit posterius merito in ordine executionis: ergo etiam essentialiter repugnat, quod principium immediatum principij mediati meriti sit posterius merito in ordine executionis. Maior patet; nam essentialiter repugnat, quod principium sit in ordine executionis posterius principiatio. Minor est Ill. Godoy, & ob eandem rationem claret. Consequentia est legitima. Ex hac itaque retorsione sic, vel sic efformata, evidentè colligitur iuxta opinionem Ill. Godoy: Christum non meruisse, quod Beatus Ioachin, & Ana essent Patres Beatissimæ Virginis, quod, Patres Antiquos meruisse, est commune Theologorum assertum; quia est circumstantia (licet antecedens Incarnationem) illius extrinseca.

Arguit secundò Ill. Godoy num. 36. nam iuxta D. Augustinum lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. lib. 13. de Trinit. cap. 17. serm. 9. in Math. serm. 8. de verbis Apostoli in Enchir. cap. 36. & cap. 40. lib. de prædest. Sanct. capit. 15. Vnio humanitatis ad Verbum omninò gratiosâ fuit respectu humanitatis Christi; at si Conceptio Christi ex Beatissima Virgine fuisset ex meritis eius prævisis, non fuisset gratiosâ omninò vniò humanitatis ad Verbū: ergo de facto non meruit Christus vionem suæ humanitatis ad Verbum.

Quod ampliùs explicat num. 37. ex verbis Augustini de Prædestin. Sanct. cit. vbi relatis omnibus, quæ in Christi generatione evenerunt, & inter alia, quod de Spiritu Sancto, & Virgine natus sit, ita habet: *Nempè, ista omnia singularitèr admiranda, & alia si quæ eius propria verissimè dici possunt*

singularitèr in illo accepit humana, idest, nostra natura, nullis eius præcedentibus meritis. Et propè finem cap. ita concludit: Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis eius membris præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat, neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, ut alicuius ab omni obligatione peccati de Spiritu, & Virgine nasceretur. Hæc Augustinus: ex quibus apertissimè constat, sensisse: Conceptionem Christi ex Virgine omninò gratiosam fuisse; ac proindè non ex meritis Christi.

Patet consequentia primò: nam de ista Conceptione asserit Augustinus, non retributam, sed tributam fuisse; at si fuisset præmium meritorū Christi, fuisset retributa Conceptio, & non tributa; sicut quia gratia Antiquorum P.P. est præmium meritorū Christi, ut prævisi, non dicitur tributa, sed retributa comparative ad Christum: ergo iuxta August. Nativitas Christi ex Virgine non fuit ex meritis Christi prævisi. Secundò: nā exemplo huiuscemodi Conceptionis probat Augustinus, primam gratiam omninò gratis donari; at prima gratia in nobis, non solum non est ex meritis præcedentibus, sed nec etiam est ex meritis subsequētib; in Dei prævisione existentibus: ergo Nativitas Christi, ex Virgine, non solum fuit gratiosâ per exclusionem meritorum antecedentium, sed etiam per exclusionem meritorum Christi, ut prævisi.

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: vniò humanitatis ad Verbum quoad substantiam omninò gratiosâ fuit respectu humanitatis Christi, concedo maiore; vniò humanitatis ad Verbum quoad circumstantias omnes, nego maiore; distinguoque minorem: si Conceptio Christi ex Beatissima Virgine fuisset ex meritis eius prævisi, non fuisset gratiosâ omninò vniò humanitatis ad Verbum quoad substantiam, & omnes circumstantias, concedo minorem; quoad substantiam nego minore, & distinguo similiter consequens. Ad confirmationem similiter respondeo: August. velle: Conceptionem Christi ex Virgine quoad substantiam Conceptionis omninò gratiosam fuisse; non verò Conceptionem Christi

71
Patet con-
seq. I.

Secundò.

72
Respondeo
ad argum.

69

Arguit. 2.
Ill. Godoy.

70

Explicat.

ex Virgine, vt ex Virgine, seu quoad Virginis circumstantiam. Ex quo ad primam consequentiæ probationem distinguo syllogismum distinctione data. Ad secundam concessis præmissis, distinguo similiter consequens. Solutio patet ex dictis num. 38. & 39.

73
Retorq. 1.
contra Ill.
Godoy.

Et quod hæc sit vera mens Augustini, constabit sequentibus contra Ill. Godoy retorsionibus. Prima est: nam August. cit. ab Ill. God. in *Enchirid. cap. 36.* solum intendit, quod humanitas Christi pro priori ad vnionem cum Verbo non meruisset talem vnionem; hæc enim sunt verba illius: *Quæ bona opera præcesserunt, quibus meretur iste homo, vt vna fieret persona cum Deo?* Et ratio ab Augustino tradita est: quia nulla opera cognoscuntur in humanitate ante vnionem; nam omnia vocat (quod idem faciunt omnes Patres) Theandrica, & Dei virilia, scilicet, Dei, & hominis: ergo August. ibi cit. nec loquitur de Incarnatione, nec de eius circumstantijs: ergo non est ad rem adductus.

74
Retorq. 2.

Retorqueo secundo: August. de Prædestinat. Sanct. cit. loquitur de omnibus, quæ in Christi generatione euenerunt, vt constat ex eius verbis, & fatetur Ill. Godoy: ergo iuxta Augustinum Christus non solum non meruit, ex Virgine nasci, verum nec cætera, quæ in Christi generatione euenerunt: ergo nullam Incarnationis circumstantiam meruit Christus. Atqui hoc est contra communem Theologorum consensum, & contra ipsū num. 186. & sequentibus: ergo respondere tenerur ad obiectionem.

75
Retorq. 3.

Retorqueo tertio: nam, vt ait Ill. Godoy in secunda consequentiæ probatione, August. exemplo huiusmodi Conceptionis probat, primam gratiam omnino gratis donari: ergo in tantum hoc probat, in quantum Incarnatio, vel Christi Conceptio, est prima Christi gratia. Consequentia patet; alioquin non esset exemplum. Atqui Incarnatio quoad substantiam, & non quoad circumstantias, est prima Christi gratia, vt est manifestum: ergo loquitur Augustinus de Conceptione Christi quoad substantiam: ergo non sunt ad rem Authoritates Augustini ab Ill. Godoy adductæ. Imo hoc roboratur ex Augustino de dono perseverantiae cap. 15. dicente: *Eadem gratia fit ab initio fidei sua homo*

quicumque Christianus, qua gratia homo ab initio ille factus est Christus, in quibus verbis manifestè ostendit, quod homo sit Christianus absque meritis, & Christus absque meritis est Christus, quod est loqui de Incarnatione quoad substantiam, quæ est exemplum ab Augustino assumptum, ad probandum, primam gratiam omnino gratis donari.

Nec obest, quod Augustinus in confirmatione cit. referat, Christum de Spiritu, & Virgine nasci, quia hoc non tollit, vt de Incarnatione quoad substantiam loquatur, & non quoad circumstantiam Maternitatis, vt claret ex ipso lib. de Corrupt. & gratia cap. 11. dicente: *Nec enim quisquam tanta rei huius, & fidei cæcus est ignorantia, vt audeat dicere, quamvis de Spiritu Sancto, & Virgine Maria, filium hominis natum; liberum tamen arbitrum benè vivendo, & sine peccato bona opera faciendo, meruisse, vt esset Dei filius, per quæ verba August. probatur: Christum non posse mereri substantiam Incarnationis adhuc per opera Incarnationem subsequentia. Sic ergo loquitur Aug. ab Ill. Godoy cit. & hoc est, quod Doctor duntaxat intendit, quin de merito Christi circa Maternitatem Beatissimæ Virginis aliquando loquatur Augustinus.*

s. V.

De gratia habituli, & virtutibus consequentibus ipsam.

Tertia conclusio: Non meruit Christus de facto gratiam habitualement, nec dona ipsam consequentia. Hæc conclusio est inter Theologos communis, cum quibus illam amplectitur Ill. Godoy num. 65. & vsque ad num. 117. defendit, & propugnat. Hanc conclusionem, vt veriore recipimus, illamque tenet Rada *controvers. 12. art. 3. conclus. 7. Mastrius in 3. disp. 3. quest. 11. num. 429. Felix de Incarnat. cap. 14. difficult. 4.* Et alij plures.

Probatur primo: omnis actus in Christo meritorius fuit de facto posterior infusione gratiæ: ergo non meruit Christus de facto gratiam habitualement, & consequenter nec dona ipsam consequentia. Probatur antecedens: gratia habitualis, tam in Christo, quam in nobis, est principium meriti de potentia ordinaria: ergo omnis actus in Christo meritorius fuit de

76
Confirmat.
ex August.

77
3. conclusio.

78
Probat. 1.

facto posterior infusione gratiæ. Antecedens est certum, & consequentia legitima, quia principium est prius principiatio.

79
Probatur 2

Probatur secundò: ordo naturalis exigit, ut potentiæ prius constituantur in actu primò, quam operentur; sed Deus de facto temper servat ordinem, quem exigunt res ex natura sua: ergo etiam in Christo hunc ordinem servavit Deus. Atqui gratia habitualis, cæterique habitus, constituunt potentias in actu primò: ergo prius sunt habitus, quam operationes: ergo non cadunt sub merito de facto: ergo de facto non meruit Christus gratiam habitualem, nec dona, ipsam consequentia. Probatur tertio: gratia habitualis non est de facto Christo infusa, quia operatus est, sed ut operetur: ergo prius infunditur gratia, quam sit operatio: ergo non cadit sub operatione: ergo nec sub merito.

Probatur 3.

80
Potuit Christus de potentia Dei mereri gratiam habitualem.

Cæterum, licet res de facto ita se habeant, potuit Christus de potentia Dei mereri gratiam habitualem. Hoc fateretur etiam Ill. Godoy numer. 113. Cuius ratio est: nam potuit Christus pro aliqua prioritate naturæ ad infusionem gratiæ habitualis elicere actum amoris ex gratia actuali Dei; sed potuit Christus pro illo priori esse sufficienter sanctificatus, & Deo acceptus: ergo potuit Christus per talem actum mereri gratiam habitualem. Maior patet: quia nulla est in eo repugnantia. Minor probatur: pro illo priori erat Christus; sed potuit Deus disponere, quod unio hypostatica esset forma sanctificans; cum in nostra, & Scoti opinione gratia non est talis forma ex natura rei: ergo potuit Christus pro illo priori esse sufficienter sanctificatus, & Deo acceptus.

81
Obicies.

Sed statim insurgit obiectio contra à nobis dicta, quæ sub hac forma proponitur: quod est possibile, & cedit in excellentiam Christi, est Christo de facto concedendum; sed possibile est, Christum mereri gratiam habitualem, cæteraque dona, ipsam subsequenter: ergo de facto est Christo concedendum. Consequentia est legitima, & contra nostram conclusionem. Minor pro prima parte est à nobis concessa, & pro secunda indubitata. Maior est doctrina, quam num. 3. probavimus: Christum de facto me-

ruisse continuationem suæ unionis, eamque contra Ill. Godoy latè propugnauimus vsque ad num. 37.

Respondeo distinguendo maiorem: quod est possibile, & cedit in excellentiam Christi, sine inversione ordinis rerum, est de facto Christo concedendum, concedo maiorem; cum inversione ordinis rerum, nego maiorem; distinguoque minorem: possibile est cum inversione ordinis rerum, Christum mereri gratiam habitualem, cæteraque dona, ipsam subsequenter, concedo minorem; sine tali inversione, nego minorem, & consequentiã. Itaque, ut Christus de facto mereatur continuationem suæ unionis, necessarium non est, quod ordo rerum invertatur, & hac ratione diximus num. 13. Christum de facto meruisse prædictam continuationem; aut, ut Christus de facto mereretur gratiam habitualem, cæteraque dona, ipsam subsequenter, necessarium est, ut ordo rerum invertatur, ut claret ex dictis numer. 78. & 79. in quo stat disparitas.

Obicies iterum: purus homo nequit de potentia Dei mereri de condigno primam gratiam sanctificantem: ergo nec Christus. Probatur contra: ideo purus homo nequit de potentia Dei mereri de condigno primam gratiam sanctificantem, quia prima gratia est in nobis principium meriti; sed etiam in Christo est principium meriti: ergo si purus homo nequit de potentia Dei mereri de condigno primam gratiam sanctificantem, nec Christus potest illam mereri. Respondeo concessio antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem, distinguo maiorem: quia prima gratia est in nobis principium meriti sine alia in nobis priori dignitate, concedo maiorem; cum illa nego maiorem; & distinguo minorem: sed etiam in Christo est principium meriti cum dignitate priori, scilicet, unione hypostatica, concedo minorem; sine illa nego minorem, & consequentiã. Unde disparitas est, quod in puro homine non invenitur alia dignitas ex parte operantis ante primam gratiam; in Christo autem invenitur dignitas unionis hypostaticæ, quæ potuit de potentia Dei absoluta humanitatem Christi sanctificare, ut diximus

num. 80.

82
Respondeo.

83
Obicies iterum.

Respondeo.

§. VI.

*De Gloria Anima, & Corporis,
nominisque exaltatione.*

Quarta conclusio: *Potuit Christus de potentia absoluta beatitudinem Animæ habitā ab initio Conceptionis de condigno mereri. Illam tamen de facto non meruit.* Sic Scotus in 3. dist. 18. §. Hoc visso: in quo litigium cum Ill. Godoy non habemus; Hanc enim conclusionem statuit pro prima parte num. 119. & pro secunda numer. 134. ubi optimè in suis principijs vtrumque probat, & in nostris Magistris in 3. disp. 3. quest. 11. art. 1. in quo vtrumque relinquo videndum, & ex dictis §. præcedenti de gratia habituali satis colligitur.

Quinta conclusio: *Meruit Christus gloriam corporis, & sui nominis exaltationem.* Hæc conclusio est communis in vtraque Schola, eamque statuit Ill. Godoy numer. 160. & per sequentia probat egregiè; quare in hoc amplius immorandum non licet. Cæterum aliqualis est difficultas de modo merendi gloriam corporis, an, scilicet, eam Christus directè meruerit, an potius indirectè? Et licet tantum sit de nomine, & modo loquendi quæstio, examinanda est, ne aliquid ex adductis ab Ill. Godoy sine examine relinquamus.

Sed ante resolutionem notandum est: quod mereri directè, immediatè, & primario, est, quando aliquis per suos actus meretur aliquid, quod sibi facit debitum, quod aliàs non erat debitum, & hoc est propriè mereri. Mereri autem indirectè, mediatè, vel secundario, est, quando aliquis per suos actus meretur aliquid, quod aliàs erat sibi debitum; illud tamen facit magis sibi debitum, quod non est ita propriè mereri, ac mereri, quod aliàs erat indebitum. Hoc notato sit.

Sexta conclusio: *Christus meruit tantum indirectè, mediatè, & secundario gloriam sui corporis.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy num. 174. & sequentibus; illam tamen habet Scotus in 3. dist. 18. §. Hoc visso. &. Potest dici, ubi docet: Christum indirectè tantū, & mediatè gloriam sui corporis meruisse, quia meruit, auferri impedimentum, quo gloria animæ Christi detinebatur, ne flueret, seu redundaret in corpus. Scotum secuntur tam

veteres, quàm Recentiores discipuli.

Hanc conclusionem docuit (texte Suario disput. 40.) D. Cyrillus Alexandrinus, (qui floruit ad annum 430.) lib. 3. *Thesauri cap. 3.* ubi explicans illa verba Apostoli: *Propter quod & Deus &c.* ait: *Non ergo ad meliorem mutatus est, sed gloria, & exaltatio, quæ post Incarnationē sibi donatur, nihil aliud est, quam dedecoris, vt ita dicam, destructio, quod dedecus propter humiliationem usque ad assumendam carnem, & formam serui, quamvis carnis, & serui propriū, in ipsum tamen propter Incarnationem redundare videbatur, præsertim, quoniā homo solum, & non Deus putabatur; hæc Cyrillus, quibus verbis significat, ideo Christum per passionem suam meruisse gloriam sui corporis, quatenus meruit auferri impedimentum, ne gloria animæ redundaret in corpus, vt ei connaturalitè debebatur.*

Probat primò conclusio ex Scoto citat. illud, quod inuisset subiecto sine aliqua illius actione, nisi impedimentum adesset, non cadit sub merito talis subiecti; sed gloria corporis inuisset Christo ab initio sine aliqua illius actione, nisi impedimentum adesset: ergo non cadit sub meritis Christi Domini, & consequenter non meruit directè gloriam sui corporis.

Ad hanc rationem, quam sub hac forma proponit Ill. Godoy num. 179. respondet num. 180. negando maiorem, quam licet ipse probet, & ad probationē respondeat cum distinctione horum terminorum: *phiscè, & moralitè*, qua doctrina vtitur ad salvandum quandam replicam, & quasdam confirmationes, quas ibi contra se format: nos verò illa probatione relicta, vt doctrina Ill. Godoy præclusa maneat, & maiorem negare nequeat, alitèr, & ad genuinum Scoti sensum conformitèr, probationem formo.

Illud, quod inuisset subiecto sine aliqua illius actione, siuè phisca, siuè morali, nisi impedimentum adesset, non cadit sub merito talis subiecti; sed gloria corporis inuisset Christo ab initio sine aliqua illius actione, siuè phisca, siuè morali, nisi impedimentum adesset: ergo non cadit sub merito Christi Domini, & consequenter non meruit directè gloriam sui corporis. Maior plusquam cetta, est evidens. Primò: quia repugnat subiectū

88

84

4. conclusio

85

5. conclusio

86

NOTA.

87

6. conclusio

89

Probat. 1.
conclusio.

90

Responso
Ill. Godoy.

91

Alitèr for-
matur pro-
batio.Maior pa-
tet 1.

Secundò.

mereri sine aliqua actione, siue phisica, siue morali. Secundo, & est ratio ab opposito: illud, quod non inuisisset subiecto sine aliqua illius actione, siue phisica, siue morali, potest cadere sub merito illius subiecti: ergo pariter ab opposito. Tertio ad hominem contra Ill. Godoy: nam idèò Christus non mereretur gloriam corporis, si illi inuisisset à primo Conceptionis instanti, quia illi conueniret sine aliqua illius actione, siue phisica, siue morali, vt fateretur ipse *num. 185.* vera igitur, & verissima est maior, quã negabat Ill. God.

92
Probat. 2.
conclusio.

Probaturs secundò conclusio: quãdo duæ perfectiones ita se habent, vt vna dependeat intrinsicè ab alia, & ab ea naturalitèr dimanet, non dicitur secunda mereri directè, nisi prius mereatur prima; sed gloria corporis per se, & intrinsicè dependet à gloria animæ Christi, ab eaque naturalitèr dimanaret, si impedimentum non esset: ergo cum gloriam animæ Christus non meruisset, vt fateretur Ill. Godoy *num. 134.* & nos diximus *num. 84.* nec gloriã corporis meruit directè. Probaturs maior: quando duæ perfectiones ita se habent, vt vna nec dependeat intrinsicè ab alia, nec ab ea naturalitèr dimanet, et si vna sit posterior alia, potest secunda directè mereri, quin prius mereatur prima: ergo ab opposito: quando duæ perfectiones ita se habent, vt vna dependeat intrinsicè ab alia, & ab ea naturalitèr dimanet, non dicitur secunda mereri directè, nisi prius mereatur prima.

93
Probat. 3.

Probaturs tertio conclusio: dispositum est à Deo per legem generalè, quod gloria animæ beatæ naturali quasi sequela communicetur corpori sibi vnito: ergo cum anima Christi Domini ab instanti Conceptionis fuerit perfectè beata, ex tunc debuit gloria diffluere in eius corpus: ergo ex tunc communicata esset corpori, nisi esset impedimentum, nempe, decretum, quo Deus statuit, ne gloria corpori communicaretur: ergo vt hæc gloria corpori communicetur, quod directè debet peti, & promereri, est, vt amoveatur illud impedimentum, seu decretum, quo Deus statuit, non concurrere ad communicandã gloriam animæ corpori: ergo cum Christus hoc meruisset, meruit directè amotionem impedimenti, & gloriam corporis indirectè.

Probaturs quarto conclusio, & dicta confirmantur clarissimis exemplis, quorum primum est: nam si ad remotionem vinculorum debita esset libertas, qui tolleret directè vincula, daret indirectè libertatem; atqui ad remotionem impedimenti, nempe, decreti supradicti, debita est communicatio gloriæ animæ in corpus: ergo qui tollit directè impedimentum, meretur indirectè gloriam corporis. Alitèr formatur hæc ratio: si ad remotionem vinculorum debita esset libertas, intendens libertatem, debet directè agere circa remotionem vinculorum; sed ad remotionem impedimenti debita est communicatio gloriæ animæ in corpus: ergo intendens gloriam corporis, debet directè agere circa remotionem impedimenti: ergo hanc meruit Christus directè; gloriam autem corporis indirectè.

Secundum exemplum est in igne impedito, ne sursum ascendat, quod sub hac forma proponitur: quia ad remotionem impedimenti, ne ignis sursum ascendat, sequitur necessario, quod ignis sursum ascendat, intendens ignem sursum ascendere, debet directè, & immediatè agere circa remotionem impedimenti; atqui ad remotionem impedimenti, ne gloria animæ redundet in corpus, sequitur necessario, quod gloria animæ in corpus redundet: ergo intendens, gloriã animæ in corpus redundare, debet directè, & immediatè agere circa remotionem impedimenti: ergo hanc, & non gloriam corporis, meruit Christus directè, & immediatè.

Probaturs quinto conclusio: Christus Dominus merendo gloriam sui corporis, meruit, quod sibi aliàs erat debitum: ergo non meruit gloriam sui corporis directè, primario, & immediatè. Antecedens est certum, cõmunitèrque admissum, & constat ex dictis *num. 92.* & *93.* Consequentia probatur: mereri aliquid directè, immediatè, & primario, est mereri, quod aliàs non est debitum; sed Christus Dominus merendo gloriam sui corporis, meruit, quod sibi aliàs erat debitum: ergo non meruit gloriam sui corporis directè, primario, & immediatè. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior autem ex dictis *num. 86.* est manifesta.

Deniquè probatur conclusio: sup.

94
Probat. 4.
& firman-
tur dicta
exemplis.

1. Exemplũ

95
2. Exemplũ

96
Probat. 5.
conclusio.

97

*Probatum
denique.*

posita lege generali, qua Deus statuit, gloriam animæ beatæ in corpus sibi coniunctum redundare, ut non redundet, necessarium est novum decretum impeditivum: ergo stante hoc decreto, meritum gloriæ corporis non debet terminari directè ad ipsam gloriam. Antecedens est certum, & conceditur ab Ill. Godoy *num.* 184. Probatum consequentia: meritum gloriæ corporis non debet terminari ad hoc, ut Deus decernat, gloriam animæ communicari corpori: ergo stante decreto impeditivo, meritum gloriæ corporis non debet terminari directè ad ipsam gloriam. Consequentia patet; nam ut meritum gloriæ corporis terminetur directè ad ipsam gloriam, debet terminari ad decretum de gloria animæ communicanda corpori. Antecedens verò probatur: meritum non debet terminari ad decretum, quod supponitur; sed decretum de gloria animæ communicanda corpori supponitur per legem generalē: ergo meritum gloriæ corporis non debet terminari ad hoc, ut Deus decernat, gloriam animæ communicari corpori.

§. VII.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy.

98
Arguit. 1.

Arguit primò Ill. God. *num.* 174. contra nostram sextam conclusionem: quia nullum fuit positivum impedimentum, ex quo proveniret, ut gloria animæ non redundaret in corpus. Tum; quia explicari non potest, quod sit illud positivè impediens redundantiam istam, nec id explicant Scoti discipuli aientes: esse miraculū, nam miraculosum fuisse, à nemine dubitatur; sed miraculum potest sine impedimento positivo subsistere. Tum etiam; quia tale impedimentum positivum ad eum finem necessariū non erat; sed potuit Deus redundantiam illam sola suspensione concursus impedire, sicut sola sui concursus suspensione impeditur, ne ignis in fornace Babilonis combureret pueros, & illa sola potest cuiusvis passionis ab essentia dimanationem impedire: ergo sola sui concursus suspensione impeditur Deus redundantiam gloriæ ex anima in corpus Christi; sed suspensio concursus, per concursus exhibitionem tollitur: ergo mereri ablationem impedimenti, idem

est, quod mereri ipsum Divinum concursum, ut gloria animæ redundet in corpus; mereri autem Dei concursum est mereri gloriam corporis: ergo Christus *directè* merens remotionem impedimenti *directè* gloriam corporis meruit.

Respondeo: quod impedimentum, ex quo provenit, ut gloria animæ non redundaret in corpus, fuit decretum Dei, impeditivum talis redundantiam, vel exceptivum Christi ab illa lege generali, qua Deus statuerat, gloriam animæ beatæ in corpus sibi coniunctum redundare, cuius simile fuit decretum impeditivum peccati originalis in Beatissima Virgine, vel exceptivum gloriosissimæ Virginis ab illa lege generali, qua statuerat Deus, omnes in Adam peccare. Ex quo patet, quodnam sit impedimentum ab Scotistis declaratum; non enim fuit possibilitas corporis, vel aliquid aliud se tenens ex parte corporis; sed prædictum decretum Divinum, quod si cut fuit positivum, potest dici positivum impedimentum, quin contra hoc aliquid valeat dicere Ill. Godoy, imò hoc ipsum fatetur *num.* 177.

Vndè ad argumentum in forma, ut ab Ill. Godoy proponitur, omitto antecedens, & concedo consequentiam. Concedo minorem, & distinguo consequens: ergo mereri ablationem impedimenti, idem est, quod mereri ipsum Divinum concursum directè, vel indirectè, concedo consequentiam; directè præcisè, nego consequentiam; concedo minorem imbibitam, & nego ultimam consequentiam. Cuius ratio sumitur ex dictis: nam cum concursus, ut gloria animæ redundaret in corpus, debitus esset Christo ob decretum generale, quod supponebatur; meritum Christi non terminabatur directè, nec terminari potuit ad concursum ex dictis *num.* 86. & 96. nec ad decretum de gloria animæ in corpus redundanda ex dictis *num.* 97. quia generalitèr verum est, quod non meretur directè, quod aliàs est debitum.

Arguit secundò *num.* 175. nam dato, adfuisse impedimentum aliquod positivum, non sequitur meruisse Christum gloriam corporis *indirectè*: ergo ruit Scoti doctrina. Probat antecedens: nam id quis *directè* meretur, quod primò cadit in merentis, &

99
Respondeo.

100
*Respondeo
in forma.*

101
Arguit. 2.

præmiantis intentione; sed estò ad-
fuitè positivum impedimentum,
cuius remotio in executione præce-
deret, intentio tamen Christi meren-
tis per se primo ad gloriam corporis
erat directà, & intentio Dei præmian-
tis, & ex hoc sine merito Christi re-
motionem impedimenti attingebat:
ergo adhuc tali impedimento admis-
so, non sequitur *indirectè* Christum
sui corporis gloriam meruisse.

102
Respondeo.

Respondeo negando antecedens,
ad cuius probationem nego minore;
quia intentio Christi merentis, & Dei
præmiantis per se primo est directà
ad id, quod directè, seu per se primo
meretur, & habet rationem præmij;
hoc autem non est gloria corporis,
sed ablatio, vel remotio impedimen-
ti, ut clarissimè apparet ex nostris pro-
bationibus, & clarissimis exemplis of-
tensum manet.

103
Arguit. 3.

Arguit tertio *num. citat.* vel meri-
tum Christi attingit sua causalitate
gloriam sui corporis, vel adequatè
utitur in remotioe impedimenti; si
primum: ergo quamvis fuerit in exe-
cutione posterior, poterit in intentio-
ne præcedere; & consequenter esse
præmium *directè* a Christo promeri-
tum; si secundum; non salvantur tes-
timonia Scripturæ allentia: Chris-
tum suam gloriam meruisse, quod de
gloria corporis communis P. P. &
Scholasticorum contentus accepit.

104
Respondeo.

Respondeo: meritum Christi adæ-
quatè stare in remotioe impedimen-
ti *directè*, & nego probationem. Pri-
mo: quia Scriptura, & Patres solum
dicunt: Christum meruisse gloriam
sui corporis, sive *directè*, sive *indirectè*;
quod autem *directè* illam meruerit
ad modum, quo *num. 86.* diximus,
nec Patres dixerunt, nec Scriptura
testatur. Cum ergo nos cum Scoto
dicamus: Christum meruisse *indirectè*
gloriam corporis ad modum, quo
num. citat. diximus, cum Scriptura, &
Patribus convenimus. Secundo: quia
pro nostra opinione stat D. Cyrillus
adductus *num. 88.* & valde durum est,
opinionem Scoti censurare (quod &
si fecisset Suarez, non fecit Ill. Godoy,
rem melius considerans) cum dignis-
simam sententiam sit, censurare opinio-
nem ita probabilem, à tot gravissi-
mis Authoribus propugnatam, & à
D. Cyrillo doctam.

105

Arguit quartò Ill. Godoy *num.*

176. nam verba Scripturæ attribuen-
tia Christo meritum gloriæ sui cor-
poris, sunt in rigore, & proprietate
accipienda; cum ex eo nullum absur-
dum sequatur, & P. P. ac Theologi
vniformi consensu illa in sermonis
proprietate vsurpaverint; sed mereri
impedimenti amotionem, qua possi-
ta, gloria corporis consequitur, non
est cum proprietate gloriæ corporis
mereri: ergo non solum meruit re-
motionem impedimenti *directè*, sed
& ipsam gloriam corporis. Probat
minorem primo: nam tollens *phiscè*
impedimentum, v. g. quo lapis deti-
netur, ne descendat in centrum, non
dicitur propriè motum lapidis des-
cendentis causare: ergo pariter: me-
rens, seu moralitèr causans remotio-
nem impedimenti, quo impeditur
gloria corporis, non dicitur propriè
merens, aut moralitèr causans glo-
riam. Secundo: nam causa *per acci-
dens* non dicitur propriè causans; sed
merens remotioe impedimenti,
& non gloriam *directè*, solum per ac-
cidens dicitur causare gloriam: ergo
non propriè illam meretur, aut cau-
sat moralitèr.

Arguit. 4.
Ill. Godoy.

201

202

106
Respondeo.

Respondeo negando maiorem,
vel claritatis gratia, ipsam distinguen-
do: verba Scripturæ attribuentia
Christo meritum gloriæ sui corporis
sunt in rigore, & proprietate acci-
pienda, pro merito *indirectè*, concedo
maiorem; pro merito *directè*, nego
maiorem; distinguoque minorem:
non est cum proprietate meriti *directè*
gloriam corporis mereri, concedo
minorem; meriti *indirectè*, nego mi-
norem, & consequentiam. Hacque
distingtione vtranque probationem
maioris imbibitam distingo, & ra-
tionem solutionis ostendo.

107
Ratio solu-
tionis.

Licet enim nullum absurdum se-
quatur ex eo, quod Christus meruerit
indirectè gloriam sui corporis; ab-
surdum tamen, & magnum sequitur
ex eo, quod illam *directè* meruerit,
prout idem est, ac mereri, quod sibi
debitum non erat, cum hoc sit con-
tra decretum Dei generale de gloria
animæ in corpus redundanda, ratio-
ne cuius gloria corporis fuit debita
Christo ex primo suæ Conceptionis
instanti, ut P. P. ac Theologi vniformi
consensu proclamant; ideo P. P.
& Theologi ab hoc discedere ne-
queant. Cum ergo non possit Chris-

tus gloriam sui corporis in hoc sensu mereri, Scotus nec ab Scriptura, nec à P. P. nec à Theologis discedit, sed meritum, ab illis non explicatum, explicuit, dicendo: Christum meruisse indirectè gloriam sui corporis, quatenus illud, quod erat aliàs sibi debitum, fecit magis sibi debitum, quin contra hunc dicendi modum valeat aliquis Theologus in Scotum insurgere, vt est per se notum.

Arguitur denique pro Ill. Godoy ad hominem contra nos: idèò Christus non meruit directè gloriam sui corporis, quia erat illi debita; sed hoc non obest, vt illam directè mereatur: ergo illam meruit directè. Probatur minor: continuatio vnionis hypostaticæ est debita Christo; sed hoc non obest, vt illam Christus directè mereatur iuxta à nobis dicta §. 1. per totum: ergo quod gloria corporis sit debita Christo, non obest, vt illam directè mereatur. Respondeo primò negando minorem: ad cuius probationem distinguo maiorem: debito congruentiæ, concedo maiorem; debito infallibilitatis, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam; quia gloria corporis est debita Christo debito infallibilitatis. Respondeo secundò aliter distinguendo maiorem: est debita Christo, debito subsequente primam operationem Christi, concedo maiorem; debito antecedente omnem Christi operationem, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam; quia gloria corporis est debita Christo, de-

bito precedente omnem Christi operationem, quæ est ratio, cur nequit sub merito Christi cadere.

Itaque certum est, quod tam continuatio vnionis, quam corporis gloria, est Christo debita; cæterum etiam certum est, quod est duplex disparitas. Prima est: quod continuatio vnionis est debita debito congruentiæ; non verò debito infallibilitatis, quomodo debita est corpori gloria. Secunda: nam quando continuatio vnionis esset debita, debito infallibilitatis, est debita debito subsequente primam Christi operationem, vt est communiter certum, & diximus num. 2. At gloria est corpori debita, debito infallibilitatis, precedente omnem Christi operationem iuxta omnes, & constat ex dictis §. antecedenti. Vnde licet continuatio cadat sub merito; gloria tamen corporis nequid directè mereri.

Aliqua corollaria proponit Ill. Godoy à num. 186. vsquè ad finem disputationis, quæ omitto, vt potè, parvè difficultatis, & quia in illis cum ipso convenio; & etiam apud plures Scotistas vera sunt, vt tradit Mastrius in 3. disput. 3. quest. 11. num. 421. in fine. Et Delgadillo de Incarnatione, cap. 9. dub. 13. licet alij oppositum sentiant, vt Faber in 3. dist. 18. quest. vnica, disp. 44. num. 67. in fine. Et Felix de Incarnatione, cap. 14. difficult. 4. in fine. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri, vbi disput. precedens.

(§)

Hæc etiam de isto tractatu dicta sufficiant; de his enim quæ Christus nobis, & Angelis meruit, de quibus videbatur agendum, vt Tractatus de Merito Christi vndiquè completus maneret, agentes de Prædestinatione Christi tractabimus, vbi se refert Ill. Godoy.

108

Arguitur
pro Ill. Godoy.

Respond. 1.

Secundò.

109

Explicatur
Solutio.

110

TRACTATUS TERTIUS DECIMUS.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA SECUNDA.

Quæ forma præstet formalitèr esse Filium Dei Adoptivum, vel possit hunc effectum præstare?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententia.

Num. 1

HAnc disputationem in tractatus limine idcirco præmitimus (ait Ill. Godoy) quia ex illius resolutione pendet plura, quæ in præsentì quæstione docet Angelicus Doctor; nosque hanc disputationem in tractatus limine idcirco præmitimus, non quia ex eius resolutione pendent plurima, quæ in hac *disput.* docet Subtilis Doctor, sed quia eam disputandam hic Ill. Godoy proponit; aliter enim nihil de ea in præsentì investigarem; quia cum hæc difficultas eadè omnino sit eam illa: *Quæ sit forma formalitèr sanctificans, & hæc pertineat ad tractatum de Iustificatione, ibi de hac difficultate, ab Ill. Godoy proposita, Doctores disputant. Pro illius tamen decisione.*

2
Adoptionis definitio, eiusque conditiones explicantur.

Suppono primò: quod adoptio humana sic definitur: *Adoptio est gratuita assumptio ad hereditatem personæ aliæ extraneæ.* Iuxta quam definitionem, ut quis adoptetur in filium, aliquæ conditiones, & præcipuè tres requiruntur. Prima est: quod persona, quæ adoptatur, sit extranea, hoc est, quod ex se, & ratione sui non habeat ius ad hereditatem, ad quam adoptatur, id est, quod non sit filius naturalis. Secunda est: quod talis adoptio sit gratuita, hoc est, alijs titulis non debita; si enim titulo oneroso fiat, non adoptio, sed quasi emptio, aut alius contractus erit. Tertia est: quod sit bonum, ad quod adoptatus ordinatur, scilicet, hæreditas, & bona temporalia, ad quam habet ius succeden-

di ex ipsa adoptione, quæ conditiones reperiuntur in lure *ff. de Adoptionibus;* & ex his duas primas requirit Concilium Francfordiense in *Epist. ad Episcopos Hispaniæ,* dicens: *Adoptivus non dicitur, nisi qui est alienus, & adoptio non datur ex debito, sed ex indulgentia.* Undè filius adoptivus est, cui convenit ius ad participandam hæreditatè, & substantiam Patris extrinsecam, non ex vi generationis, sed ex voluntate gratuita adoptantis.

Præter has conditiones aliæ solent superaddi, quarum prima est: ut intercedat consensus adoptantis, & adoptati expressus, si adoptatus est adultus; si est sub tutela, consensus adoptati, & tutoris; si verò est infans, sufficit consensus tutoris, ut dicitur in lege *Infantes ff. de Adopt.* Secunda est: quod adoptatus non habeat esse ab adoptante. Tertia: quod adoptatio fiat in solatium adoptantis. Quarta: quod adoptatus non succedat in hæreditatem, nisi post mortem adoptantis. Quinta deniquè: quod adoptio nihil reale ponat in adoptato.

Hæ tamen conditiones, quæ in adoptione humana inveniuntur, non sunt de conceptu adoptionis ut sic, sed per accidens comparantur ad illa; nam 1. 4. & 5. adoptioni humanæ ob sui imperfectionem conveniunt. Secunda tantum requiritur, ut inveniat extraneitas in adoptato respectu hæreditatis, quod invenitur, etiam si ab illo procedat, ut creatura, quæ a Deo procedit. Tertia etiam est per

3
Aliæ adoptionis conditiones.

4
Istæ conditiones sunt per accidens.

accidens, cum leges permittant, ut habens filium naturalem, adoptet extraneum.

5
De file est,
Deum filios
adoptivos
habere.
Probat. 1.
ex Apostolo

Suppono secundò, ut de fide certum: Deum filios adoptare, & filios adoptivos habere, ut conitat ex Paulo ad Romanos 8. illis verbis: *Accepistis spiritum adoptionis.* Et infra: *Quod sumus filij Dei: si autem filij, & heredes.* Ad Galatas cap. 4. ibi: *Ut adoptionem filiorum reciperemus, quoniam autem estis filij &c.* Ad Ephesos 1. *In adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Ex quibus testimonijs, & alijs, quæ passim in Scriptura reperies, conitat clare, homines per Dei gratiam filios adoptivos Dei constitui.

6
2. ex Trid.

Constat secundò ex Tridentino Sess. de Iustificat. cap. 3. ubi ex Paulo ad Colosens. 1. ita Iustificationem diffinit, nempe: *Quod sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei.* Et cap. 16. illis verbis: *Atque idem bene operantibus usque ad finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces in ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.*

7
3. Ratione.

Deniquè probatur ratione generali, ex diffinitione adoptionis desumpta: adoptio enim est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem; sed Deus gratuito, & solum à sua bonitate motus, creaturam rationalem assumit ad beatitudinem, in qua Dei hæreditas est constituta, & ad quã in illis ratione sui ius condignitatis non est; & consequenter, ut personæ extraneæ comparantur ad illam; ergo Deus creaturas racionales adoptat in filios.

8
Suppono 3

Tertio suppono cum Ill. Godoy num. 4. quod sicut filius naturalis duplicem acceptionem admittit, nempe, fundamentalem, & formalem, & in hac secunda acceptione, esse filium naturalem à relatione prædicamentali præitari formaliter: in prima autem à natura, ut per generationem accepta; ita filius adoptivus Dei dupliciter accipi potest. Primò: formaliter, aut relativè, & sic certum est, à relatione, tanquam à forma, præitari, quæ an realis sit, an rationis, ex dicendis apparebit. Secundò fundamentaliter, scilicet, pro fundamento, ad quod re-

latio filiationis adoptivæ consequitur, & de hoc fundamento inquirimus, quæ sit forma, illud formaliter præstans, & filios Dei adoptivos formaliter pro fundamento relationis constituens.

9
Suppono 4.

Suppono quartò: quod forma, quæ de facto præstat filiationem adoptivam, est forma nostræ iustificationis, qui est habitus quidam supernaturalis, communiter à Theologis vocatus: *Gratia habitualis, & sanctificans.* Hæc suppositio, quam pro secunda conclusione statuit Ill. Godoy num. 57. est apud Theologos communis, & post Concil. Trident. tanquam de fide censetur, cuius ratio est: nam forma formaliter præstans de facto effectum iustificationis, præstat de facto formaliter filiationem adoptivã; atqui sola gratia habitualis est forma formaliter de facto præstans effectum iustificationis: ergo sola gratia habitualis est forma formaliter præstans de facto filiationem adoptivã. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt in Concil. Tridentino expressæ.

10

Maior enim traditur à prædicto Concilio Sess. 6. de Iustificat. cap. 4. ubi sic nostram iustificationem diffinit: *Quod est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius Primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei.* Minor docetur etiam à prædicto Concilio Sess. 6. relata cap. 7. ubi loquens de causis nostræ iustificationis, de causa illius formali, hæc habet: *Demum unica formalis causa est Iustitia Dei, non qua ipse Iustus est, sed qua nos Iustos facit.* Item: loquens de homine ad iustificationem per actum perfectæ contritionis, & charitatis disposito, ut frequentius à Theologis explicatur, sic ait: *Hanc dispositionem, aut præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum &c.* Deniquè clariùs adhuc docetur in Cathec. Pij V. in tract. de Baptismo. Vbi dicitur ex mente Concilij: *Est autem gratia non solum per quam peccatorum fit remissio, sed Divina qualitas in anima inherens, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet: quam totam doctrinam luculentè tradit Scotus in 1. dist. 17. q. 1. §. Ad solutionem.*

Hæc itaque veritate cum Ill. Godoy stabilita, ut ex Concilio Trident.

11

deducta, difficultas non est in examinando: quænam sit forma, quæ formaliter præter esse filium Dei adoptivum? Hanc enim esse gratiam habituales, est opinio omnium Theologorum, Lesio unice excepto, *qui lib. 1. de perfectionibus Divinis cap. 12. & in dub. appendice, expræsiusque lib. 2. de summo bono cap. 2. ausus est dicere: Divinitatem Spiritus Sancti iustis extrinsecè unia, media gratia habituali, esse formam formaliter istum effectum præbentem, gratia habituali concurrente ut vinculo, sive unione, admodum quo unio albedinis ut vinculum, & unitivè solum dealbat, albedine, ut forma, istum effectum præbente, & modus unionis hypostaticæ, ut vinculum, & nexus, animam Christi sanctificat: Deitas autem unia præbet, ut forma, sanctitatis effectum. Quam opinionem egregie rejicit Ill. Godoy à num. 8. usque ad num. 57. Unde difficultas ita duntaxat in modo, quo gratia habitualis præter formaliter esse filium Dei adoptivum, an, scilicet, physice, vel an moraliter? An, nempe, ex natura rei, vel an ex ordinatione Divina?*

Qua in re, relictis varijs opinionibus, duplex, prout ad meum facit intentum, est in præsentia sententia Prima asserit: gratiam habituales ratione suæ intrinsicæ entitatis, præter per modum formæ esse filium adoptivum Dei, cuius effectus, nec de potentia Dei absoluta potest ab alia forma, quam à gratia habituali præitari. Sic Ill. Godoy num. 89. & 178. cum omnibus, quos ibi citat.

Secunda sententia docet: gratiam habituales solum ex ordinatione Divina, & moraliter, præter esse filium adoptivum Dei, cuius effectus de potentia Dei absoluta potest ab alia forma, quæ gratia habituales non sit, præitari. Ita Scotus in 1. dist. 17. quest. 2. §. De secundo. Et in 2. dist. 27. Et in 4. dist. 16. quest. 2. Vbi Hiqueus, & Aretinus, Hiribarnes disput. 15. sect. 3. Poncius disput. 34. quest. 3. Faber, in 3. disput. 42. Et disput. 1. de poenit. cap. 9. Vulpes tom. 1. part. 3. disput. 14. art. 3. Coninch. disp. 21. de habitu charitatis dub. 8. Morandus tract. 4. quest. 20. qui alios citant. Item Nominales Ricard. Ocham. Durandus. Gabriel. Marfilus, & alij.

Sed licet Thomistæ omnes asse-

rentes: gratiam habituales physice, seu ex natura rei præter formaliter esse filium Dei adoptivum, uniformiter id explicant; quia sentiunt gratia habituales hunc effectum præter, sicut albedo præter esse album, & frigiditas esse frigidum. Asserentes autem: gratiam habituales moraliter, & ex ordinatione Divina præter formaliter esse filium Dei adoptivum, non eodem modo id explicant.

Aliqui enim ex Nominalibus ad hoc, ut gratia præter effectum prædictum, requirunt acceptationem, vel laborem Dei extrinsecum, subsequenter gratiæ infusionem, quam opinionem Vazquez tribuit Scoto. Alij autem præcindendo ab hoc, quod acceptatio Dei extrinseca antecedit, vel subsequatur infusionem gratiæ, dicunt: gratiam habituales ad prædictum effectum præstandum, se habere solum per modum signi, asserentes similitudinem monet, sicut enim hæc, quamvis habeat metallum in se; non tamen habet valorem, nisi per extrinsecam Principis impositionem; ita gratia habituales, licet de se sit perfecta iustitia, & sanctitas, non tamen habet valorem ad prædictum effectum præstandum, nisi ex sola Dei voluntate. Quem dicendi modum Scoto adscripserunt Arriaga disp. 44. sect. 1. Suarez lib. 7. cap. 11. & 20. Et tom. 4. in 3. part. disput. 9. sect. 3.

Alij vero dicunt: gratiam habituales habere integram, & adæquatam virtutem in actu primo ad prædictum effectum præstandum; ut autem præter de facto, requiritur voluntas Dei extrinseca, ex vi cuius voluntatis emitatur peccatum, & homo acceptetur in filium Dei adoptivum: quia existimant, posse de potentia Dei absoluta formam sanctificantem componi cum peccato, in quo casu non sanctificabit in actu secundo; cum peccatum actu non expelleret, licet sit sanctitas perfecta, & adæquata in actu primo, quia illi debetur voluntas remissiva peccati, & acceptativa hominis ad filiationem adoptivam. Ita Suarez, Curiel, Arriaga, Oviedo, & alij, & ex Scotistis Hiribarnes disp. 14. sect. 2.

Hi autem modi loquendi nobis non placent, quia Scoto opponuntur, & Scoti opinio longè distat ab opinionibus prædictis; differt namque a

12
1. Sententia.

Ill. Godoy.

13
2. Sententia.

Scotus.
Hiqueus.
Aretinus.
Hiribarn.
Poncius.
Faber.
Vulpes.
Coninch.
Morandus.
Ricard.
Ocham.
Durand.
Grbriel.
Marfil.

14

15

16

17

prima Nominalium sententia, quam Vazquez tribuit Scoto; nā Scotus nō requirit acceptionem, vel faborem Dei extrinsecū subsequente gratiæ infusionem, sed antiquam, & antecedentem, illam, scilicet, secundum quam Deus decrevit antecedentē ad infusionem gratiæ, hominem gratiæ perfusum virtute illius liberari a peccato, & fieri filium Dei adoptivū. Unde perperam Vazquez Scoti opinionem intellexit, cum Scotus doceat: effectum filiationis adoptivæ in genere moris esse gratiæ intrinsicum ex suppositione communis legis intrinsicæ ab hac lege acceptum, licet extrinsecè in genere qualitatis. Nec obest, quod post infusionem gratiæ requiratur alius actus Dei, vi cuius, desinat culpa, qui dicitur condonatio, vel culpæ remissio, quia cum Deus hunc actum ponat ad exigentiam moralem gratiæ, non dicitur nobis, vel extrinsecus labor, sed consummatio illius, qui fuit in ipsa gratiæ infusione.

18

Differt etiam Scoti opinio ab opinione illa, quam Suarez, & Arriaga Scoto adscripserunt, quia iuxta Scotum Deus per suam ordinationem non instituit gratiam, tanquam purū, & simplex signum filiationis adoptivæ, sed tanquam causam formalem illius, vt constat ex Trident. citat. num. 10.

19

Deniquè differt ab opinione Suarez, & aliorum, qui tribuunt gratiæ ex natura rei, independentē a quacumque Divina ordinatione, virtutē in actu primo ad constituendum filium Dei adoptivum, consequentēque dicere tenentur: esse filium Dei adoptivum esse effectum formalem physicum gratiæ, quod negat Scotus. Ratio est clara: nam licet calor non expellat frigus in actu secundo, nisi dependentē a voluntate Dei, qua decrevit, non conservare vnum contrarium ad præsentiam alterius; hoc non obest, vt semel dato, quod calor in actu primo sit adæquatè potens ex natura sua ad expellendum frigus, talis expulsio sit effectus formalis secundarius physicus caloris, quia ei est connaturalitè debitus: ergo semel dato, quod gratia habitualis sit in actu primo adæquatè potens ex natura sua ad constituendum filium Dei adoptivum, talis effectus in actu se-

cundo erit effectus physicus gratiæ, et si requirat voluntatem Dei ad talem effectum in actu secundo præstandum, vi cuius remittatur peccatū. Consequentia patet: quia illa Dei voluntas esset gratiæ connaturalitè debita, sicut dictum est de calore.

Opinioquè Scoto genuina, & germana est: gratiam habitualem secundum suam intrinsicam entitatem in esse qualitatis, præscindendo a quocumque Dei decreto, non esse causam formalem vnicam, & perfectam filiationis adoptivæ, sed prout subest Divinæ ordinationi, secundum quam Deus statuit, hominem habentē gratiam liberari a peccato, & fieri filium Dei adoptivum; ita vt vtrunque ad hunc effectum formalem concurrat; nempe, qualitas supernaturalis gratiæ, & Divina ordinatio, quin neutrum seorsim sufficiat; modo, quo Character Baptismalis, & ordinis ex impositione Christi, & Divina ordinatione, præstant suos formales effectus. Hæc est vera sententia, quam sequentibus assertionibus explico.

§. II.

Prima conclusio statuitur, & auctoritate probatur.

Prima conclusio: *Gratia habitualis se ipsa adæquatè, nullo extrinsecò labore expectato, filium Dei adoptivum non constituit.* Hæc conclusio est contradictoriè opposita conclusioni, quam tradit Ill. Godoy num. 89. quæ alijs etiam terminis proponitur: *Gratia habitualis solum ex ordinatione Divina, & moralitè præstat formalitè esse filium adoptivum Dei.* Sic Scotus citat. num. 13. & intellecta modo, quo numer. 20. illam explicuimus.

Probatur primò conclusio ex Concilio Tridentino, quod valde vociferant adversus nos adversarij, & cui valde fidit Ill. Godoy: non est locus, vbi adhuc levitèr, Concil. Trident. insinuet gratiam habitualem esse formam ex natura rei sanctificantem: ergo non est locus, vbi adhuc levitèr Concilium insinuet, gratiam habitualem esse formam ex natura rei constituentem filium Dei adoptivum. Consequentia patet: quia forma de facto sanctificans est forma constituens filium Dei adoptivum. Antecedens verò probatur: multoties Concilium insinuat: gratiam habitualem esse

20

21

I. Conclusio

22

Probat. I. ex Concilio Trident.

formam, non ex natura rei sanctificantem: ergo non est locus, ubi adhuc leviter insinuet Concilium Trid. gratiam habitualemente formam ex natura rei sanctificantem. Consequentia sufficienter colligitur ex antecedenti. Antecedens autem, in quo est tota difficultas, probare, est necesse.

23
Probatur
anteced. 1.

Probatur itaque primo: Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 7.* expressè distinguit remissionem peccati ab infusione gratiæ, tanquam duas actiones ex natura sua distinctas, licet modo necessario connexas, indicans remissionem peccati esse peculiare Dei beneficium, & actum distinctum ab infusione gratiæ; inquit enim *ab initio*, quod Iustificatio *Non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio.* Et circa medium cap. subdit: *Vnde in ipsa Iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infussa accipit homo.* Et rursus *Canone 11.* docet, nostram Iustificationem *Non consistere in sola remissione peccatorum, exclusa gratiæ infusione.* Ex quibus verbis infero.

24

Ergo remissio peccati est actio ex natura sua distincta ab infusione gratiæ, licet sit de facto cum illa connexa. Ergo remissio peccati est peculiare Dei beneficium, & actus distinctus ab infusione gratiæ: ergo gratia ex natura sua non expellit peccatum: ergo gratia ex natura sua non est forma sanctificans: ergo multies Concilium insinuat: gratiam habitualemente formam, non ex natura rei sanctificantem. Prima, & secunda consequentia expressissimè deducuntur ex Concilio. Tertia probatur: ideo calor ex natura sua expellit frigus, quia expulsio frigoris non est distinctum beneficium ab introductione caloris; sed iuxta dicta ex Concilio remissio peccati est distinctum beneficium ab infusione gratiæ: ergo gratia ex natura sua non expellit peccatum. Maior est certa: quia actio, qua calor introducit, est actio, qua frigus expellitur, vel si est diversa, una est ex natura rei, præcisè Divina ordinatione, necessario cum alia connexa, quod non evenit in remissione peccati, & gratiæ infusione.

25
Probatur. 2.

Probatur secundo ex eodem Concilio *citat.* ubi hæc habet: *Gratiam, qua iustificamur, non esse tantum favorem Dei extrinsecum:* Ergo iuxta Conciliū gratia, qua iustificamur, non excludit favorem Dei extrinsecum: ergo gra-

tia simul, & favor est forma qua iustificamur: ergo gratia habitualis se ipsa adæquatè, nullo extrinsecum favore expectato, non iustificat: ergo nec constituit filium Dei adoptivum. Omnia sunt vera, si vera est consequentia prima. Probatur itaque: si gratia, qua iustificamur, excluderet favorem Dei extrinsecum, malè diceret Concilium: *Gratia, qua iustificamur, non esse tantum favorem Dei extrinsecum;* sed hoc nequit dici: ergo iuxta Concilium gratia, qua iustificamur, non excludit favorem Dei extrinsecum. Probatur maior: si homo excluderet animal, malè diceretur: hominem non esse tantum animal: ergo pariter. Vnde sicut quando dicitur: hominem non esse tantum animal, est idem, ac dicere: non solum animal, verum etiam aliud, hominem constituere; ita dicendo Concilium: *Gratiam, qua iustificamur, non esse tantum favorem Dei extrinsecum,* est idem, ac dicere, non solum favorem Dei extrinsecum, verum etiam aliud, iustificare.

26
Probatur. 2.
conclusio.

Probatur secundo conclusio: iuxta Scripturam, Concilia, & P.P. esse filium Dei adoptivum, sicut & nostra iustificatio, est opus Dei omnino gratuitum: ergo opinio, quæ hoc melius salvet, erit conformior Scripturæ, Concilijs, & P.P. Atqui nostra opinio melius, quam opposita, salvat: esse filium adoptivum, esse opus Dei omnino gratuitum: ergo nostra opinio est conformior Scripturæ, Concilijs, & P.P. Probatur minor: nostra opinio melius, quam opposita, salvat: nostram iustificationem esse opus omnino gratuitum: ergo nostra opinio melius, quam opposita, salvat: esse filium adoptivum, esse opus Dei omnino gratuitum. Probatur antecedens: nostra opinio ponit Iustificationem independentem à quacumque re creata, quæ ex natura rei sit illius exigiva: ergo nostra opinio melius, quam opposita, salvat: nostram Iustificationem esse opus omnino gratuitum. Antecedens est certum: quia nostra opinio ponit nostram Iustificationem ex mero Dei beneplacito absque dependentia à re creata, quæ ex natura sua exigit iustificationem, quod non facit opposita.

Consequentia probatur: opus Dei, magis gratuitum est, quod à Deo procedit ex mero suo beneplacito absque

27
Probatur
consequent.

dependentia à re creata, quæ ex natura sua sit illius operis exigitiva, quam quod à Deo non procedit ex merito beneplacito suo; atqui nostra opinio ponit iustificacionem independentem à quacumque re creata, quæ ex natura rei sit illius exigitiva: ergo nostra opinio, melius, quam opposita salvat: nostram iustificacionem esse opus omnino gratuitum. Maior est ex terminis nota. Minor est nostra, & adversariorum opinio. Consequentia legitima apparet.

28
Confirmat.
& vrgetur.

Confirmatur, & vrgetur: gratia ex natura sua adoptat, & iustificat: ergo licet gratia sit omnino gratuita; tamen adoptio, & iustificatio non est omnino gratuita. Antecedens est opinio Ill. Godoy. Consequentia probatur: quia enim calor ex natura sua constituit calidum, licet productio caloris sit omnino gratuita; tamen calore producto, calefactio non est omnino gratuita; sed gratia iuxta Ill. Godoy ex natura sua adoptat, & iustificat: ergo licet gratia sit omnino gratuita; tamen adoptio, & iustificatio non est omnino gratuita. Maior patet; nam ideò productio caloris est omnino gratuita, quia producitur à mera Dei voluntate independentem à quacumque re creata, quæ ex natura sua sit exigitiva illius; atqui productio caloris, calefactio exigitur à natura caloris: ergo quia calor ex natura sua constituit calidum, licet productio caloris sit omnino gratuita; tamen calore producto, calefactio non est omnino gratuita. Et hac ratione probata manet consequentia syllogismi præcedentis, si forte negetur. Denique: negari nequit, quod calefactio sit minus gratuita, quàm productio caloris ob rationem datam, ob quam etiam negari nequit, quod adoptio, & iustificatio sit minus gratuita, quam productio gratiæ, ex quo necessario sequitur, quod nostra opinio sit conformior Scripturæ, Concilijs, & P.P. quod est intentum huius nostræ probationis. Nullam ex his rationibus sibi obiecit Ill. God. & certe quælibet habet maiorem vim, quam totum, quod ex Concilio prædicto contra nos obijcit, de quo in solutione argumentorum.

§. III.

Rationibus probatur conclusio.

NOstram conclusionem aliqui Scotistæ probant ex eo, quod habitualis gratia est imperfectior visione beata, & consequenter nequit ad eam lus condignum, & conaturale præstare. Cæterum hæc ratio non vrget, ob rationem, quam adducit Maltius in 2. disp. 7. quæst. 1. num. 9. ad eamque optime respondet Ill. Godoy num. 112. dicendo: visionem beatam esse perfectiorem secundum quid, sicut operatio naturalis, utpotè, actualior substantia, cuius est operatio, est illa secundum quid perfectior, quod non obest, ut reddat substantiam meliorem, quam antea erat.

29
Aliquorum
probatio.

Alij Scotistæ sic probant: nulla potest dari creatura, quæ ex natura sua Deum obligare possit ad nos diligendos; sed si Deus nos acceptaret in filios adoptivos ratione gratiæ habitualis ex natura sua, gratia habitualis ex natura sua Deum obligaret ad nos diligendos: ergo nequit gratia habitualis ex natura sua esse formam, ratione cuius Deus nos in filios adoptivos acceptet. Sed licet hæc ratio, & aliquæ illius confirmationes, sint apud Scotistas frequentes; non tamen placent, ad easque valde probabiliter respondere adversarios, fatetur Maltius citat. num. 9.

30
Aliorum
probatio.

Et ratio est: nam ideò iuxta Scotistas prædictos repugnaret forma ex natura rei constituens filium Dei adoptivum, quia teneretur Deus ad nos amandum; sed hoc non repugnat: ergo non repugnat, quod gratia habitualis ex natura sua præstet formaliter esse filium Dei adoptivum. Probatur minor: non repugnat, Deum ex suppositione teneri ad nos amandum; sed etiam si daretur forma ex natura rei constituens filium Dei adoptivum, necessitas Dei ad nos amandum esset ex suppositione: ergo non repugnat forma ex natura rei constituens filium Dei adoptivum. Maior patet: nam de facto per gratiam nobis concessam teneretur Deus ad nos amandum ex suppositione, quod illa elevet ad nos in filios adoptivos acceptandos. Minor constat: nam etiam si daretur forma ex natura rei, nos constituens filios Dei adoptivos, teneretur Deus nos amare ex supposi-

31
Reijcitur.

tione, quod vellet Deus eam producere, & nobis communicare. Consequentia videtur certa.

Matrius verò inter alias Conclusionis probationes, sic illam probat *num. 11.* gratia habitualis ex natura sua in ratione principij activi solum est principium diligendi Deum supernaturaliter; est enim apud Scotum à Charitate indistincta; sed nullam ob hoc habet exigentiam connaturalem, saltim proximam, ut Deus habentem illam acceptet in filium adoptivum: ergo gratia habitualis ex natura sua non præstat esse filium Dei adoptivum. Probatur minor: ex eo, quod Petrus habeat potentiam amandi Paulum, & habitum ad eius amorem inclinantem, non ob hoc habet exigentiam connaturalem, saltim proximam, ut Paulus redamet Petrum, & multo minus tali amore, ut ipsum adoptet in filium: ergo similiter: ergo ex eo, quod gratia habitualis sit ex natura sua principium diligendi Deum supernaturaliter, nullam habet exigentiam connaturalem, saltim proximam, ut Deus habentem illam acceptet in filium adoptivum.

Cæterum, licet hæc sit ratio communis Scotistarum, & quam Matrius vocat veluti à priori, vim contra adversarios non habet; negant enim maiorem, quam Matrius non probat, & quod ipse facit, scilicet, ut veram supponere in Scoti doctrina, eo, quod gratia, & Charitas non distinguantur, id omnino faciunt adversarij, nempe, illam et falsam supponere in doctrina D. Thomæ, in qua gratia, & Charitas realiter distinguuntur. Unde licet in nostra sit vera, & valde utilis ad argumenta contrariorum solvenda, ob quod ea frequenter vtitur Matrius in solutione obiectionum; ad arguendum tamen contra adversarios valorem non habet sine recursum ad indistinctionem gratiæ à Charitate, quæ est altera, & distincta difficultas, in præsentem non disputanda.

Confirmat Matrius *cit. num. 12.* supradictam rationem hoc modo: nam si gratia habitualis ex natura sua constituerit filium Dei adoptivum, potius actus perfectæ dilectionis deberet ex natura sua constituere filium Dei adoptivum, quam habitus gratiæ, qui est principium duntaxat talis actus, vel inclinatio in ipsum; at se-

cundum adversarios constituere filium Dei adoptivum actui perfectæ dilectionis ex natura rei convenire nequit: ergo tanto minus habitus; nam si non iustificat id, quod est maius, neque id, quod est minus. Probatur maiorem: nam etiam in creatis potius debet quis aliquem redamare ratione amoris actualis erga se ipsum, quam ratione principij, quo mediante posset amari: ergo pariter de Deo.

Hæc tamen Matrius confirmatio mihi non videtur vrgere; nam hæc ratio probat: actum perfectæ dilectionis potius, quam gratiam, esse à Deo deputatum, ut sit forma constituens filium Dei adoptivum; sed hoc est falsum apud Matrium: ergo nulla est illius ratio. Probatur maior: hæc ratio probat: Deum potius debere aliquem amare ratione amoris actualis erga ipsum, quàm ratione principij, quo mediante posset amari; sed ratio, qua probatur; Deum gratiam potius, quam aliam formam, deputasse ad constituendum filium Dei adoptivum, est, quia gratia est principium diligendi Deum supernaturaliter: ergo ratio Matrius probat: actum perfectæ dilectionis potius, quam gratiam, esse à Deo deputatum, ut sit forma constituens filium Dei adoptivum. Consequentia probatur: nam illud debet censeri à Deo deputatum, ut sit forma constituens filium Dei adoptivum, ratione cuius potius debet redamare Deus; atqui per te potius Deus debet redamare ratione amoris actualis, quam ratione principij: ergo ratio Matrius probat: actum perfectæ dilectionis potius, quam gratiam, esse à Deo deputatum, ut sit forma constituens filium Dei adoptivum.

Aliam etiam probationem tradit Matrius *cit. num. 20.* pro effectu iustificationis, quæ pro filiatione adoptiva ad hanc formam reducit: si esse filium Dei adoptivum est effectus formalis gratiæ per se, & in genere phisico: ergo de potentia Dei absoluta non posset illam filiationem conservare simul cum peccato mortali, cuius oppositum tenet Scotus, & quàm plures ex adversarijs etiam concedunt. Cæterum licet hæc probatio vera sit, nihil tamen vrget contra Ill. Godoy, & Thomistas, qui concedentes: esse filium Dei adoptivum esse

32
Quædam
Matrius
probatio.

33

34
Confirmat
Matrius.

35
Reijcitur.

36
Alia Matrius
probatio.

Vim non habet contra Thomistas.

effectum formalem gratiæ in genere phisico, concedunt consequenter: filiationem non posse simul cum peccato mortali adhuc de potentia Dei conservari.

37
Probat. 1.
conclusia.

His ergo probationibus in sua probabilitate relictis. Probatum primo conclusio ex diffinitione adoptionis: *Adoptio est gratuita assumptio ad hæreditatem personæ aliàs extraneæ*: ergo adoptionem esse gratuitam debet convenire omni adoptioni, tam in humanis, quam in Deo: ergo gratia habitualis non est forma ex natura rei adoptans. Probatum hæc consequentia: si gratia habitualis esset forma ex natura rei adoptans, adoptio in Deo (dato, quod gratuita esset) esset minus gratuita, quam adoptio in humanis; sed hoc repugnat: ergo repugnat, quod gratia habitualis sit forma ex natura rei adoptans. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt probandæ.

38
Probatum
maior.

Probatum maior: adoptio ex voluntate adoptantis cum dependentia ab alio, quod ex natura rei sit adoptans, est adoptio minus gratuita, quã adoptio ex mera voluntate adoptans absquẽ dependentia ab alio, quod ex natura rei sit adoptans; atquẽ si gratia habitualis esset forma ex natura rei adoptans, adoptio in Deo esset ex voluntate Dei cum dependentia à gratia, quæ ex natura rei esset adoptans; adoptio verò in humanis esset ex mera voluntate adoptantis absquẽ dependentia ab alio, quod ex natura rei sit adoptans: ergo si gratia habitualis esset forma ex natura rei adoptans, adoptio in Deo esse minus gratuita, quam adoptio in humanis. Maior est ex terminis nota, & paritate caloris probata manet *num. 28*. Minor est certa, & consequentia legitima.

39
Prob. min.

Minor verò suprapositæ rationis probatur: repugnat, quod Deus sit minus Dominus suorum bonorum, ac est homo; sed si adoptio in Deo esset minus gratuita, quam adoptio in humanis, Deus esset minus Dominus suorum bonorum, ac est homo: ergo repugnat, quod adoptio in Deo sit minus gratuita, quam adoptio in humanis. Consequentia optimè inferitur. Maior est manifesta; alioquin Deus non esset supremus Dominus omnium bonorum. Minor verò probatur: ille, qui tribuit ius ad hæredi-

tatem suorum bonorũ cum dependentia ab alio, quod ex natura sua exigit tale ius, minus Dominus est suorum bonorum, quam ille, qui tribuit ius ad hæreditatem suorum bonorũ ex mero suo beneplacito, absquẽ dependentia ab alio, quod ex natura sua exigit tale ius; atquẽ si adoptio in Deo esset minus gratuita, quam adoptio in humanis, esset, quia Deus tribueret ius ad hæreditatem suorum bonorũ cum dependentia ab alio (nempe, gratia) quod ex natura sua exigit tale ius; homo verò sine tali dependentia: ergo si adoptio in Deo esset minus gratuita, quã adoptio in humanis, Deus esset minus Dominus suorum bonorum, ac est homo.

Confirmatur, & declaratur supraposita probatio: adoptio in humanis est duntaxat ex voluntate, & beneplacito adoptantis: ergo adoptio in Deo est duntaxat ex Dei voluntate, & beneplacito. Antecedens est ita certum, ac certum est, quod detur in humanis adoptio. Consequentia est legitima, & si eam negat Ill. Godoy, hæc omnia concedere tenetur. Primum, quod adoptio in humanis sit magis gratuita, quam adoptio Dei ex dictis *num. 38*. Secundum est: quod adoptans in humanis sit magis Dominus suorum bonorum, quã Deus ex dictis *num. preced.* Tertium est: quod Deus non esset supremus Dominus suorum bonorum, tum; quia si ipse solus non habet tale ius, non est supremus Dominus; quia magis Dominus esset, si solus ipse haberet ius prædictũ. Tum etiam; quia etiam esset minus Dominus, quam homo, in conferendo ius ad hæreditatem suorum bonorum ex dictis *num. cit.* Quartũ deniquẽ: quod adoptio Dei esset deterioris conditionis, quam adoptio in humanis. Primum: quia illa non esset vndequaquẽ gratuita, sicut hæc. Secundò: quia adhuc, Deo nollente, esset ius ad hæreditatem suorum bonorũ, quod in humanis nõ accidit. Quæ omnia sunt absurda, quæ plurima alia important.

Probatum secundò conclusio, destruyendo principalem doctrinam, qua in præsentĩ, vritur Ill. Godoy, nempe, gratiam habitualem habere ius solius connaturalitatis ad hæreditatem Dei: quod est possibile, & cedit in excellentiam Dei, est Deo concedendum; sed quod gratia habitualis moralitèr,

40
Cõfirmatur
probatio.

41
Probat. 2.
cõclus. destruyendo doctrinam Ill. Godoy.

& ex ordinatione Divinā constituat filium Dei adoptivum, est possibile, & cedit in excellentiam Dei: ergo hoc est Deo concedendum: ergo gratia, & simul Divina ordinatio constituunt filium Dei adoptivum: ergo gratia se ipsa adæquat, nullo extrinseco favore expectato, filium Dei adoptivum non constituit. Omnes consequentiæ sunt legitimæ. Maior est manifesta. Minor pro prima parte apparet indubitata.

42
Prob. 2. p.
minoris.

Pro secunda autem probatur: si gratia habitualis moraliter, & ex ordinatione Divina, constituit filium Dei adoptivum, Deus esset, in conferendo ius ad hæreditatem suorum bonorum, magis independens, magis liber, & magis Dominus; sed hæc sunt excellentiæ Dei: ergo quod gratia habitualis moraliter, & ex ordinatione Divina constituat filium Dei adoptivum, cedit in excellentiam Dei. Consequentia inferitur. Minor est certa. Maior verò probatur: si gratia habitualis moraliter, & ex ordinatione Divina constituit filium Dei adoptivum, Deus, conferendo ius ad hæreditatem suorum bonorum, esset independens à re creata, quæ ex natura sua conferret tale ius: ergo esset magis independens. Item: non necessitaretur ex suppositione productionis alicuius rei creatæ ad acceptandum hominem ad hæreditatem suorum bonorum: ergo esset magis liber. Denique: tribueret ex mera sua voluntate, & beneplacito ius ad hæreditatem suorum bonorum: ergo esset magis Dominus. Omnia patent ex dictis *numer. 28. & 37. cum sequentibus.*

43
Prob. 3.
conclusio.

Probatur tertio conclusio, formando de gratia eandem rationem: quod est possibile, & cedit in excellentiam gratiæ, est gratiæ concedendum; sed quod gratia habitualis moraliter, & ex ordinatione Divina constituat filium Dei adoptivum, est possibile, & cedit in excellentiam gratiæ: ergo hoc est gratiæ concedendum: ergo gratia, & simul Divina ordinatio constituunt filium Dei adoptivum: ergo gratia se ipsa adæquat, nullo extrinseco favore expectato, filium Dei adoptivum non constituit.

Prob. minor
pro 2. p.

Minor pro secunda parte, in qua est tota difficultas, probatur: si gratia habitualis moraliter ex ordinatione Divina constitueret filium Dei adop-

tivum, gratia habitualis haberet ius, vel fidelitatis, vel iustitiæ, vel gratitudinis ad hæreditatem bonorum Dei, ratione cuius Deum obligaret ex fidelitate, ex iustitia, vel gratitudine ad conferendam hæreditatem suorum bonorum; atqui hæc est excellentia gratiæ: ergo quod gratia habitualis moraliter, vel ex ordinatione Divina constituat filium Dei adoptivum, cedit in excellentiam gratiæ. Consequentia optima est. Maior patet: nam hac ratione merita iustorum, ut fatetur Ill. Godoy *num. 120.* Deum obligant ex fidelitate, iustitia, vel gratitudine ad conferendam gloriam, ut coronam; imò Deum obligare ex iustitia stricta, & rigurosa propugnat *tom. 1. in 3. p. disp. 7.* ubi nos statuimus, Deum obligare ex iustitia propriè dicta; non verò stricta, & rigurosa.

Prob. minor

Minor probatur: gratiam habitualement habere ius fidelitatis, iustitiæ, vel gratitudinis, ad hæreditatem bonorum Dei, est maior gratiæ excellentia, quam habere tantum ius connaturalitatis: ergo quod gratia habitualis habeat prædictum ius, est excellentia gratiæ. Probatur antecedens primo: habere ius est perfectio, & excellentia habentis illud; sed ius fidelitatis, iustitiæ, vel gratitudinis est maius ius, quam ius solius connaturalitatis: ergo gratiam habitualement habere ius fidelitatis, iustitiæ, vel gratitudinis ad hæreditatem bonorum Dei, est maior gratiæ excellentia, quam habere tantum ius connaturalitatis. Maior est vera: nam ius arguit dominium, potestatem, & superioritatem, estque idem ac iustitia, quæ à nemine dubitatur, esse perfectionem, & excellentiam illius, qui illud habet. Minor fatetur ab Ill. Godoy *num. 120.* & est apud omnes constans. Consequentia inferitur. Probatur secundo antecedens: ideo ius iustitiæ est maior excellentia, quam ius fidelitatis, & gratitudinis, quia est maius ius; sed ius fidelitatis, iustitiæ, vel gratitudinis est maius ius, quam ius solius connaturalitatis: ergo idem quod antea.

Et conformiter ad hanc doctrinam probatur quarto conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: ius efficax, & infallibile consequendi hæreditatem est magna filiationis adoptivæ perfectio; sed hac perfectione caret gratia habitualis ex natura rei: er-

44
Prob. 4.
conclus. ad
hom. contra
Ill. Godoy.

go gratia habitualis ex natura rei non est forma præstans filiationem Dei adoptivam. Consequentia est legitima, & notoria. Minor est Ill. Godoy, qui num. 120. asserit: quod ius fundatum in gratia ad gloriam, ut hereditatem, est ius solius connaturalitatis, ut distinguitur à iure fidelitatis, iustitiæ, & gratitudinis, quorū quodlibet est ius infallibilitatis. Idemquæ reperit in tota hac disput. Maior autem est etiam ipsius, qui ad litteram eam adducit num. 254. pro probatione cuiusquam corollarij, & pro solutione cuiusdam obiectionis eam repetit cū tali excellentia, ut hæc sint verba Ill. Godoy: *Ius absolutum, efficax, & infallibile consequendi hereditatem Cælestem, est adeo magna filiationis adoptivæ perfectio, quod per illam ceteri resartiantur defectus, & absolute gradum illum filiationis excedat.*

45
 Probat. 5.
 conclusio
 destruendo
 alteram doctrinam Ill. Godoy.

Probatur quintò conclusio, destruendo alteram doctrinam principalem Ill. Godoy, qua in præsentia vitur, scilicet, gratiam esse phisicam participationem naturæ Divinæ: qualitas creata, nempe, gratia habitualis, non participat phisicè naturam Divinam: ergo gratia habitualis non participat naturam Divinam sufficienti modo, ut possit ex natura sua cõferre ius ad hæreditatem Divinam: ergo gratia habitualis se ipsa adæquatè, nullo extrinseco favore expectato, filiū Dei adoptivam non constituit. Probatur antecedens primò: ut gratia phisicè participet naturam Divinam, requiritur, quod gratia sit phisicè radix omnium virtutum supernaturalium, sicut natura Divina est phisicè radix omnium attributorum; sed gratia non est phisicè radix omnium virtutum supernaturalium: ergo qualitas creata, nempe, gratia habitualis, non participat phisicè naturam Divinam. Probatur minor: gratia non est phisicè radix fidei, & spei: ergo non est phisicè radix omnium virtutum supernaturalium. Probatur antecedens: fides, & spes stant sine gratia: ergo gratia non est phisicè radix fidei, & spei. Antecedens est certum; quia homo peccator potest elicere actum fidei, & spei mediante auxilio speciali, imò, quin habeat gratiam, conservat habitus fidei, & spei. Consequentia patet: quia radicatum nequit esse sine radice.

Prob. antecedens 1.

Probatur secundò dictum antecedens: si gratia esset phisica participatio naturæ Divinæ, gratia esset Deus phisicè, quod est absurdum: ergo idem, quod antea. Probatur antecedens: quia accidens est ens per phisicam entis participationem, accidens est phisicè ens: ergo si gratia esset phisica participatio naturæ Divinæ, gratia esset Deus phisicè. Imò gratia esset etiam alter Deus, sicut accidens est aliud ens, quod est aliud absurdum. Confirmatur: nam idem humanitas Christi dicitur phisicè participare Divinitatem, quia phisicè est vnita Divino Verbo: ergo Iustus, qui per gratiam in sententia Ill. Godoy phisicè participat naturam Divinam, erit phisicè Deo vnitus, quod est alterum inconueniens.

46
 Secundo.

Confirm.

Probatur tertio antecedens: eo modo gratia habitualis est participatio naturæ Divinæ, quo est vita, ut Thomistæ dicunt; sed gratia habitualis non est phisicè vita: ergo idem, quod prius. Probatur minor: eo modo gratia habitualis est vita, quo peccatum est mors; sed peccatum non est phisicè mors: ergo gratia habitualis non est phisicè vita. Maior est certa: nam gratia tribuit vitam, qua peccatum privat. Minor est manifesta; nam peccatum solum moraliter, improprie, & per imitationem est mors. Consequentia infertur.

47
 Tertio.

Probatur sextò conclusio paritate desumpta ex alijs formis supernaturalibus: aliquæ enim sunt formæ supernaturales, quæ aliquos præstant effectus, non ex natura intrinseca talis qualitatis, sed ex impositione Christi, & ex ordinatione Divina: ergo idem de gratia servata proportione est dicendum, præcipue, cum nec ratio vrgens, nec autoritas sit ad oppositum sentiendum. Antecedens constat etiam in opinione adversariorum; nam Character baptismalis hominem formaliter constituit Christianum, non ex natura rei, sed ex impositione Christi. Sic pariter Character ordinis confert potestatem consecrandi, non ex phisica natura talis qualitatis, sed ex ordinatione Divina.

48
 Probat. 6.
 conclus. paritate.

Probatur septimò: peccatum ex natura rei non constituit hominem indignum filiationis Dei adoptivæ, sed supposita lege duntaxat, & eius transgressione: ergo pariter ab oppo-

49
 Probat. 7.
 alia paritate.

firo : gratia ex natura rei non contituit hominem dignum filiatione Dei adoptiva, sed supposita tantum ordinatione Divina. Confirmatur primò: peccatum est quid morale in ratione offense contra Deum: ergo debet tolli per aliquid morale: ergo gratia, per quam tollitur, non tollit illud sub phisica ratione gratiæ, sed sub ratione gratiæ, vt subest ordinationi Divinæ, quomodo est quid morale.

Confirmatur secundò: eodem modo Theologizandum est de gratia, quæ est amicitia cum Deo, ac de culpa, quæ est inimicitia; sed culpa non est digna ex natura sua de ordinatione ad poenam æternam: ergo nequè gratia ex natura sua est digna ordinatione ad gloriam, consequenterque, nequè illi connaturaliter debetur. Maior est Scoti in 4. dist. 16. quest. 2. §. Ad rationes in oppositum, dicentis: Amicitia per gratiam est ordinari ad vitam æternam, sicut inimicitia per culpam est ordinari ad poenã condignam. Minor est etiam Doctoris in 4. dist. 50. in fine. Et dist. 46. quest. 4. §. Ad argumenta principalia. ¶ Alius est modus. Consequentia est legitima.

Probatur octavo conclusio: si gratia habitualis ex natura sua, omni lege seclusa, est forma, formaliter tribuens effectum filiationis adoptivæ, in quocumque reperiatur gratia habitualis, debet illum constituere filiũ Dei adoptivum; atquæ gratia habitualis reperitur in aliquo, quem filium Dei adoptivum non constituit: ergo gratia habitualis ex natura sua, omni lege seclusa, non est forma, formaliter tribuens effectum filiationis adoptivæ. Consequentia est manifesta. Maior patet, primò: in ipsa gratia respectu effectus sanctitatis. Secundò: in calore, albedine, & vniversim in quacumque forma; & ratio generalis est: quia nequit intelligi, quod forma sit in subiecto, & quod ei non tribuat suum effectum formalem, cum hic sit ipsa forma communicata subiecto. Minor verò probatur: gratia habitualis est in Christo Domino, vt fatetur Ill. Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 22. sed gratia habitualis non contituit Christum, filium Dei adoptivũ, vt propugnat in presenti disput. 53. ergo gratia habitualis reperitur in aliquo, quem filium Dei adoptivum non constituit.

Dices pro Ill. Godoy: Christum esse filium Dei naturalem, ideoque adoptari non posse. Sed contra primò: Christus, in quantum homo, reduplicatione cadente supra humanitatem iuxta ipsum disp. 54. numer. 4. non est filius Dei naturalis: ergo non valet solutio in opinione illius. Contra secundò: hoc ipso, quod Christus, in quantum homo, reduplicatione cadente supra humanitatem, non sit filius Dei naturalis, adest locus, vt Christus, in quantum homo, reduplicatione cadente supra humanitatem, sit filius Dei adoptivus, si habet formam, formaliter ex natura rei adoptantem; atquæ Christus, in quantum homo, habet gratiam habituale, quæ est talis forma apud Ill. Godoy: ergo Christus, in quantum homo, erit filius Dei adoptivus, quod est contra ipsum.

Contra tertio: non stat, quod gratia habitualis ex natura sua, omni lege seclusa, sit forma formaliter tribuens effectum filiationis adoptivæ, & quod de lege ordinaria (omisso, quod possibile sit de potentia absoluta) sit in subiecto incapaci talis effectus; sed gratia habitualis est in Christo, in quantum homo est, de lege ordinaria: ergo vel Christus, in quantum homo, est filius Dei adoptivus, vel gratia ex natura sua, omni lege seclusa, non est forma formaliter tribuens effectum filiationis adoptivæ, quorũ vtrumque est contra ipsum. Maior in qua est difficultas probatur primò: nõ itat, quod albedo (& pariter de omni simili forma) ex natura sua, omni lege seclusa, sit forma formaliter tribuens effectum dealbationis, & quod de lege ordinaria (omisso, quod de potentia absoluta sit possibile) sit in subiecto incapaci talis effectus, v. g. in Angelo: ergo pariter. Probatur secundò: non stat, quod habitualis gratia ex natura sua, omni lege seclusa, sit forma formaliter tribuens effectum sanctitatis, & quod de lege ordinaria (quidquid sit de possibili) sit in subiecto incapaci talis effectus: ergo similiter. Hæc impugnatio probat etiam de effectum secundario formæ, qualis est effectus sanctitatis, & adoptionis respectu gratiæ habitualis, vt fatetur Ill. Godoy disput. seq. num. 184. Et antea dixerat tom. 2. in 3. p. disp. 21. n. 43.

Probatur nõdò conclusio ratione speciali, destructiva totius doctrinæ

§ 2

Dices pro Ill. Godoy.

Contra 1.

Contra 2.

§ 3

Contra 3.

§ 0

Confirm. 2.

§ 1

Probat. 8. conclusio.

§ 4

Probat. 9.
concl. ratio
ne speciali.

Ill. Godoy: Dominium perfectissimū Dei in sua bona est, quo maior excogitari nequit; sed duplex est dominium perfectissimū Dei in sua bona, scilicet, in re, & in iure: ergo utrumque est, quo maior excogitari nequit. Atqui ratione perfectissimū dominij in re, ita Deus est dominus suorum bonorum, ut omni creaturæ possit negare acceptationem in re ad hæreditatem suorum bonorum: ergo ratione perfectissimū dominij in iure, ita Deus est dominus suorum bonorum, ut omni creaturæ possit negare acceptationem in iure ad hæreditatem suorum bonorum. Hæc consequentia est evidens: alioquin perfectissimū dominium Dei in iure circa sua bona non esset, quo maior excogitari nequit, cuius oppositum est apud omnes certum. Sumpta patet ex eo, quod potest Deus homini in gratia perseveranti gloriam in æternum negare, quod etiam fatetur Ill. Godoy num. 163. Infero nunc: ergo gratia habitualis ex natura sua non habet ius ad hæreditatem bonorum Dei: ergo ex natura sua non constituit filium Dei adoptivum. Probatum prima ex his consequentijs: si gratia ex natura sua haberet ius ad hæreditatem bonorum Dei, Deus ratione supræmij dominij in iure non esset ita dominus suorum bonorum, ut omni creaturæ possit negare acceptationem in iure ad hæreditatem suorum bonorum, sed Deus ratione supræmij dominij in iure, ita est dominus suorum bonorum, ut omni creaturæ possit negare acceptationem in iure ad hæreditatem suorum bonorum: ergo gratia habitualis ex natura sua non habet ius ad hæreditatem bonorum Dei. Consequentia est legitima Minor concessa, & maior est Ill. Goy num. 163.

§. IV.

Firmatur conclusio triplici ratione ab Ill. Godoy tradita, & eius solutiones impugnatur.

§§
Amplius
probatum
conclusio.

Prima ratio ex triplici ab Ill. Godoy adducta, quæ est nostræ conclusionis probativa, est hæc: forma, quæ præstat filiationem adoptivam, debet saltem ex consequenti præstare ius condignum, & connaturale hæreditatis Divinæ, scilicet, visionis beatificæ; sed gratia habitualis ratione suæ intrinsicæ entitatis hoc ius

præstare non potest: ergo nec præbere filiationem adoptivam. Probatum minor primo: non est dabilis qualitas aliqua creata dans ius condignum, condignitate filij adoptivi ad hæreditatem Regis terreni ratione propria entitatis: ergo nec datur, nec dari potest forma aliqua creata, quæ ratione propria entitatis præbeat ius condignum filij adoptivi ad hæreditatem Dei. Secundo probatur: nam ea, quæ sunt propria Dei, nulli creaturæ possunt esse connaturalia; sed beatitudo est propria naturæ Divinæ, propriaque Dei perfectio: ergo nulla forma creata potest dare ius condignum, & connaturale ad beatificam visionem.

Respondet Ill. Godoy numer. 112. concessa maiori, negando minorem. Ad primam probationem respondet num. 114. prætermisso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas autem est: nam Regis terreni natura non est ab alio participabilis, nisi in esse substantiali, & secundum convenientiam univocam: ac proinde nisi sic communicetur, qualiter communicata filium naturalem constituit, non potest habere ius intrinsecum ad illius hæreditatem: cæterum natura Divina est participabilis secundum conceptum naturæ à qualitate creata: qualitas autem participans naturam Divinam dat ab intrinseco ius connaturale, & condignum ad operationes Dei; & consequenter ad beatificam visionem, quæ est omnium operationum perfectissima, & in qua hæreditas Divina consistit.

Ad secundam respondet num. 115. dicendo: quæ sunt propria Dei proprietate constitutiva, & essentiali, nullatenus possunt communicari; quæ vero sunt propria Dei proprietate connaturalitatis, nulli creaturæ communicari possunt ratione formæ substantialis, possunt tamen ratione formæ accidentalis, quæ elevativè det connaturalitatem ad illa: videre autem Dei essentiam, sicuti est, non est proprium Dei proprietate essentiali, sed proprietate connaturalitatis; ex quo solum sequitur, nulli substantiæ posse esse connaturale absolute: non autem quod nequeat esse connaturale formæ accidentali elevanti ad esse Divinum, ut quo. & ut quod ratione illius, connaturalitate suæ positionis substantiæ, cui tale accidens inhæret.

Prob. minor 1.

Secundo.

§6
Respondet
Ill. Godoy.

Ad 1. prob.
minoris.

§7
Ad 2.

Hæc

58
Impugn. 1.
Solutio Ill.
Godoy.

Hæc tamen solutio Ill. Godoy ad primam probationem, ne deur disparitati locus, impugnatur primo, aliter probando minorem argumenti: Ius ad beatificam visionem, quæ est hæreditas Divina, solum valet provenire ab adoptante: ergo gratia habitualis ratione suæ intrinsicæ entitatis hoc ius præstare non potest. Probatur antecedens: Ius, quod in humanis habet filius adoptatus ad hæreditatem adoptantis, solum provenit ab adoptante: Ergo Ius ad beatificam visionem, quæ est hæreditas Divina, solum valet provenire ab adoptante. Antecedens est certum; quia non est dabilis qualitas creata, quæ ratione propriæ entitatis tribuat in humanis filio adoptato Ius ad hæreditatem adoptantis: ergo multo minus respectu Dei. Et ex hoc.

59
Impugn. 2.

Impugnatur secundò: Ius in humanis ad hæreditatē adoptantis provenit vnicè ex voluntate adoptantis: ergo potiori iure ius ad hæreditatem Dei adoptantis debet vnicè provenire ab illius voluntate. Consequentia patet. Tum: quia cum *Adoptio sit gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem*, magis gratuita esset adoptio in humanis, quam respectu Dei, quod disonum videtur. Tum etiam: quia adoptans in humanis magis Dominus esset suorum bonorum, quam Deus, quod consentaneum non apparet, ut constat ex dictis num. 40. cum seqq. Tertio impugnatur per a nobis dicta num. 45. 46. & 47. vbi contra Ill. Godoy probavimus, gratiam non participare phisicè naturam Divinam, quod erat necessarium, ut solutionis disparitas teneret.

Tertiò.

60
Reijcitur
Solutio Ill.
Godoy ad
2. prob. minoris.

Reijcitur etiam solutio Ill. Godoy ad secundam probationem minoris: licet aliqua, quæ sunt Dei propria, proprietate connaturalitatis, possint creaturæ communicari ratione formæ accidentalis, quæ *elevativè* det connaturalitatem ad illa, ut de visione Dei testatur Ill. Godoy, & nos gratis concedimus: visionem Dei esse connaturalem intellectui lumine gloriæ perfuso; tamen non omnia, quæ sunt propria Dei proprietate connaturalitatis possunt creaturæ communicari, adhuc ratione formæ accidentalis, quæ *elevativè* det connaturalitatem ad illa: ergo solutio Ill. Godoy insufficientis est, ad tribuendum gratiæ

ius connaturale ad beatificam visionem. Consequentia patebit ex probatione antecedentis.

Probatur antecedens pro secunda parte: Deum se videre visione infinita, est proprium Dei, proprietate connaturalitatis; sed hoc nequit creaturæ communicari, adhuc ratione formæ accidentalis, quæ *elevativè* det connaturalitatem ad illud: ergo non omnia, quæ sunt propria Dei proprietate connaturalitatis, possunt creaturæ communicari, adhuc ratione formæ accidentalis, quæ *elevativè* det connaturalitatem ad illa. Consequentia est legitima. Minor apud Theologos certa. Maior patet: nam Deum se videre visione infinita, non est proprium Dei, proprietate constitutiva, & essentiali, ut fateri debet Ill. Godoy per ab ipso dicta tom. 1. in 1. p. disp. 4. §. 12.

Quod autem huiusmodi sit ius connaturale ad visionem beatam, in quo consistit veritas consequentiæ replicæ factæ, probatur: ideo Deum videre visione infinita nequit communicari creaturæ, adhuc sub ratione formæ accidentalis, quæ *elevativè* det connaturalitatem ad illud, quia esset contra supremam rationem entis Divini; atqui gratiam habere ex natura sua, tribuere ius ad visionem beatam, est contra supremum Dei dominium: ergo ius connaturale ad visionem beatam nequit gratiæ communicari, & consequenter insufficientis est solutio Ill. Godoy. Maior constat: quia aliud esse infinitum præter primum ens infinitum, est minuere supremam rationem entis infiniti. Minor patet ex dictis à num. 40. & 54. Consequentia inferitur.

Secunda ratio est hæc: licet Ius ad gloriam per modum hæreditatis non constituat filium adoptivum Dei; non tamen stat, esse filium adoptivum Dei absque iure hæreditario; sed hoc ius nequit subsistere absque promissione Divina, & illius ordinatione superaddita infusioni gratiæ habitualis: ergo absque promissione, quæ favor extrinsecus sit, & superadditus gratiæ, non salvatur filiatio Dei adoptiva, & consequenter illam non præstat gratia habitualis ratione solius entitatis intrinsicæ. Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non est minor proportio in operibus Iustorum, gratia, & charitate informatis,

61
Probatur
antecedens.

62

63
Probatur
rursus conclusio.

cum gloria per modum coronæ, quā in gratia, vt subiectum informantē, cum gloria, vt hæreditate; sed ista proportione non obitante, non datur in operibus Iustorum ius ad gloriā, vt coronam absquē Interventu promissionis, & ordinationis Divinæ, illorum entitati extrinsecæ, & superaddite, vt docet satis probabilis Theologorum sententia: ergo pariter: non obitante proportione gratiæ habitualis cum gloria, vt hæreditate, non salvabitur ius hæreditarium ad gloriā per solam entitatem gratiæ absquē promissione, & ordinatione extrinsecæ Dei, quæ sit favor novus, & indeditus gratiæ habituali ratione suā intrinsecæ entitatis.

Respondet Ill. Godoy *num. 120.* concessa maiori de proportione valoris, & perfectionis, & concessa minori, negat consequentiam. Ratio discriminis est: nam ius meritorium est ius, vel fidelitatis, vel Iustitiæ, vel gratitudinis. Primum, certum est, absquē promissione non stare. Secundū etiam, & tertium nequeunt in pura creatura absquē pacto Dei superaddito operum dignitati subsistere, eo, quod Iustorum opera sunt Deo multis titulis debita: ac proinde in vi illorum non possumus Deum ex Iustitia obligare ad illa remuneranda, aut ex gratitudine ad illa gratificanda, nisi vel Deus pacificatur expressè de remuneranda merita, vel saltem alijs titulis, quibus potest illa exigere, cedat, quod est virtualitèr de illis remunerandis, aut gratificandis pacisci. Ius autem fundatum in gratia ad gloriā, vt hæreditatem, est ius solius connaturalitatis, quod est ius secundū quid, & potens comperere absquē promissione, vel pacto superadditis; sic enim iure connaturalitatis tenetur Deus infuadere species Angelo, illius creatione supposita, concurrere ad motum Cœli, supposita cœli existentia, & passionum hominis, vel cuiusvis alterius nature effluxum non impedire, supposito, quod naturam producat; atque adeo, vt gratia habitualis hoc ius connaturalitatis præstet in ordine ad gloriā, promissione Dei non indiget, nec Divina ordinatione, illius entitati extrinsecè superadditis.

Hæc tamen solutio refutatur ex dictis. Gratia enim habitualis iuxta solutionem Ill. Godoy habet insu-

lius connaturalitatis ad gloriā, vt hæreditatem: ergo tollit a gratia excellentiam, ipsi concedendam: ergo est insufficientis. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem constat ex dictis *num. 43. & 44.* Secundò: gratia habitualis iuxta solutionem Ill. Godoy habet ius connaturalitatis ad gloriā, vt hæreditatem: ergo tollit a Deo rationem supræmi dominij in iure circa sua bona: ergo mala solutio. Secunda consequentia ex prima colligitur. Prima verò apparet ex dictis *num. 40. & 54.* quā aliud sit pro nullitate, & insufficientia solutionis necessarium.

Tertia ratio est hæc: potest Deus de potentia absoluta homini existenti in gratia, gloriā in perpetuum negare; & consequenter illum ad gloriā non ordinare; sed homo sic exclusus à gloriæ consequutione, filius adoptivus non esset: ergo filiatio adoptiva non præstatur ex vi gratiæ habitualis ratione solius entitatis intrinsecæ, sed aliquid, illius entitati superadditum, necessarium est ad filiationem adoptivam salvandam. Maior constat: nam inter gloriā, & gratiam, etiam vt perpetuo durantem, non est essentialis connexio: ergo potest Deus de sua potentia absoluta homini in gratia existenti, & in illa sine fine perseveranti, gloriā in æternum negare. Minor ostenditur primò: non ita filiatio adoptiva sine acceptatione ad hæreditatem adoptantis; sed tunc casus, homo in gratia habituali existens, non esset acceptus ad hæreditatē Dei, consistentem in beatifica visione, sed potius ab illa exclusus: ergo filius adoptivus non est. Secundò: nam sine iure ad hæreditatem adoptantis, non subsistit adoptiva filiatio; sed in casu præsupposito, homo tamen in habituali gratia existens, non haberet ius ad hæreditatem Divinam; cum esset ab illa exclusus per Divinam voluntatem: ergo filius adoptivus non esset.

Respondet Ill. Godoy *num. 163.* concessa maiori, negando minorem: licet enim homo esset exclusus à gloriā actualitèr recipienda, non tamen esset privatus dignitate obtinendi gloriā, & iure connaturali, vt ad illam acceptaretur: stat enim ius exigentiæ connaturalis sine actuali possessione termini præfati iuris, sicut casu, in quo Deus sua absoluta potentia vtens, hu-

Secundò.

66

Vltimo probat conclusio.

67

Respondet Ill. Godoy.

64

Respondet Ill. Godoy.

65

Reijcitur 1

manitate producta, suspenderet passionum efluxum, actu careret humanitas passionibus sibi debitis, non tamen debito habendi illas; & pariter, casu, in quo Deus Angelo creato non infunderet species, his speciebus careret, & non tamen careret debito infusionis illarum.

68

Impugnatur.

Impugnatur hæc solutio: homo non ordinatus ad gloriam, existens tamen in gratia habituali, esset acceptus acceptatione in iure ad vitam æternam: ergo Deus non est supremus Dominus vitæ æternæ, tam in re, quàm in iure. Atqui hoc consonum non apparet: ergo homo in illo casu non esset acceptus acceptatione in iure ad vitam æternam, & consequenter solutio est nulla. Antecedens est Ill. Godoy. Consequentia patet: quia existente gratia habituali esset ius ad vitam æternam, adhuc Deo nolente. Subsumpta probatur: existentibus omnibus creaturis, tam creatis, quam creabilibus, Deus est supremus Dominus suorum bonorum, tam in re, quam in iure; sed vita æterna est bonum Dei: ergo consonum non videtur, quod Deus non sit supremus Dominus vitæ æternæ, tam in re, quam in iure. Consequentia infertur. Minor indubitabilis. Maior probata manet, n. 54.

§. V.

Solvuntur argumenta Ill. Godoy.

69

Arguit. 1.

Arguit primò Ill. Godoy num. 90. forma constituens spiritualiter genitum, constituit filium adoptivum Dei pro fundamento relationis filij adoptivi; sed grata habitualis, se sola, nullo extrinseco favore spectato, constituit spiritualiter genitum: ergo se sola, absque villo favore extrinseco, suæ entitati superaddito, filium adoptivum constituit pro fundamento relationis filij adoptivi. Consequutio est legitima. Maior constat: nam esse spiritualiter genitum est fundamentum relationis filij adoptivi, sicut esse genitum naturaliter, est fundamentum relationis filij naturalis: ergo sicut forma, vel natura constituens naturaliter genitum, constituit filium naturalem pro fundamento relationis filij: ita forma constituens genitum spiritualiter constituit filium adoptivum pro fundamento relationis filij.

Minorem probat: sicut enim naturaliter genitum, constituitur per ac-

ceptationem naturæ eiusdem speciei cum natura generantis, ita genitum spiritualiter constituitur per acceptationem naturæ convenientis analogicè cum natura Dei generantis spiritualiter; sed gratia se sola secundum suam entitatem intrinsecam, nullo extrinseco favore spectato, est participatio analogica naturæ Dei spiritualiter generantis, specialis, vel formalis, phisica, vel moralis, iuxta varias Theologorum sententias: ergo ratione suæ intrinsicæ entitatis, absque villo favore extrinseco, reddit hominem Divinæ naturæ participem, Deoque analogicè similem in natura sub conceptu naturæ; & consequenter spiritualiter genitum.

Explicat vim argumenti num. 91: accipiens naturam generantis secundum convenientiam univocam, ex vi huius acceptationis, absque aliquo superaddito, constituitur filius naturalis: ergo ex vi acceptationis naturæ Divinæ secundum convenientiam analogam, absque indigentia alicuius superadditi constituitur spiritualiter filius; & consequenter filius adoptivus; sed gratia habitualis ratione suæ entitatis intrinsicè, est participatio naturæ Divinæ secundum convenientiam analogam; & consequenter illa accipiens est similis Deo analogicè in natura sub conceptu naturæ: ergo ex vi acceptationis illius, nullo extrinseco favore expectato, constituitur accipiens, spiritualiter genitus, & consequenter filius adoptivus Dei.

Respondeo primò: hoc argumentum Ill. God. vt ab ipso proponitur, solum probare: gratiam habitualem constituere filium Dei adoptivum, vel phisicè, vel moraliter, quod est certum apud omnes; vnde nihil contra nos probat, dum pro se non probat, quod phisicè, & non moraliter, filium Dei adoptivum constituat. Quod autem hoc non probet, ex ipso argumento demonstro: eo modo gratia habitualis constituit filium Dei adoptivum, quo est participatio analogica naturæ Dei spiritualiter generantis; sed gratia habitualis est participatio naturæ Dei spiritualiter generantis, phisica, vel moralis iuxta varias Theologorum sententias, vt ipse in argumento faetur: ergo gratia habitualis ex vi argumenti Ill. God. constituit filium Dei adoptivum, vel phisicè, vel moraliter.

Probat minorem.

71

Confirm.

72

Respond. 1.

70

73
Quaedam
Ill. Godoy.
equivoca-
tio.

Ex hoc itaque, quod evidens est, duo apparent in argumento Ill. Godoy. Primum est: se valde æquivocasse in hac propositione: *Gratia se sola, nullo extrinseco favore expectato, est participatio analogica naturæ Dei, spiritualiter generantis, phisica, vel moralis*; nam repugnat, quod sit moralis participatio, & quod se sola, nullo expectato favore extrinseco, sit talis, participatio, cum moralitas consistat in favore extrinseco, ut fatetur sententia omnium Theologorum, asserentium, gratiam esse moralem participationem Divinæ naturæ, quod ipsæ etiam fateri debet. Secundum est: ipsum Ill. Godoy nobis solutionem tradidisse per verba ab ipso relata.

74
Respond. 2.

Respondeo secundò negando minorem, ad cuius probationem nego minorem, & ad confirmationem nego minorem subsumptam; quia gratia habitualis est tantum moralis participatio naturæ Divinæ, quod sine extrinseco favore stare nequit. Imò stando ad formalitatem, qua proponit argumentum Ill. Godoy, debet negari suppositum minoris ob implicitam terminorum ex dictis num. anteced. Quod autem gratia sit moralis duntaxat participatio Divinæ naturæ, constat ex dictis num. 45. 46. & 47. ex quo retorsio formetur contra Ill. Godoy.

75
Firmatur I
solutio.

76
I. Godoy
Secundò.

Deinde apparet etiam solutio. Primò: quia Iusti per gratiam dicuntur Dei, quia affectivè adhaerent Deo, & sunt unus Spiritus cum ipso iuxta illud Ioann. 1. cap. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Secundò: quia hæc affectiva unio sufficit, ut homo dicatur generari ex Deo per gratiam iuxta illud Ioann. 1. cap. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus.* Et cap. 4. citat. *Qui diligit, ex Deo natus est.* Et ad Romanos 8. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei.* Atqui hæc intelligi nequeunt de unione phisica, & substantiali, ut ostentum est num. 46. ergo intelligi debent de unione affectiva, & morali, consequenterque gratia est solù moralis participatio naturæ Divinæ.

76
Arguit. 2.

Arguit secundò num. 95. licet enim sit replica ad quandam solutionem, fervire potest pro argumento contra nostram conclusionem: ad rationem

filij adoptivi sufficit ius connaturalitatis ad illius hæreditatem, & condignitatis quoad sufficientiam, ad acceptationem ad illam; sed utrumque hoc ius præstatur à gratia habituali ratione suæ entitatis intrinsecæ, quin ad hoc indigeat favore extrinseco Dei: ergo ratione suæ entitatis intrinsecæ, abique vlllo extrinseco favore, præstat filiationem Dei adoptivam. Minor quoad primam partem ostenditur primò: naturæ namquè proportionata ad aliquem finem, debetur connaturaliter affectio illius; sed gratia habitualis est in ordine supernaturali natura proportionata cum visione clara Dei, quæ est illius hæreditas: ergo sub conditione perseverantiæ finalis est debita gratia, debito connaturali affectio hæreditatis Divinæ. Secundò: nam lumen gloriæ per modum principij proximi dat ius efficax connaturalitatis ad visionem beatificam: ergo gratia habitualis dabit per modum radicis ius connaturalitatis ad illam sub conditione finalis perseverantiæ.

Deinde quoad secundam partem probatur: nam gratia habitualis ratione suæ intrinsecæ entitatis constituit subiectum, gratum, & obiectum congruum Divinæ dilectionis simpliciter: ergo reddit dignum subiectum, cui Deus velit bonum simpliciter tale, quod est visio clara ipsius; & consequenter dat ius sufficientis condignitatis, ut ad hæreditatem Divinam acceptetur.

Denique quoad utranque partem probatur minor: nam ius connaturalitatis ad gloriam, & condignitatis sufficientis ad illam, non implicat præstari ab aliqua forma creata ratione suæ intrinsecæ entitatis; cum non possit aliqua implicatio assignari; sed non est assignabilis forma creata aptior ad hoc ius præstandum, quàm habitualis gratia, quæ est participatio specialis, aut formalis ipsius naturæ Divinæ, consistentis in radice videnti, & amandi Deum: ergo gratia habitualis ratione suæ intrinsecæ entitatis, nullo intrinseco favore expectato, dat ius connaturalitatis ad gloriam, & condignitatis sufficientis ad acceptationem efficacem ad illam; & consequenter ratione entitatis intrinsecæ constituit filium adoptivum Dei.

Respondeo primò ad argumentum, negando maiorem; quia cum

88
I. p. minoris
probat. I.

Secundò.

77
2. p. minoris
probat.

89
I. Godoy
78
Utrunque
part. minoris
probat.

95
79

adop-

Respond. 1.
ad argum.

adoptio debeat esse omnino gratuita, ut ex eius claret diffinitione, & patet in adoptione humana, de qua fatetur Ill. Godoy *num. 170.* fieri sola gratiosa acceptatione, debet oriri à mera voluntate adoptantis; vnde insufficientes debet reputari ius connaturalitatis ad hæreditatem adoptantis eo, quod sit contra rationem adoptionis, quia tale ius connaturale minueret in Deo rationem supramij dominij, liberi, & independentis, ut dictum manet à *num. 37. usque ad 45. & 54.*

80

Respond. 2.

Ad 1. prob.
minoris.

Respondeo secundo omnia maiori, negando minorem pro vtraque parte, ad cuius primam probationem pro prima parte concessa maiori, distinguo minorem: gratia habitualis philosophice considerata, seu ex natura sua, vel in esse qualitatis, est in ordine supernaturali natura proportionata cum visione clara Dei, nego minorem; in esse gratiæ, vel moris, aut prout subest Divinæ ordinationi, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque aliud est loqui de gratia in esse gratiæ, & in esse qualitatis. Primo modo consideratur in esse moris, seu ut subest ordinationi Divinæ, in quo sensu includit rationem qualitatis, & denominationem gratiæ, in eam derivatam ex ordinatione Divina, & in ea inclusam. At secundo modo consideratur præcisè in esse qualitatis, in quo sensu ratio gratiæ non est intrinseca, & essentialis huic qualitati, sed extrinseca, quia hæc qualitas non est ex natura sua gratia, sed ex communi lege Dei, itatuentis, per illam sibi gratiam reddere humanam naturam.

81

Ad 2.

Ad secundam probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: quia lumen gloriæ ex natura sua, & in ratione qualitatis est principium videndi Deum clarè, & intuitivè: at habitus gratiæ ex natura sua, & in ratione qualitatis est principium dilectionis Dei. In via tantum: ergo oportet, quod gratia sit principium dilectionis; sicut lumen gloriæ est principium visionis, ut paritas valeat; non verò quod sit principium iuris ad visionem, quia lumen gloriæ non emanat à gratia tanquam proprietas, ut claret ex dictis *num. 45.*

82

Ad probat.
quo ad 2.
part.

Ad probationem quoad secundam partem, distinguo antecedens: gratia habitualis ratione suæ intrinsece entitatis constituit subiectum gra-

tum, idest, ornatum dono supernaturali, & acceptabile in filium adoptivum, concedo antecedens: gratum, idest, acceptum, nego antecedens, & consequentiam; quia ad hoc requiritur ordinatio Divina, sine qua nequit homo acceptari in filium Dei adoptivum, ut ex nostris liquet probationibus. Aliter etiam distinguo antecedens: constituit subiectum gratum remotè, vel inchoatè, concedo antecedens; proximè, nego antecedens. Vel aliter: gratum, idest, congruum, ut acceptetur in filium, concedo antecedens; gratum, idest, dignum acceptationis, nego antecedens, & consequentiam.

Et ne videatur hoc contradicere ad ea, quæ *num. 19.* diximus, explicatur secunda distinctio, ex cuius explanatione constabit tertia. Gratia enim habitualis ratione suæ intrinsece entitatis duo habet; nam est spiritalis decor, seu pulchritudo accidentalis animæ nostræ, effectivè supernaturaliter à solo Deo producibilis, ut docet Scotus in *4. dist. 16. quest. 2. §. Ad solutionem;* & est etiam principium diligendi Deum supernaturaliter, ut diximus *numer. 32.* Ex his itaque, licet gratia non habeat exigentiam connaturalem proximam, ut ea ornatus acceptetur à Deo in filium adoptivum; habet tamen saltem remotam, vel inchoatam, quæ est congruentia, ut in talem filium acceptetur. Vnde solum concedimus gratiæ ex natura rei congruentiam, ut Deus illam eligeret, ad tribuendum effectum filiationis adoptivæ; non verò quod ex natura rei habet in actu primo virtutem adæquatam ad prædictum effectum tribuendum, quod est duntaxat, quod à gratia relegavimus *num. 19.* contra Suarez, & alios citat *num. 16.*

Vnde sine præiudicio nostræ, & Scoti opinionis, potest dici, quod gratia ex natura sua nos remotè constituit filios Dei adoptivos, non quia ex natura sua sit in actu primo adæquatè potens ad hunc effectum præstandum, ut habet calor ad expellendum frigus, & aliqui Scotistæ non benè dixerunt, de quorum numero videtur esse Felix de Gratia *cap. 8. diff. 8. num. 9.* in hoc Suarezium sequens; sed quia ratione duorum effectuum sibi connaturalium, quos *num. anteced.* retulimus, nos reddit quodammodo, vel congruentè, aptos, & propor-

83

Explicatur

84

Amplius
explicatur.

tionatos, vt in filios Dei adoptemur, quæ est ratio, cur Deus hanc formã, potius quam aliam, deputavit ad prædictum effectum tribuendum, & ad quod firmandum, diximus *num. 33.* est vaidè utilis probatio Scotistarum posita *num. 32.*

85
Solutio aliorum ad probat. pro vtraque parte.

Ad probationem pro vtraque parte aliqui omittunt maiorem, quæ omiſſa, concedunt minorem, præcindendo à falsitate suppositi in ipsa contenti, scilicet, quod gratia sit formalis participatio Divinæ naturæ, quia asserunt, esse participationem Divinæ voluntatis, & negant consequentiam, quia re vera non sequitur: nam potest esse ratio, vt gratia habitualis, licet aptior sit, non præstet de facto effectum adoptivæ filiationis ex natura sua, quamvis non sit ratio, vt implicet forma ex natura sua, filium Dei adoptivum constituens. Sed quidquid sit de hac solutione, quæ in rei veritate non displicet.

86
Vera solutio.

Respondeo negando maiorem primo: quia implicat forma creata, quæ adoptionem Dei faciat minus gratuitam, quam adoptio. Secundo: quia repugnat forma creata, quæ Deum faciat minus dominum suorum bonorum, quam homo est circa sua. Tertio: quia implicat forma creata, quæ à Deo tollat esse supremum dominium suorum bonorum. Quarto: quia implicat forma creata, quæ adoptionem Dei faciat deterioris conditionis, quam est humana. Et denique: quia repugnat forma creata, quæ a Deo auferat rationem perfectissimi dominij. Quæ omnia necessario fatenda videntur ex dictis *num. 40.* & *54.* si esset forma creata, quæ ex natura sua, independentè à Dei voluntate, vel divina ordinatione, constitueret filium Dei adoptivum.

87
Arguit. 3.

Atquit tertio Ill. Godoy *num. 97.* forma namquæ se sola de facto iustificans, se sola absquæ vilo favore extrinseco filium adoptivum constituit; sed gratia habitualis se sola, est forma de facto iustificans; ergo se sola absquæ vilo favore extrinseco constituit filium adoptivum Dei. Illatio tenet. Maior constat ex Tridentino *Sess. 6. de Iustification. peccatoris,* diffiniens ait: *Esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Salvato-*

rem nostrum: ergo forma se ipsa præstans Iustificationis effectum, se ipsa transfert hominem ab itatu filij primi Adæ ad itatum filiationis adoptivæ; & consequenter se ipsa filium adoptivum constituit. Minor autem probatur ex Tridentino *Sess. 6. relata cap. 7.* vbi docet, vnicam causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiam nobis inhærentem intrinsecè; sed idem est, esse vnicam causam formalem, atque esse adæquatam causam: ergo gratia habitualis, quæ est iustitia nobis inhærens, est adæquata causa nostræ iustificationis; & consequenter se sola præstat iustificationis effectum; nam forma, quæ cum alterius consortio præbet aliquem effectum formalem, nec est vnica, nec adæquata causa formalis illius.

Augetur difficultas primò: quia namquæ ex voluntate, & gratia conflatur adæquata causa efficiens operis salutaris, falso assereret, qui diceret, voluntatè creatam esse causam adæquatam efficientem illius, & se opponeret Paulo dicenti: *Non ego solus, sed gratia Dei mecum:* ergo qui docet, ex entitate intrinseca gratiæ, & acceptance extrinseca Dei, aut ex valore acrescenti gratiæ ex illa, conflari adæquatam causam formalem nostræ iustificationis, filiationisque adoptivæ, se opponunt Tridentino asserenti, gratiam, seu iustitiam nobis inhærentè esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis, & nostræ filiationis adoptivæ.

Confirmatur, & vrgetur secundo: si namquæ ex entitate intrinseca gratiæ, & valore resultante ex acceptance extrinseca confurgeret adæquata causa formalis filiationis adoptivæ, principalius præstaretur à extrinseco favore, quam à iustitia nobis inhærente: ergo diminutè processisset Concilium, dum assignans omnes causas nostræ iustificationis, non meminisset favoris extrinseci, tanquam causæ illius formalis, sed tantum iustitiæ inhærentis; sicut si assignans causas operis salutaris, subijceret gratiam principaliter concurrentem, & solum mentionem faceret liberi arbitrij creati, minus principalem influxum præbentis. Probat antecedens: favor extrinsecus Dei adtribuitur a contrarijs Authoribus, vt præbens gratiæ dignitatem, & valorem ad

88
Confirm. 1.

89
Confirm. 2.

præstandum effectum formalem, quæ in se non continet ratione propriæ entitatis; sed forma præbens virtutem, & continentiam effectus, principalius concurrat ad illum, quam forma recipiens continentiam, & virtutem, quam ex se non habet: ergo principalius concurreret ad filiationem adoptivam favor extrinsecus Dei, quam iustitia nobis inhærens.

Denique confirmatur, & vrgetur difficultas: nemo enim negare potest, maiori cum proprietate verba Concilij explicari concessa entitati intrinsecæ gratiæ vi ad constituendum se ipsa filium adoptivum Dei, quâ hac virtute negata, expectatoque favore extrinsecus Dei; sed in hac vi entitati gratiæ intrinsecæ, & adæquata, nulla repugnantia invenitur: ergo concedenda est gratiæ, & consequenter dicendum, se ipsa ex vi suæ intrinsecæ entitatis; absquæ indigentia intrinsecæ acceptationis, præstare filiationem adoptivam.

Hoc argumentum ex Concilio deductum ferè sine fundamento contra nostram sententiâ obijcitur. Concilium namquæ solum dicit: Deus impios iustificare per divinam suam gratiam intrinsecè in anima inherentem, quam vocat iustitiam, & sanctitatem; quod totum nos gratis concedimus; at quod prædictos effectus præstet ex sui natura, & phisicè, non autem moralitèr, nec quidem levitèr insinuat, vndè verissimile est, Concilium loqui de gratia, provt substat ordinationi Divinæ, secundum quâ statuit, hominem, gratiam habentem, liberari à peccato, & fieri filium Dei adoptivum, vt claret ex dictis §. 2. & amplius ex dicendis constabit.

Vndè ad argumentum respondeo primò, distinguendo minorem: gratia habitualis in esse gratiæ, se sola, est forma de facto iustificans, concedo minorem; in esse qualitatis, nego minorem; cuius probationem distinguo: Trident. docet: unicam causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiâ nobis inhærentem intrinsecè, & in esse iustitiæ, concedo maiorem; in esse qualitatis, nego maiorem, & concessa minori, distinguo primum consequens: gratia habitualis in esse gratiæ est adæquata causa nostræ iustificationis, concedo consequentiam; in esse qualitatis, nego consequentiam,

qua distinctione distinguo secundum consequens, cuius probationem distinguo: forma, quæ cum consortio alterius, vt alia causa, præbet aliquem effectum formalem, nec est unica, nec adæquata causa illius concedo; cum consortio alterius, non vt alia causa, sed unicam causam faciente, nego.

Quando itaque Concilium docet: gratiam esse unicam causam formalem nostræ iustificationis, loquitur, vt diximus, de gratia in esse gratiæ, seu vt subest ordinationi Divinæ, quia ex illis duobus, nempe, qualitas gratiæ, & Divina ordinatio, phisicè coniunctis, fit unica causa formalis moralis, vt patet in cæteris causis moralibus, præsertim efficientibus, vbi multoties plures phisicæ formalitates vnum ens morale constituunt. Nequæ obstat, quod ponantur duo, nempe, entitas phisica gratiæ, & Divina ordinatio. Non (inquam) obstat: quia Divina ordinatio non facit aliâ causam formalem, sed gratiæ entitas, & Divina simul ordinatio, in gratiæ entitate inclusa, faciunt unicam causam formalem nostræ iustificationis, in nobis intrinsecè inhærentem, vt notavit optimè Scotus in 1. dist. 17. quest. 2. §. Sed tunc est.

Quæ doctrina validissimis firmatur exemplis: nam Baptismus est vnicum Sacramentum formalitèr, licet varias habeat phisicas entitates, & extrinsecas Dei ordinationes, quibus in esse tali Sacramentali constituatur. Item: Ordo vnicum est Sacramentum formalitèr, licet in esse tali Sacramentali constituatur ex phisica entitate, & extrinsecæ Dei ordinatione. Deindè: Innocentius XII. est vnicus totius Ecclesiæ Pontifex, quin hoc ei ex natura rei conveniret, estò ad hoc munus supponeretur idoneus, sed per favorem, & extrinsecam electorum ordinationem. Omitto plura alia exempla, quæ possunt afferri, quia sufficienter per hæc probatur: phisicam entitatem gratiæ, & divinam simul ordinationem facere unicam causam formalem nostræ iustificationis, quod retorquendo contra Ill. Godoy ex dictis num. 48. potest demonstrari, quo facto nullitas argumenti apparebit.

Respondeo secundò ad prædictum argumentum, negando minorem, ad cuius probationem cõcesso syllogismo, nego subillatam consequen-

93
Explicatio
solutio.

94
Firmatur
solutio va-
lidissimis
exemplis.

95
Respond. 2.
ad argum.

90
Confirm. 3.

91
Intentum
Concilij
Trident.

92
Respond. 1.
ad argum.

tiam, & eius probationem distinguo: forma, quæ cum alterius consortio præbet physicè aliquem effectum formalem, nec est vnica, nec adæquata causa formalis illius concedo; forma, quæ cum alterius consortio præbet moraliter aliquem effectum formalem, nec est vnica, nec adæquata causa formalis illius nego. Solutio claret: nam forma, v.g. qualitas Characteris Baptismalis, & ordinis cum alterius consortio, scilicet, impositione Christi, & ordinatione Divina, præbent effectus formales, quorum quilibet Character est vnica, & adæquata causa formalis effectus sibi correspondētis; ex quo fiat etiam contra Ill. Godoy retorsio, quia quantum ad hoc, quod est nostrum intentum in prædictis paritatibus adducendis, omnimoda currit paritas de gratia, & Characterē, licet quantum ad alia sit inter illas differentia. Et iuxta hanc doctrinā.

96
Ad 1. confirm.

Ad primam confirmationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: nam voluntas, & gratia sunt causæ efficientes physicæ partiales partialitate causæ, quarum quælibet ex natura sua habet virtutem partialem immediatam, ad influendum in opus salutare, sicut de intellectu, & lumine respectu visionis diximus tom. 1. in 1. sent. disp. 16. cum Scoto; & iuxta Ill. Godoy lumē habet virtutem immediatam, & intellectus mediatam mediatione virtutis, & immediatam immediatione potentia, vt fatetur tom. 1. in 1. part. disput. 16. Quod sufficit, vt sint causæ partiales partialitate causæ. Ceterum entitas gratia, & extrinseca acceptatio, nec sunt causæ efficientes, nec physicæ, nec partiales, sed vnica causa formalis moralis ex proximè supra dictis.

97
Ad 1.

Ad secundam distinguo antecedens: si ex entitate intrinseca gratia, & valore resultante ex acceptatione extrinseca consurgeret adæquata causa formalis filiationis adoptiva, conflata ab entitate gratia, & acceptatione, tanquam ex duabus causis partialibus, principaliter præstaretur ab extrinseco favore, quam à iustitia nobis inhaerente, omitto antecedens; conflata ex entitate gratia, & acceptatione, facientibus vnica causam formalem filiationis adoptiva, nego antecedens, & distinguo consequens: si

favor extrinsecus, & entitas iustitia essent duæ causæ partiales, omitto consequens; si sunt, vt ita sunt, vnica causa formalis, nego consequentiam, & hoc tantum probat paritas causarum operis salutarij. Ad probationem antecedentis distinguo maiorem: præcisè nego maiorem; ad id, & ad faciendam cum entitate gratia vnica causam formalem, concedo maiorem; distinguoque minorem: si sint causæ distinctæ, concedo minorem; si sint vnica causa, nego minorem; & distinguo similiter consequens. Totum patet ex num. anteced.

Ad ultimam confirmationem respondeo primo omiſſa maiori, negando minorem; repugnat enim forma creata, quæ ex natura sua tribuat formaliter effectum filiationis adoptiva, vt constat ex dictis num. 86. Respondeo secundo, negando maiorem; quia maiori cum proprietate verba Concilij explicantur, negata entitati physicæ gratia vi ad constituendum se ipsa filium Dei adoptivum, quam hac virtute concessa. Cuius ratio est: nam Concilium nullibi adhuc leviter insinuat, gratiam physicè esse formam sanctificantem, & multoties insinuat, gratiam, & favorem extrinsecum esse talem formam, vt probavimus §. 2. Et retorqueo contra Ill. Godoy ex dictis num. 16. 27. & 28.

Ill. Godoy aliud argumentum contra nostram primam conclusionē non adducit; quia tamen aliqua sunt, quæ in Scoti opinione difficultate non carent aliqua argumenta proponam, vt magis opinio Scoti clarescat. Pro quo fit.

§. VI.

Aliqua solvuntur argumenta.

Arguitur primò contra primam conclusionem: ratio formalis cuiuscumque rei, per quam à quocumque non tali distinguitur, est ipsi summè, & plusquam naturalis; sed reddere hominem Deo gratum, est ratio formalis, per quam gratia distinguitur à quocumque non tali: ergo reddere hominem Deo gratum, est gratia summè connaturale: ergo connaturale est gratia constituere hominē filium Dei adoptivum. Probatur minor: reddere hominem Deo gratum, est ratio formalis, per quam gratia distinguitur à Charitate: ergo redde-

98
Ad 3. respond. 1.

Secundò.

99

100
Arguit 1. contra 1. conclusionē

Prob. min.

re hominem Deo gratum, est ratio formalis, per quam gratia distinguitur à quocumque non tali. Probat^{ur} antecedens: gratia respicit Deum, ut diligentem; Charitas verò, ut diligibilem: ergo reddere hominem Deo gratum, est ratio formalis; per quam gratia distinguitur à Charitate. Consequentia videtur certa. Antecedens verò est Scoti in 2. dist. 27. §. *ideò alia est opinio dicentis: Respondeo: Charitas dicitur, qua habens eam, habet Deum Charum, itaque respicit Deum, ut diligibilem; gratia est, qua Deus habet aliquem gratum, itaque ipsa respicit Deum acceptantem, sive diligentem, non autem dilectum.*

101
Respondeo.

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: ratio formalis phisica, concedo maiorem; ratio formalis moralis, nego maiorem; distinguo minorem: reddere hominem Deo gratum, est ratio formalis phisica, & moralis, per quam gratia distinguitur à quocumque non tali, concedo minorem; phisica præcisè, vel præcisè moralis, nego minorem, & distinguo consequens: ergo reddere hominem Deo gratum remotè, vel inchoatè gratum, idest, acceptabilem, vel congruum, ut acceptetur, est gratia summè connaturale, concedo consequentiam; gratum proximè, gratum, idest, acceptum, vel dignum acceptationis, nego consequentiam, & subillatam, quia hoc secundo modo debebat gratia reddere hominem Deo gratum, ut constituere filium Dei adoptivum, esset gratia connaturale. Solutio claret ex dictis n. 82. cum seqq.

102
Ad prob.
minoris.

Ad probationem minoris, prout obtare potest nostræ solutioni, nego antecedens, ad cuius probationem, distinguo antecedens: tanquam per diversos respectus, vel diversa connotata, concedo antecedens; tanquam per distinctas rationes formales, nego antecedens, & consequentiam, & hoc est, quod vult Scotus *cit.* per illas diversas respicientias; unde posset etiam negari suppositum antecedentis, quia supponit, quod gratia, & Charitas formalitèr distinguntur, quod in opinione Scoti falsum apparet, & ostenditur ex ipso.

103

Scotus itaque *cit.* in 2. in tota illa *quest.* ait: quod eadem forma absoluta in anima est, per quam anima diligit Deum, ut obiectum, & per quam

ab eo diligitur, & speciali acceptatione acceptatur; & ita eadem gratia secundum diversos respectus est forma, ob quam à Deo diligimur, & grati efficiamur, & etiam qua diligimus Deum. Undè, quatenus respicit subiectum, cui esse supernaturale tribuit, quo mediante est gratum Deo, dicitur gratia; quatenus verò reddit subiectum potens diligere Deum, dicitur Charitas. Vel clariùs: dicitur gratia relatione ad subiectum; relatione verò ad actum dicitur Charitas.

Dices contra hanc doctrinam: licet eadem forma absoluta sit gratia, & Charitas, tamen Charitas est, qua habens eam, habet Deum Charum, ideòque respicit Deum, ut diligibilem; gratia verò est, qua Deus habet aliquem gratum, ideòque gratia respicit Deum acceptantem, seu diligentem; atqui Charitas ex natura sua habet Deum Charum; respicitque Deum, ut diligibilem: ergo gratia ex natura sua est, qua Deus habet aliquem gratum, respicitque Deum acceptantem, seu diligentem, & consequenter ex natura sua filium Dei adoptivum constituit. Maior est Scoti *cit.* Minor certa. Consequentia apparet in forma.

Respondeo primò, distinguendo maiorem: eamque concedo de gratia in esse moris, seu in esse gratia, vel communi lege supposita, aut ordinatione Divina, ipsamque nego de gratia in esse qualitatis, phisicè, vel ex natura sua. Tum: quia distinctio gratia à Charitate per illos respectus locum habet duntaxat de Charitate ex natura sua considerata, & gratia moralitèr attenda; si enim utraque ex natura rei consideretur, nulla est per illos respectus distinctio. Tum: quia in hoc sensu loquitur Scotus *cit.* & patet: nam hæc propositio: *Charitas ex natura sua respicit Deum, ut diligibilem,* est apud ipsum vera; hæc autè: *Gratia ex natura sua respicit Deum ut diligentem,* est falsa: & si aliquomodo est vera, nempe, remotè, vel inchoate, modo superius explicato: est etiam eodem modo de Charitate vera. Undè præcisè Divina ordinatione, nulla est inter gratiam, & Charitatem distinctio. Et hac doctrina supposita.

Respondeo secundò, concessis præmissis, negando consequentiam, cum subillata; quia ut Charitas habeat Deum Charum, ipsumque respiciat

Gratia, & Charitas distinguntur per diversos respectus.

104
Dices.

105
Respond. 1.

106
Respond. 2.

ex natura rei, vt diligibilem, sunt plures rationes absquē vllō incōuenienti, idque vno ore fatentur omnes Theologi; At, quod gratia ex natura rei respiciat Deum acceptantem, seu diligentem, habet plura inconuenientia, & in oppositum stant, vt diximus, tot vrgentissimæ rationes, quarum efficaciam satis declarat hæc solutio, tenendo itaque, quod eadem forma absoluta respicit Deum, vt diligibilem, & vt diligentem sub diversa ratione, & cum hoc discrimine: quod respicere Deum, vt diligibilem, conuenit formæ in genere phisico, vel ex natura sua; respicere autem Deum, vt diligentem, vel acceptantem conuenit formæ moralitèr, aut ex Divina ordinatione, vt dictum manet.

107
Arguit. 2.

Arguitur secundò: gratia ex natura rei aliquo speciali modo, ab alijs donis supernaturalibus distincto, nos facit Deo similes; sed hæc similitudo sufficiens est, vt nos constituat filios Dei adoptivos: ergo nos tales constituit. Maior patet: nam gratia est donum distinctum ab alijs donis supernaturalibus. Minor probatur: hæc similitudo fundatur in eo, quod gratia ex natura rei sit quasi natura intellectualis in ordine supernaturali; sed hæc similitudo sufficiens est ad nos constituendos filios Dei adoptivos: ergo similitudo, qua gratia nos facit Deo similes, sufficiens est, vt nos constituat filios Dei adoptivos. Consequentia est legitima. Minor certa. Maior autem est Scoti in 3. dist. 10. §. Respondeo, dicentis: *Sed dicendo, filiationem fundari in natura simili natura generantis naturalitèr; filiatio adoptiva fundabitur in natura, qua similis est creati, vt imago eius similitudine naturali, & etiam similitudine gratiæ, qua ipsam, vt natura intellectualis, potest attingere ad hereditatem adoptantis.*

108
Respondeo.

Respondeo prætermittam maiori (potest enim distingui de similitudine remota, vel proxima, vt in num. 82.) negando minorem, ad cuius probationem nego maiorem; quia gratia solum moralitèr in esse gratiæ, vel prout subest Divinæ ordinationi, est quasi natura intellectualis in ordine supernaturali, vt diximus num. 80. Et ratio est: nam gratia solum moralitèr est radix donorum supernaturalium, quatenus, scilicet, Deus decrevit dare dona supernaturalia habenti gratiam,

cuius congruentia declarata est num. 84. Nec verba Scoti aliud docent; loquitur enim Scotus de gratia moralitèr, & supposita lege communi, seu ordinatione Divina.

Arguit tertio: hominem esse supernaturalitèr gratum, est esse amicum, & filium Dei; sed esse supernaturalitèr gratum, ex natura rei, & ex terminis, est à supernaturali gratia: ergo gratia habitualis se ipsa adequatè constituit filium Dei adoptivum. Probatur minor: esse supernaturalitèr gratum, est phisica denominatio à supernaturali gratia: ergo esse supernaturalitèr gratum ex natura rei, & ex terminis est à supernaturali gratia. Probatur antecedens: gratia ex natura rei est gratia: ergo. Probatur antecedens: gratia ex natura rei est aliqua forma supernaturalis specifica: ergo gratia ex natura rei est gratia.

109
Arguit. 3.

Respondeo primò distinguendo maiorem triplici distinctione posita num. 82. qua etiam distinctione distinguuntur omnes propositiones argumenti. Ceterum sumendo *gratum* pro *accepto*. Respondeo secundò concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem nego antecedens, ad cuius probationem nego etiam antecedens, ad cuius probationem concessio antecedenti, nego consequentiã; quia gratia ex natura rei est Charitas, vt dictum est num. 105. & 106. non verò gratia, quia gratia in esse gratiæ non est quid phisicum, sed morale ex communi lege Dei, & Divina ordinatione, statuente, per illam sibi gratam, vel acceptam habere naturam humanam, vt diximus num. 80.

110
Replicat. 1.

Secundò.

Arguitur quartò, & est replica contra solutionem datam: gratia ex natura rei est habitus supernaturalis: ergo aliquem effectum vt sibi connaturalem exigit. Consequentia patet: nam lumen gloriæ, quia est supernaturalis habitus, petit visionem sibi connaturalem, fides actum fidei, &c. Summo nunc: sed gratia non potest habere aliquem effectum, nisi reddere hominem gratum: ergo gratia ex natura rei reddit hominem gratum.

111
Arguit. 4.

Dices primò: habere gratiam pro effectum connaturali dilectione supernaturalem. Contra: hic effectus non est peculiaris gratiæ, vt potè, Charitati communis; sed gratia ex natura rei distinguitur à Charitate: ergo ex na-

112
Dices 1.

Dices 2.

Contra.

113

Respondeo.

tura rei habet effectum sibi connaturalem à Charitate distinctum. Dices secundo: habere pro effectu connaturali decorare animam spiritualiter. Contra: hic effectus non est specialis gratiæ, quia est omnibus donis supernaturalibus communis: ergo alium specialem habet: ergo gratum reddere hominem.

Respondeo ad argumentum: gratiam vtrumque habere pro effectu sibi connaturali, scilicet, decorare animam, & esse principium diligendi Deum supernaturaliter, ratione quorum habet pro effectu connaturali, ab omni alio dono, ab ipso distincto, reddere hominem gratum remore, seu inchoatè, vel acceptabilem in filium Dei adoptivum, aut congruum, vt acceptaretur, vt diximus num. 82. & 83. & 84. cuius doctrina ad argumentum in forma, concessio antecedenti cum consequentia, tripliciter debet distingui subsumpta, & consequens. Nec obest, quod hic effectus sit Charitati communis, quia vt dictum est, gratia ex natura rei est à Charitate indistincta, ideòque eundem effectum ex natura rei debent habere.

114

Arguit. 5. ex Concil. Trident.

Arguitur quinto: ex Concilio Tridenti. Sess. 6. cap. 7. & Canone 11. constat: formam iustificantem debere esse quid intrinsecum nobis inhærens; sed solum entitas physica gratiæ intrinsicè inhæret: ergo sola entitas gratiæ physica iustificat, & consequenter sola entitas gratiæ filii Dei adoptivum constituit. Probatum minor: intrinseca inhærentia solum in physicis entitatibus datur: ergo solum entitas physica gratiæ intrinsicè inhæret. Respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens, quia pactum inhæret inhærentia sibi convenienti, & eo modo, quo dicitur inhære in physica entitate gratiæ, ita in nobis.

Respondeo.

115

Arguitur denique.

Arguitur denique: Deus elevat gratiam, vt sit sanctificans forma: ergo ex natura rei potens est sanctificare. Probatum consequentia: ex impotentia elevationis, & elevationis potentia infertur, gratiam (si à Deo elevatur ad sanctificandum) ex natura rei posse sanctificare; sed per te Deus elevat gratiam, vt sit sanctificans forma: ergo ex natura rei potens est sanctificare. Probatum maior: ideò creatura impotens est elevari ad crea-

dum (idem de oculo corporeo respectu visionis beatæ) quia ex natura sua impotens est ad talem effectum præstandum; & ideò intellectus potens est elevari ad visionem beatam, quia ex natura sua potens est, talem visionem producere: ergo ex impotentia elevationis, & elevationis potentia infertur, gratiam ex natura rei posse sanctificare. Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem nego maiorem; & ad illius probationem vtranque propositionem distinguo: primam sic: ideò creatura impotens est elevari ad creandum, quia impotens est ex natura sua ad talem effectum præstandum præcisè nego; & quia non datur congruentia ad talem effectum præstandum, concedo. Secundam sic: ideò intellectus potens est elevari ad visionem beatam, quia ex natura sua potens est, visionem physicè producere, concedo; moraliter tantum nego. Et hæc distinctio potest etiam primæ propositioni applicari. Dices: ergo ad effectum moraliter præstandum non requiritur in causa potentia ex natura rei ad talem effectum præstandum: ergo sicut elevatur gratia ad effectum sanctitatis præstandum, potest etiam elevari calor, quod est falsum. Nego paritatem; quia debet dari in forma elevabili aliqua congruentia.

Respondeo.

Dices.

Respondeo.

§. VII.

Quid de potentia absoluta dicendum?

Secunda conclusio: Non implicat contradictionem, esse filium Dei adoptivum sine gratia habituali. Conclusionem istam docuit Scotus in 1. dist. 17. quest. 2. §. De secundo artic. Et quodlib. 17. §. Ad argum. principale. Eamque tuere tenentur omnes, qui affirmant, possibilem esse de potentia Dei absoluta effectum sanctificationis sine gratia habituali. Colligitur necessario ex prima conclusione, ex qua probatur primò: esse filium Dei adoptivum est effectus moralis gratiæ, quia à Deo fuit ordinata ad talem effectum præstandum: ergo non implicat contradictionem, esse filium Dei adoptivum sine gratia. Antecedens patet per dicta in tota disputatione. Consequentia etiam patet: nam sicut Deus ordinavit gratiam ad præstandum effectum filiationis adopti-

116
2. Conclus.

Probat. 1.

væ, potuit ordinare aliquam qualitatem ad præstandum illum effectum, vel illum præstare ex beneplacito sua voluntatis; cum talis effectus sit omnino gratuitus, & à sua voluntate dependens duntaxat. Et hæc est ratio, quæ mihi magis placet, quia per ipsam potest argui ratione, quæ ex assignatis §. 3. melius placuerit.

117
Probatur 2

Probatur secundo conclusio: non implicat, hominem sanctificari sanctitate positiva sine gratia habituali. Item: potest Deus de sua potentia absoluta velle homini efficaciter gloriam absque voluntate efficaci conferendi gratiam habitualem. Item: potest Deus de potentia absoluta hominem beatificare sine gratia habituali. Atqui homo in his casibus esset filius Dei adoptivus: ergo non implicat contradictionem, esse filium Dei adoptivum sine gratia habituali. Maiorem concedit Ill. Godoy num. 185. 189. & 201. Minor probatur: homo in primo casu haberet ius ad gloriam per modum hæreditatis; in secundo esset homo gratuite assumptus ad hæreditatem Dei, & in tertio homo esset Sanctus per internam Sanctitatem; sed homo habens ius ad gloriam per modum hæreditatis, & homo ad illam gratuite assumptus, Sanctusque per internam Sanctitatem, filius Dei adoptivus est: ergo homo in illis casibus esset filius Dei adoptivus.

118
Respondet
Ill. Godoy.

Hæc probatio includit triplicem rationem, quam sibi obiecit Ill. Godoy, & sub vna proposui, quia eadem ad omnes solutione vitur, quæ consistit in eo, quod homines constituntur filij Dei adoptivi per participationem naturæ Divinæ; cumque sola gratia habitualis sit talis participatio, sine gratia habituali repugnat filiatio Dei adoptiva. Unde ait: quod ius ad gloriam per modum hæreditatis debet fundari in participatione Divinæ naturæ; assumptio gratuita debet esse communicans affectivè naturam, & Sanctitas debet esse participans naturam Divinam sub conceptu naturæ. Sic Ill. Godoy num. citat. Cæterum quam falsa sit hæc solutio, constat ex dictis num. 45. 46. & 47. & amplius constabit ex solutione argumentorum.

Impugnat.

(S)(S)(S)

§. VIII

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

Relicta duplici probatione, qua num. 178. & 179. probat Ill. Godoy suam conclusionem, quia prima procedit, supposita sententia docente, non posse peccatum remitti de potentia absoluta sine gratia habituali, & secunda ex suppositione sententiæ docentis; quod positiva Sanctificatio non potest præstari, nisi à gratia habituali; vtrunque enim cum Scoto negamus. Arguit primò num. 180. ab his sententijs præscindendo: nam idem est, esse filium Dei adoptivum, quod esse spiritualiter genitum; sed implicat, esse genitum spiritualiter sine gratia habituali: ergo implicat, sine illa esse filium Dei adoptivum. Maior constat paritate filiationis naturalis, in qua idem est, esse filium, ac esse naturaliter genitum, loquendo de filiatione pro fundamento: ergo pariter.

Minor autem probatur: esse genitum spiritualiter est procedere vivens vita spirituali à Deo in similitudinem naturæ, ad quod necessarium est, vivere radicaliter vita spirituali, & Divina; sed implicat, vivere vita spirituali, & Divina radicaliter sine gratia habituali; actus enim Charitatis, & visio intuitiva Dei, alijque supernaturales actus non dant vitam radicalem, nec proximam, sed actualem consistentem in vitali operatione: lumen gloriæ, habitus Charitatis, & aliæ supernaturales virtutes non dant vitam radicalem, sed proximam; Deitas unita extrinsecè, & acceptatio Divina nullatenus possunt vitam radicalem, proximam, aut actualem præstare, nam ad quemlibet ex his modis vivendi, requiritur, vel identitas formæ vitalis cum subiecto vivente, vel inhesio, & informatio intrinseca, quorum quodlibet repugnat Divinitati respectu subiecti creati, & extrinsecæ acceptationi; & consequenter vita radicalis solum potest à gratia habituali præstari: ergo sine illa implicat, esse spiritualiter genitum.

Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: esse genitum spiritualiter phisicè, concedo maiorem; moraliter, & affectivè, subdistinguo: est procedere vivens vita spirituali, impropria; methaphorica, &

119
Arguit. 1.

120
Probatur
minor.

121
Respondeo
ad argum.

morali concedo; propria, & phisica, nego maiorem, & minorem; quia cū gratia habitualis non sit phisica radix operationum vitalium ordinis supernaturalis, vt semper falso supponit Ill. Godoy; sed tantum radix moralis per favorem Dei extrinsecum, seu quatenus Deus decrevit, dare habitus supernaturales habenti gratiam; potuit Deus aliam qualitatem destinare, vel per suam voluntatem id facere sine qualitate intrinsicè inharēte. Solutio claret ex dictis, & tot repetitis, præsertim *num. 74. & 75.* ex quibus fiat retorsio.

122
Arguit. 2.
Arguit secundò *num. 181.* ad omnem filiationem requiritur convenientia filij cum Patre in natura, ad naturalem convenientia per generationem accepta, ad adoptivam civilem, ante adoptionem supposita, nisi enim vnus homo cum altero conveniret in natura sub conceptu naturæ, non posset ab illo in filium adoptari: ergo ad filiationem spirituale supernaturalem, qualis est filiatio adoptiva Dei, necessario exigitur convenientia cum Dei in natura Divina sub conceptu supernaturalis naturæ. Patet consequentia à paritate rationis; sed implicat convenientia creaturæ rationalis cum Deo in natura sub conceptu naturæ supernaturalis sine gratia habituali: ergo implicat sine illa filiatio adoptiva Dei. Probatur minor: essentia gratiæ habitualis consistit in hoc, quod est, esse participationem formalem, vel specialem naturæ Dei sub conceptu naturæ: ergo implicat forma istum conceptum participans, quæ habitualis gratia non sit; sed implicat convenientia creaturæ rationalis cum Deo in natura sub conceptu naturæ, sine forma participante formalitèr, aut specialitèr naturam Divinam sub ratione, & conceptu naturæ: ergo implicat convenientia creaturæ rationalis cum Deo in natura sub conceptu naturæ sine gratia habituali.

123
Respondeo.

Respondeo ad argumentum, distinguendo antecedens: ad omnem filiationem requiritur convenientia phisica, vel moralis filij cum Patre in natura, concedo antecedens; phisica præcisè, nego antecedens; & distinguo consequens: exigitur convenientia moralis cum Deo in natura, concedo consequentiam; phisica, nego

consequentiam; hæc enim est impossibilis, vt demonstratum est *num. 46.* Nego sumptimè, & ad illius probationem, distinguo antecedens: essentia gratiæ habitualis consistit in hoc, quod est, esse participationem formalem, vel specialem moralem naturæ Dei, concedo antecedens; phisicam, nego antecedens, & consequentiam. Hanc solutionem fatetur Ill. Godoy *numer. 91.* ob quod tale argumentum ex participatione deductum vim contra nos non habere, diximus *num. 72.* & æquívocationem Ill. Godoy declaravimus *num. 73.* veritasque solutionis nostræ, & in ipsum retorsio *ex num. 74. & 75.* apparet.

Arguit deniquè *num. 182.* implicat, Deum filium adoptivum efficere sine affectu efficaci communicandi suam naturam sub conceptu naturæ; sed iste affectus implicat sine gratia habituali secuta: ergo implicat Deum, filium adoptivum efficere sine gratia habituali. Minor est certa: nam voluntas efficax Dei infallibilitèr infert effectum, ita, vt implicet, Deum efficacitèr velle, & non effici, quod vult: ergo implicat, efficacitèr velle communicare suam naturam, quin de facto illam communicet; hæc autem comunicatio implicat sine gratia habituali; & consequenter implicat affectus efficax Dei comunicandi suam naturam sine gratia habituali.

Maiores autem in hunc modum ostenditur: actio effectiva filij debet esse communicativa naturæ realitèr, vel effectivè: primum constat in actione efficiente filiationem naturalem, quæ realitèr naturam generantis comunicat: secundum in filiatione adoptiva civili, quæ non salvatur in sola acceptatione vnus ad hæreditatem alterius, sed insuper requirit affectum comunicandi naturam, si foret adoptanti possibile; vnde explicatur per adverbium, *utinam esses meus filius,* ex parte adoptantis: ergo adoptio etiam Divina petit ex parte Dei affectum comunicandi naturam; at in Deo non sufficit affectus inefficax; homini namquè in peccato mortali existenti, inefficaci affectu vult suam communicare naturam, qui tamen filius adoptivus non est: ergo requiritur affectus efficax.

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: comunicatio-

124
Arguit deniquè.

125
Ostenditur maior.

126

Respondeo
ad maiore
argumenti.

ne phisica, vel morali, concedo maiorem; phisica præcisè, nego maiorem, & iuxta hanc distinctionem ad illius probationem distinguo antecedens: affectivè ad communicandam naturam realitèr, vel moralitèr, concedo antecedens; realitèr præcisè sub distinguo: sub conditione, quod esset possibile omitto antecedens; si est impossibile, nego antecedens, & distinguo similiter consequens. Adoptio itaque, tam humana, quam Divina, est communicatio naturæ affectivè, seu moralitèr tantum, quod autem in vtraque sit affectus communicandi naturam realitèr, si foret adoptanti possibile, hoc nihil facit, vt adoptio sit communicatio naturæ realitèr; cum hoc in vtraque repugnet, & in morali communicatione vtraque conveniat, & ex hoc argumentum sumpsimus contra Ill. Godoy n. 58. & 59. ex ibique dictis in ipsum fiat retortio.

127
Respond. ad
minorem.

Hac igitur distinctione ad maiorem argumenti supposita, nego minorem, ad cuius probationem concessio antecedenti cum consequentia, nego minorem; quia cum communicatio naturæ Divinæ non sit phisica, nec possit esse, vt potè, repugnat ex dictis num. 46. est tantum moralis per favorem Dei extrinsecum, quatenus, scilicèt, Deus decrevit, in filium suum adoptare habentem gratiam, de quo rationem dedimus num. 84. Quo stante, potuit Deus per suam solam voluntatem filios adoptivos facere, sicut in humanis contingit, vel aliam qualitatem destinare ad adoptandū, vt toties manet repetitum.

§. IX.

Corollaria præcedentis doctrine.

128

EX dictis in discursu disputationis octo corollaria tradit Ill. Godoy à num. 209. usque ad finem disputationis. Primum est: relationem filiationis adoptivæ esse relationem realem. Secundum: adoptare creaturam rationalem in filium est commune Tribus Divinis personis. Tertium: solam creaturam rationalem esse capa-

cem filiationis adoptivæ. Quartum: Angelos existentes in gratia esse filios Dei adoptivos. Quintum: præcise existentem in gratia esse filium Dei adoptivum. Sextum: prædestinatum existentem in peccato mortali, pro tempore, quo est in illo, non esse filium adoptivum Dei, nec esse dicendum absolute filium Dei; bene tamen cum hoc addito, scilicèt, secundum electionem æternam. Septimum: Patres veteris testamenti in gratia, & Charitate existentes, verè fuisse filios adoptivos Dei. Octavum: quatuor esse gradus filiationis adoptivæ.

In omnibus his corollarijs (primo excepto) convenimus cum Ill. Godoy, eaque optimè probat contra oppositum asserentes, & ex definitione adoptionis facillimè, ideoque pro corollarijs nostre præcedentis doctrinæ habeantur. Pro primo autem, in quo litigiam habemus, dico: relationem filiationis adoptivæ Divinæ non esse relationem realem, sed rationis. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 209. & probatur primo: relatio filiationis adoptivæ Divinæ nõ sequitur realem generationem spiritualem, per quam homo accipiat gratiam habitualem; sed relatio non habens reale, & intrinsecum fundamentum, non est relatio realis, sed rationis: ergo relatio filiationis adoptivæ non est realis, sed rationis. Probatur secundo: ideo filiatio adoptiva inter homines est relatio rationis, quia sequitur ad extrinsecam acceptationem vnius hominis ab alio ad illius hereditatem, quæ nihil reale intrinsecum infert in subiecto adoptato; sed filiatio adoptiva Divina sequitur ad extrinsecam acceptationem: ergo est relatio rationis. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 17. §. 6. ad illa verba: Hoc solum est, quod dividit inter filios Regni, & filios perditionis. Et in 3. dist. 10. §. 3. ad illa verba: Sicut nos dicimur adoptivi filij, quia cum natura fuerimus ira filij, per gratiam facti sumus filij Dei.

129

Relatio filiationis adoptivæ divina est rationis.



DISPUTATIO

QUINQUAGESIMA TERTIA.

An Christus in quantum homo, sit filius adoptivus Dei?

§. I.

Relatis sententijs, vera eligitur, & Authoritate probatur.

Num. 1

Christus, ut Deus filius adoptivus non est.

Christum, ut Deum, vel ut subsistentem in natura Divina, Filium adoptivum non esse, nemo ex Catholicis negat; est enim veritas fidei, esse ut sic filium naturalem Patris, ipsi consubstantialem, & cœternum; ac proinde incapacem filiationis adoptivæ, quæ extraneitatem in persona adoptanda præexigit, hoc est, negationem filiationis naturalis, iurisque ad hæreditatem convenientis ipsi ex vi suæ generationis. Unde tota difficultas in eo posita est: An Christus, ut homo, vel ut subsistens in natura humana, sit Filius Dei adoptivus.

2
Sensus difficultatis.

In hoc itaque sensu, qui est huius disputationis genuinus, inquirere: An Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus? est idem, ait Mastrius in 3. disput. 2. quest. 4. num. 86. ac inquirere: An sicut Christo ratione propriæ humanitatis, convenit esse creaturam, incapisse, mortuum esse, prædestinatum esse &c. conveniat quoque esse Filium Dei adoptivum: ex cuius resolutione necessario patebit: An humanitas Christi fuerit adoptata, & possit dici Filia Dei adoptiva? Quod multum habet de nomine, ut faceret idem Mastrius citat. in initio quest.

3
1. Sententia. Ill. Godoy.

In qua, quadam sententia media relicta, quia ad nostrum intentum non pertinet, & per dicenda impugnata manebit, duplex est regione opposita versatur sententia. Prima negans est, quam tuetur Ill. Godoy cum omnibus ab ipso citatis numer. 3. Secunda sententia docet: Christum, in quantum hominem, esse filium Dei adoptivum. Hanc sententiam docuerunt expressè ex Patribus Irineus lib. 1. contra hæreses cap. 21. Marianus Victorinus lib. contra Candidum Arrianum tom. 4. Bibliotheca. Et D. Hilarius 2. de Trinitat. Illamque defendunt Durand. Rubion. Gabriel. Maior. Almainus, & probabilem repetat Ricardus in 3. dist. 4. art. 2. quest. 1. Imò Scotus in 3.

2. Sententia. Irineus. Victorin. Hilarius. Durand. Rubion. Gabriel. Maior. Almain. Ricard.

Scotus.

dist. 10. quest. 1. §. Respondeo. & etsi obijciatur. Et §. Ad argumenta. & Ista negatio. Et in Report. dist. cit. §. & v. dico igitur, ubi clariùs huic opinioni propiciatur.

Affirmat namque Doctor in 3. citat. quod si filiatio accipiatur à natura, Christus secundum humanitatem ratione gratiæ habitualis fuit adoptivus; non autem si sumatur à persona. Dixerat autem antea dist. 8. §. Ad quest. dico contra D. Thomam 3. part. quest. 23. art. 4. loquendo de filiatione naturali, quod non sumitur in creatis à persona; sed à natura. Et in Reportatis cit. num. 17. ait: posse absolute, & in rigore sermonis concedi, Christum Dominum esse Filium adoptivum Dei, si alias non timeatur periculum suspicionis hæreticorum, (quod inter Catholicos levitèr timeretur) sic enim loquitur: *Quia Sancti negarunt, Christum esse filium adoptivum Dei propter hæreticos, qui solum dixerunt eum filium adoptivum, & nullo modo naturalem: & idèd cum illis noluerunt Sancti communicare propter malum intellectum; idèd dixerunt absolute, quod non est filius adoptivus. Sicut dicit Damascenus de Beata Virgine contra hæreticum, quod ipsa non est Christocon: quia noluit communicare cum eo, qui dixit, quod tantum fuit filius Virginis secundum naturam humanam, cum quo noluit communicare; idèd dixit, quod fuit Theotocon. De virtute tamen vocis potest dici filius adoptivus Dei: sicut vnus alius homo: quia prius natura habuit naturam, quam ordinaretur ad hæreditatem. Et sic fuit sufficientèr extraneus.*

Scotum sociantur plures Scotistæ, nempe, Basolius in 3. dist. 10. quest. 1. art. 2. Tartaretus eadem dist. Felix de Incarnat. cap. 19. difficult. 1. Castillo disput. 17. quest. 1. Delgadillo cap. 15. difficult. vnic. Lichetus exponens Scotum problematicum. Rada 3. p. controvers. 5. artic. 2. docens, Scoto hoc

§
Basolius. Tartaretus. Felix. Castillo. Delgadillo. Lichetus.

esse

Rada.
Pitigianus.
Cavellus.

esse probable. Pitigianus artic. ultimo, sentiens: prædictam sententiã habere Catholicum sensum. Et Hugo Cavellus in *Scholijis super 3. sent. quest. 10.* Et præcipuè in *Reportatis.* Et hanc esse propriam Scoti mentẽ de nobo, & totis viribus propugnant Felix, Delgadillo, & Castillo cit. Imò hoc vi ita certum habet Castillo, vt num. 47. in fine hæc proferat: *Sententia hæc est communis apud nostros Scotistas in hac universitate Complutensi, & ego eã sæpè sapius in actibus generalibus, publicisque concertationibus defensavi, & defendere vidi.*

6

Sententia
affirmans
est confir-
mior prin-
cipijs Scoti

Item: est etiam hæc sententiã conformior principijs Scoti, cum quo tom. præced. disput. 20. propugnauimus: quod hæc propositio: *Deus assumpsit hominẽ, est vera in rigore, & proprietate sermonis.* Similiterque iste: *Christus est creatura: Christus incipit esse.* Et deniquè: quod hæc propositio: *Deus factus est homo, est vera in rigore, & proprietate sermonis, quod, vt apud omnes certum, supposuimus tom. & disp. citat. num. 1. & per sequentia probationes vtriusque Doctoris, Angelici, & Subtilis, declarauimus.*

7

Referuntur
censuræ.

Licet autem hæc opinio tot, & ita gravissimos Patronos habeat, variè Authores aliqui oppositæ sententiæ illã censurant. Antiquiores, quos Concilium Francfordiense latuit, nulla illam censura notarunt; post Concilium tamen hoc evulgatum quidã censent hæreticam. Ita Vazquez disput. 89. cap. 6. cui aliqui adhæserunt, & inter alios ex nostris Faber in 3. disput. 23. cap. 1. & ex Thomæ Alvaræz disput. 75. conclus. 3. Alij per extremum nulla censura esse dignam in sensu, quo à Durando, & alijs Catholicis Doctoribus præfata sententiã defenditur. Ita Lorca disput. 89. membro 3. Alij etsi hæreticam illam non censeant, docent tamen, esse omnino improbabilem. Ita Medina in *Commentario articuli ad finem, & quest. 28.* Et Suarez in *presenti disput. 49. sect. 4. conclus. 6.* Alij non solum improbabilem, & temerariam illam existimant, sed etiam errori proximam, & sapientem hæresim. Ita Araujo dub. 4. dist. 3. III. deniquè Godoy num. 225. conditionatè loquitur, de quo quid sentiendum sit, ex dicendis inferemus. Modo autem sit.

8

Nostra conclusio: *Christus, in quan-*

tum homo, est filius adoptivus Dei. Probarur primò ex duplici testimonio Ioannis cap. 4. *Ego, & Pater unum sumus: Et Pater maior me est;* sed quia in primo ly *Ego* ponitur per correlationem ad Patrem, fit sensus: *Ego Filius, & Pater unum sumus,* ex quo colligitur naturalis in Christo filiatio, secundum quam adæquetur cum Patre: ergo in secundo ly *me*, positum per correlationem ad Patrem, faciet istum sensum: *Pater est maior me Filio;* & consequenter dabitur filiatio in Christo, secundum quam non adæquetur cum Patre, sed sit minor illo; at secundum filiationem naturalem Christus non est minor Patre: ergo est in ipso constituenda filiatio adoptiva.

Confirmatur primò ex Paulo ad Romanos cap. 8. illis verbis: *Si autem Filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:* ergo Christus est cohæres noster, ac per consequens confrater; sed non est confrater noster secundum Divinam naturam: ergo secundum humanam: ex quo vterius sequitur, esse Filium Dei secundum humanitatem: nam omnes confratres sunt eiusdem Patris Filij.

Confirmatur, & vrgetur secundò: nam in eodem cap. vocatur Christus primogenitus in multis fratribus: ergo est primus inter filios adoptivos; & consequenter filius adoptivus est. Patet consequentia: nam vt explicat Glossa Ordinaria: *Christus, secundum quod unigenitus, non habet fratres; secundum autem quod primogenitus, fratres dignatus est vocare omnes, qui per eius primatum in Dei gratia renascuntur:* ergo Christus per gratiam est genitus, & vt sic primogenitus dicitur; at genitus spiritualitèr per gratiam, est filius adoptivus: ergo Christus ratione gratiæ habitualis est filius adoptivus Dei.

Confirmatur, & vrgetur tertio ex Paulo ad Hebræos cap. 1. illis verbis: *Novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quẽ constituit hæredem universorum, per quem fecit, & sæcula;* sed Christum, vt Deum, qua ratione est filius naturalis, non constituit Deus hæredem universorum: nam constituere, est libero decreto statuere: hæreditas autem omnium Christo, vt Deo, ex libero decreto non competit: ergo Christum, vt hominem; & consequenter Christus, vt homo, vel

Conclusio.

Probat. 1.
authoritate
Scripturæ.

9
Confirmat. 1.

10
Confirm. 2.

11
Confirm. 3.

secundum humanitatem, est Filius, vniuersorum haeres constitutus, cumque secundum humanitatem filius naturalis non sit, erit filius adoptivus.

Respondet Ill. Godoy ad probationem num. 171. distinguendo consequens, fiet sensus: *Pater est maior me Filio*, reduplicativè, vt filio, negat consequentiam; materialitè, vt filio, & formalitè, atque reduplicativè, vt homine, concedit consequentiam. Ex quo non sequitur, dari in Christo filiationem, ratione cuius à Patris perfectione deficiat; ac per consequens, nec filiatio adoptiva, sed tantum, quod naturalis Christi filiatio sit communicata, & vnita naturæ humanæ, ratione cuius deficiat à perfectione Patris, & sit minor illo. Quæ explicatio est Concilij Francofordiensis, vbi obijcanti Elipando illa verba: *Et Pater maior me est*: ex quibus adoptionem colligebat in Christo, respondit, non fuisse à Christo propter adoptionem dicta, sed propter humanitatem. Verba Concilij hæc sunt: *Nam Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat, ego, & Pater vnum sumus, & secundum hominem, Pater maior me est*. Et Aug. tract. 78. in Ioann. illis verbis: *Agnoscimus igitur geminam substantiam Christi, Diuinam, scilicet, quæ equalis est Patri, & humanam, quæ maior est Patre, vtraque autem simul, non duo, sed vnus est Christus*. Et D. Thomæ Ioann. 14. lect. 8. illis verbis: *Sic ergo hoc, quod dicit Pater maior me est, non dicit in quantum filius Dei, sed in quantum filius hominis, secundum quod, non solum est minor Patre, & Spiritu Sancto, sed etiam ipsis Angelis*.

Hæc tamen Ill. God. solutio impugnatur primò: in hac propositione: *Pater maior me est*, fit sensus: *Pater est maior me Filio*, reduplicativè, vt Filio: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: in hac propositione: *Ego, & Pater vnum sumus*, fit sensus: *Ego filius, reduplicativè vt filius, & Pater vnum sumus*: ergo in hac propositione: *Pater maior me est*, fit sensus: *Pater est maior me filio*, reduplicativè, vt Filio. Antecedens conceditur ab Ill. God. alioquin ipsum distingueret, sicut distinguit consequens. Consequentia probatur: ly *Ego*, & ly *me* ponuntur per correlationem ad Patrem; atqui ly *Ego* ita ponitur per correlationem ad Patrem, vt sensus sit: *Ego Filius,*

reduplicativè, vt Filius, & *Pater vnus sumus*: ergo ly *me* ita ponitur per correlationem ad Patrem, vt sensus sit: *Pater est maior me Filio*, reduplicativè, vt Filio.

Et certè hæc videtur genuina Scripturæ intelligentia, quam destruit solutio Ill. Godoy, contra quæ ex verbis Concilij, & Augustini, quæ pro sua solutione adducit, sic impugnatur secundo: Concilium solum tollit adoptionem positam à Felice, & Elipando, ponentibus in Christo duo supposita, vnum humanum, & alterum Diuinum, quod manifestè apparet ex verbis August. relati: *Non duo, sed vnus est Christus*: ergo Concilium, & Augustinus solum tollunt; quod illa propositio: *Pater maior me est*, faciat hunc sensum: *Pater est maior me Filio*, reduplicativè, vt Filio, à Felice, & Elipando posito: ergo cum filiatio à nobis posita sit valde distincta, & in nullo à Catholico sensu deficiens, nec Concilium, nec August. tollunt, quod in hac propositione: *Pater maior me est*, fiat sensus: *Pater est maior me filio*, reduplicativè, vt filio, & consequenter ruit solutio.

Impugnatur tertio: nullum est inconueniens in eo, quod hæc propositio: *Pater maior me est*, faciat hunc sensum: *Pater est maior me filio*, reduplicativè, vt filio: ergo in hoc sensu accipienda est: ergo nulla est solutio tradita. Probatur antecedens: in sententia asserentium: quod Christus, in quantum homo, est filius proprius Dei, à naturali, & adoptivo distinctus, nullum est inconueniens in eo, quod hæc propositio: *Pater maior me est*, faciat hunc sensum: *Pater est maior me filio*, reduplicativè, vt filio: ergo nullum est inconueniens. Totum est certum, & valde conforme Scripturæ, & Concilio Francofordiensi, multoties appellantis Christum filium proprium Dei, cuius opinionis est Mastrius, in quo possunt prædictæ auctoritates videri.

Impugnatur quarto: nam stante solutione Ill. Godoy, Concilium, vel nihil dicit, vel si aliquid, non est ad propositum; sed nequit hoc dici: ergo nulla est illius solutio. Probatur prima pars maioris: solvere Concilium argumentum, dicendo: illam inæqualitatem debere intelligi de Christo, vt homine, est respondere, quod hære-

12

Respondet Ill. Godoy.

14

Impugn. 2.

15

Impugn. 3.

16

Impugn. 4.

trici Intendebant probare, scilicet, Christum secundum naturam humanam esse filium Dei adoptivum: ergo nihil diceret. Secunda pars probatur: intentum argumenti est, quod detur filiatio in Christo ad Patrem, tanquam ad maiorem, quod deducitur ex verbis relatis Scripturæ; sed Concilium dicere, hoc intelligi secundum humanitatem, vel secundum quod homo est, non est ad propositum: ergo si Concilium aliquid dicit, non est ad propositum. Probatur minor: Concilium dicere: hoc intelligi secundum humanitatem, vel secundum quod homo est, est dicere: *ly me* in argumento positum, non sumi correlativè ad Patrem; sed hoc est intentum argumenti: ergo Concilium dicere, hoc intelligi secundum humanitatem, vel secundum quod homo est, non est ad propositum. Unde in rei veritate Ill. Godoy cum sua solutione verum Scripturæ sensum evertit.

17

Ad 1. confirm. respōdet Ill. Godoy.

Ad primam confirmationem respondet Ill. Godoy num. 172. Christum non solum esse filium naturalem Dei, ut subsistit in Divina natura, sed etiā ut subsistit in humana, non reduplicata, vel specificata natura, sed specificato supposito. Primo modo est filius naturalis per scientiam. Secundo modo est filius naturalis per gratiam unionis; & quia hoc secundo modo subsistit in natura nobis simili specificè, quod ad fraternitatem requiritur; fit; ut quatenus filius naturalis per gratiam unionis, sit Christus confrater noster, & nos ipsi cohæredes.

18

Ad 2.

Ad secundam respondet: Christum secundum generationem æternam, & filiationem naturalem, ut per essentiam ipsi convenientem, unigenitum esse, nec fratres habere, prout verò Filius naturalis Dei per gratiam unionis factam humanitati, & primogenitus, quatenus in humanitate subsistens voluit conformitatem suæ filiationis alijs communicari; unde Primogenitus dicitur, ut explicat D. Thomas ad allegata verba, lect. 6. Secundum collationem gratiæ, per quā illam recipientes, filiationi Christi assimilantur, non similitudine specifica, sed analogā; quia Christus est Filius naturalis per gratiam substantialem unionis, ut explicat D. Thom.

19

Ad tertiam respondet: Christum non solum esse Filium Dei naturalem

secundum Divinam naturam, sed etiā secundum humanam, non abstractè, sed concretivè sumptam: Sed secundum Divinam (inquit D. Thom. ad Hebræos 1. lect. 1. non procul à fine) sicut non est constitutus filius; cum sit filius naturalis ab æterno: ita, nec est constitutus hæres, secundum verò naturam humanam, sicut est factus Filius Dei, Romanorum 1. Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, ita, & factus est hæres universorum, & quantum ad hoc dicit, quem constituit hæredem, &c. Hæc D. Thomas. Ex quibus aperte constat, Christum, ut hominem, esse filium naturalem, & sic constitutum hæredem universorum; ac per consequens ex prædictis verbis Pauli, nullatenus colligi filiationem adoptivā.

Omnes itæ solutiones ad eandem reducantur, quare quacumque reiecta, omnes reiectæ manebunt. Reijcio itaque primam, primò: licet subsistere in natura simili specificè requiratur ad fraternitatem; non tamen ad fraternitatem sufficit: ergo ex eo, quod Christus subsistat in natura nobis simili specificè, non sufficit ad esse nostrum fratrem, quod Scriptura docet: ergo sufficiens non est solutio Ill. Godoy. Secunda consequentia ex prima evidentè infertur. Prima ex antecedenti. Antecedens verò pro prima parte est certum.

Pro secunda autem, si aliqua est difficultas, quam non reperio, probatur: ad fraternitatem ultra naturā specificè similem, exigitur necessario, imò, & essentialitèr, quod fratres habeant eandem specificè filiationem ad eundem Patrem; ergo subsistere in eadem natura simili specificè, non sufficit ad fraternitatem. Consequentia est legitima. Antecedens luce clarius videtur, & ostenditur primò: Omnes homines subsistunt in natura sibi simili specificè; sed omnes homines non sunt fratres: ergo ad fraternitatem ultra naturam specificè similem, exigitur necessario, quod fratres habeant eandem specificè filiationem ad eundem Patrem. Secundo: illi solum, qui ad eundem Patrem dicunt relationem filiationis, specificè similem, sunt fratres, ut est per se notum: ergo idem, quod antea. Tertio: dato, quod Petrus, v.g. haberet Filium naturalem, nempe Ioannem, cui hæreditate privaret ratione delicti in Pa-

Ad 3.

20

Solutiones Ill. Godoy. reijciunt. 1

2. pars anteced. probatur.

Probatur antecedens.

Secundò.

Tertio.

trem commisi, quod omnes fatentur, id fieri posse, vel sine hac circumstantia Franciscum, v. g. in filium adoptaret, vt quotidie experitur de habentibus filios naturales, & adoptantibus pueros expositos, in hoc casu Ioannes, & Franciscus non dicerentur fratres; sed hoc non alia ratione, nisi quia licet in natura sibi simili specificè subsisterent; non haberent filiationem specificè similem: ergo idem quod prius.

21
Reijcitur 2

Reijcio secundò dictam solutionem ex ipso textu: Paulus loquitur de filiatione, quæ nobis præstat ius ad hæreditatem Dei; sed nos sumus Filij Dei adoptivi: ergo Christus, qui in quantum homo, est frater noster, seu consilius, debet esse adoptivus Filius Dei. Maior patet ex illis verbis: *Si autem filij, & hæredes.* Minor ex illis: *Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum.* Consequentia est legitima, & vltra probatur: filius adoptivus, & filius naturalis, non sunt consilij, vel fratres: Ergo Christus, in quantum homo, non est frater noster, & consilius ratione filiationis naturalis; alioquin nos etiam essemus Filij Dei naturales, quod est plusquam falsum: ergo si Christus, in quantum homo, est frater noster, & consilius, hoc habet ratione filiationis adoptivæ: ergo Christus, qui in quantum homo, est frater noster, seu consilius, debet esse Filius adoptivus Dei.

22
Tertiò.

Reijcio tertio dictam solutionem: Primogenitus in fratribus est primus frater in generatione specificè similis cum fratribus; sed Christus, in quantum homo, est primogenitus in fratribus, vt docet D. Paulus *cit.* ergo Christus, in quantum homo, est primus frater in generatione specificè simili cū fratribus; atqui fratres Christi sunt geniti generatione spiritali ratione gratiæ spiritalis: ergo Christus, in quantum homo, est primus frater genitus generatione spiritali ratione gratiæ habitualis. Tunc sic: sed omnes, qui generantur generatione spiritali ratione gratiæ habitualis, sunt Filij Dei adoptivi: ergo Christus est primus Filius Dei adoptivus. Omnia sunt certissima, si vera est maior. Maior autem ita vera est, vt experientia constet, & aliud nequeat dici, propriè loquendo.

23 Reijcio quartò solutionem alla-

tam: Christus, vt est primogenitus, habet fratres ex D. Paulo: ergo fratres assimilantur filiationi Christi, vt primogeniti, similitudine specifica, & non solum analogæ: ergo ruit solutio. Probatur consequentia: si fratres non assimilarentur filiationi Christi, vt primogeniti, similitudine specifica, & non solum analogæ, Christus, vt vnigenitus, haberet fratres; sed hoc est contra Scripturam: ergo fratres assimilantur filiationi Christi, vt primogeniti, similitudine specifica, & non solum analogæ. Probatur maior: Omnes Filij Dei adoptivi assimilantur filiationi Christi, vt vnigeniti, similitudine analogæ: ergo fratres assimilantur filiationi Christi, vt primogeniti, similitudine specifica, & non solum analogæ. Consequentia est legitima: nam idem iuxta solutionem Ill. Godoy Christus, vt primogenitus, habet fratres, quia assimilantur filiationi Christi, vt primogeniti, similitudine analogæ. Antecedens autem est doctrina expressa ipsius *disput. 52. preced. §. 5.* in secunda probatione sue conclusionis, & *num. 175.* vbi absolute concedit, quod filiatio adoptiva dicitur per analogiam ad filiationem naturalem.

Deniquè solutionem reijcio: tota Ill. God. doctrina ad solvendas Scripturæ Authoritates, fundatur in eo, quod Christus, vt homo, est Filius Dei naturalis per gratiam vnionis; sed hoc est falsum: ergo falsa est illius solutio. Minor patet primò: quia huius falsitatem ostendemus *disp. sequenti.* Secundò: quia non salvat Authoritates Scripturæ, vt ex dictis apparet. Tertio: quia minus salvare potest Patrum Authoritates, quibus sequens formatur pro nostra conclusione probatio.

Probatur secundò conclusio ex Patribus: nam Irineus *cit.* dicit: *Propter hoc enim Verbum Dei homo, qui Filius Dei, filius hominis factus est, mixtus homo Verbo Dei, vt adoptionem percipiens, fiat Filius Dei.* Item: Marianus Victorinus *cit.* sic ait: *Nos adoptione filij; ille natura etiam, & adoptione quadam filius, & Christus, sed secundum carnem.* Deniquè Hilarius *cit.* loquitur: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur: ergo iuxta Irineum, & Marianum Christus, in quantum homo, est Filius Dei adoptivus, &*

Quartò.

24
Quintò.25
Probat. 2.
conclusio ex
P.P.

iuxta Hilarium ipsa Christi caro, seu natura humana, est adoptata, & consequenter filia.

26

Dices 1. pro Ill. Godoy.

Reijcitur.

27

Dices 2. pro ipso.

Contra 1.

Contra 2.

Contra 3.

28

Probat. 3. conclusio.

Has Patrum authoritates clarissimas non adducit Ill. Godoy, & adducere potuit, & fortè debuit, quia illas vidisse credo, utpotè, traditas à Lorca, Vazquez, & Hurtado, quos ipse pro sua opinione citat. Si verò respondeat cum Lorca: Patres loqui de humanitate. Reijcitur: nam Irineus, & Marianus expressè locuntur de Christo in concreto, ut patet ex illorū verbis: ergo hæc solutio non valet.

Si cum Vazquez, & Hurtado respondeat, quod Patres improprie locuntur, nequè in Hilario est legendū adoptatur, sed adoratur. Contra primò: quia nullum est fundamentum, unde colligatur, aut colligi possit, Patres improprie loqui; quia si ad rationem reducitur, pro nobis stabit ratio: ergo solutio nulla. Contra secundò: hæc solutio est omninò voluntaria: ergo non admittenda. Antecedens patet primò: quia non deducitur ex alijs dictis illorum Patrum. Secundò: quia nulla est in tali locutione improprietas. Tertio: quia sic pro sua voluntate posset quis ad quævis Patrum dicta respondere. Contra tertio: in Authoritate Hilarij nequit legi adoratur: ergo solutio data est interpretatio sinistra. Consequentia est notoria. Antecedens autem manifestū; nam si legitur adoratur, nullum sensum, ut patet, faceret Hilarius, quod non est dicendum.

Probat. tertio conclusio: illa conclusio, ut vera tenenda est, quæ ab Scriptura declaratur, à Patribus confirmatur, & nulli Concilio adversatur; sed nostra conclusio, scilicet, Christus, ut homo, est Filius Dei adoptivus, est talis: ergo nostra conclusio ut vera tenenda est. Maior, & consequentia tenent. Minor pro prima, & secunda parte probata manet. Pro tertia autem constat ex eo, quod nec Adrianus Papa, nec Liber Sacrosyllabus, nec Concilium Francfordiense nostræ conclusioni adversantur, ut clarebit ex solutione argumentorum.

○)(§)(§)(§)(○

§. II.

Ratione impugnativa doctrine Ill.

Goy probatur nostra conclusio.

PROBatur primò conclusio hac ratione: ideò Christus, in quantum homo, non esset Filius Dei adoptivus, quia filiatio conveniret immediate supposito, & non naturæ; sed filiatio convenit immediate naturæ, & ratione illius supposito: ergo Christus, in quantum homo, est Filius Dei adoptivus. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Ill. Godoy num. 70. & 106. quam persequentia profequitur. Minor, in qua est difficultas, est Scoti in 3. dist. 8. §. Ad quæst. dico, sed quia ipsam negant adversarij, cum quibus Ill. Godoy, probatur: generatio convenit immediate naturæ, & ratione illius supposito: ergo filiatio convenit immediate naturæ, & ratione illius supposito. Antecedens est D. Thomæ infra quæst. 35. art. 1. cuius ratione admittit in Christo duplicem realem generationem, vnam æternam, & aliam temporalem.

Consequentia probatur primò: filiatio fundatur supra generationem; sed relatio, & fundamentum respiciunt idem subiectum: ergo si generatio convenit immediate naturæ, & ratione illius supposito, similiter filiatio. Secundò: nam sicut esse filium est subsistentis, ita etiam esse genitum est subsistentis; sed hoc non obstante, generatio convenit immediate naturæ, & ratione illius supposito: ergo etiam filiatio. Tertio: si ob aliquam rationem filiatio non conveniret immediate naturæ, & ratione illius supposito, esset, quia filiatio nullam tribueret naturæ denominationem; sed hoc est falsum: ergo filiatio convenit immediate naturæ, & ratione illius supposito. Probat. minor: natura dicitur aliquomodo filia: ergo filiatio aliquam denominationem tribuit naturæ. Probat. antecedens: natura dicitur aliquomodo genita: ergo aliquomodo filia. Antecedens iam patet ex dictis; alioquin natura non esset immediatum subiectum generationis, quod est etiam contra D. Thomam. Consequentia etiam ex dictis patet: nam cui aliquomodo convenit fundamentum relationis, etiam convenit aliquomodo ipsa relatio; sed esse genitum est fundamentum filia-

29

Probat. 1. conclusio ratione.

30

Probat. consequentia 1.

Secundò.

Tertio.

tionis : ergo cum naturæ aliquomodo conveniat esse genitā, aliquomodo etiam debet illi convinere esse filiam.

31
Respondet
Ill. Godoy.

Ad 1. prob.
consequen-
tia.

Respondet Ill. Godoy *num.* 113. negando minorem, ad cuius probationem concessio antecedenti, negat consequentiam, ad cuius primā probationem distinguit maiorem : fundatur supra generationem, ut perfectè denominantem genitum concedit maiorem; secundum imperfectā geniti denominationem negat maiorem, & distinguit minorem: idem subiectū denominationis à relatione petite concedit minorem; idem subiectum inhætionis, negat minorem, & consequentiam. Nam licet generatio passiva immediatè inhæreat naturæ, illāquæ denominet aliquomodo genitā, scilicet, *terminativè*, & *transmutativè*, quatenus aliqua pars naturæ per generationē transmutatur, nempe, materia : non tamen tribuit illi perfectā geniti denominationem, & quia filiatio supra generationem fundatur, ut perfectè denominantem, quā denominationē soli supposito tribuit; fit consequens, quod non inhæreat, nec conveniat *immediatè* naturæ, sed soli supposito.

Ad 2.

Ad secundam consequentiæ probationem, distinguit maiorem *num.* 114. esse genitū denominatione perfecta geniti, concedit maiorem; denominatione imperfecta negat maiorem, & concessa minori, negat consequentiam. Nam denominatio Filij, non æquiparatur cum quacumque geniti denominatione, sed cum denominatione perfecta, quæ soli supposito convenit, & ideo relatio Filij soli supposito inhæret. Ad tertiam concessa maiori negat minorem *num.* 116. ad cuius probationem, negat antecedens, & ad probationem, concessio antecedenti, negat consequentiam; nam fundamentum filiationis est generatio, non sub quavis denominatione, sed sub perfecta, qualiter naturæ non convenit, sed soli supposito.

Ad 3.

Triplex ra-
tio dispari-
tatis.

Si autem rationem quæras: cur natura dicatur aliquomodo genita, & nullo modo Filia? Respondet Ill. Godoy *num.* 115. triplicem esse. Prima est: quia à nullo fuit aliquando denominata *Filia*, quod si Recentior aliquis hanc denominationē admittat, audiendus non est, & Antiquio-

res sequendi; cum tamen *genitā* ab omnibus appelletur natura, sicut & natura Christi *passa* denominatur, & *mortua*. Secunda est: quia cum generatio sit via ad esse, speciem accipit à termino formali, quod est natura; & consequenter convenit composito, aut supposito ratione naturæ: filiatio autem non est via ad esse, sed completum esse supponit, & in illo immediatè recipitur: cumque substantia compleat naturam in ordine ad esse, in supposito immediatè recipitur, & illud solum denominat. Tertia est: quia generatio est processio viventis à vivente; & quia natura est aliquomodo vivens, est etiam aliquomodo genita: filiatio autem non est relatio aliquomodo geniti, sed geniti secundum perfectam geniti denominationem; eo quod est perfectissimum in linea procedentium per generationē; vnde sicut ob hanc causam natura non potest denominari vlla ratione *persona*, ob eandem nequit villo modo denominari *Filia*.

Hæc tamen solutio Ill. Godoy, benè inspecta, in pluribus deficit. Primo: quia petit principium. Secundo: quia duo falsa supponit, ut proximè dicemus. Vnde refellitur primo ad hominem contra Ill. Godoy: filiatio convenit immediatè naturæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: si Spiritus Sanctus assumeret humanitatem, Spiritus Sanctus *in quantum homo*, esset Filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis; sed hæc filiatio immediatè conveniret naturæ humanæ: ergo filiatio convenit immediatè naturæ humanæ. Consequentia est legitima. Minor notoria. Maior autè est doctrina Ill. God. *disp.* 54. n. 166. quam probat *num.* 168.

Refellitur secundo: eadem est ratio de denominatione geniti, ac de denominatione Filij: ergo nullum est discrimen, & consequenter ruit tota solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: ideo filiatio comparatur immediatè ad suppositum iuxta solutionem, quia illud respicit, ut subiectum denominationis perfectæ; sed etiam passiva generatio respicit suppositum, ut subiectum denominationis perfectæ: ergo eodè modo comparatur ad suppositum, quoad denominationem, generatio passiva, ac filiatio, & consequenter eadem est

32
Refellitur
1. solutio
Ill. Godoy.

33
Refellitur
2.

ratio de vtraque quantum ad denominationem. Minor, in qua potest esse difficultas, probatur: ideo filiatio respicit suppositum, vt subiectum denominationis perfecte, quia solum suppositum denominatur perfecte genitum iuxta Ill. Godoy; sed passiva generatio est, à qua sumitur denominatio geniti: ergo passiva generatio respicit suppositum, vt subiectum denominationis perfecte. Vnde quæcûque disparitas erit petitio principij.

Deinde deficit solutio Ill. Godoy, quia duo falsa supponit, scilicet, actiones esse suppositorum elicitive, & quod relationes non multiplicentur, nisi multiplicentur supposita, quorû vtrunque est falsum. Et ex primo supposito falso refellitur tertio: denominatio Filij non est solius suppositi: ergo ruit tota solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: filiatio fundatur supra generationem, vt perfecte dominantem genitum; sed hanc denominationem filiatio nõ tribuit soli supposito: ergo denominatio Filij non est solius suppositi. Consequentia est legitima. Maior est solutio Ill. Godoy. Probatur minor: hanc denominationem filiatio tribuit etiam, & primo, naturæ singulari, seu individuo: ergo hanc denominationem filiatio non tribuit soli supposito. Probatur antecedens: hanc denominationem filiatio tribuit illi, quod perfecte denominatur genitum; sed individuum prius, quam suppositum, est, quod perfecte denominatur genitum: ergo hanc denominationem filiatio tribuit etiam, & primo, naturæ singulari, seu individuo. Consequentia optimè infertur. Maior est doctrina ipsius in solutione.

Minor autem, in qua est difficultas, nullam habet in nostra, & Scotistarum sententia; asserimus namque cum Magistro Subtili: actiones esse singularium elicitive (exceptis duntaxat productionibus ad intra) ideòque quod primo, & per se denominatur perfecte genitum, sicut & generans, est singulare; at suppositum ultimo tantum denominatur genitum; vnde dixit Scotus, quod actio est suppositi, tanquam ultimo denominati, quia actio primo denominat principium elicitivum quod, quod est singulare, & non suppositum, vt dictum reliquimus *disp.* 41. §. 11. & latius, & ex pro-

fesso dicemus in quæstionib. selectis.

Ex his manifestè apparet: filiationem non esse proprietatem suppositi, sed singularis, consequenterque filiatio ratione naturæ primo, & per se convenit singulari, & ultimo supposito, sicut esse genitum convenit primo, & per se singulari, & ultimo supposito, vtrique que ratione naturæ. Vnde natura etiam dicitur aliquomodo *filia*, sicut aliquomodo *genita*, quod est innegabile, supposita hac doctrina, ex qua impugnata manet, non solum solutio Ill. Godoy, verum etiam triplex ratio disparitatis ab eo tradita, & miror: Magistrum, & alios Scotistas ab hac Scoti doctrina discedere; cum sit in Magistro certissima.

Refellitur quarto: servitus convenit supposito ratione naturæ: ergo etiam filiatio: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Antecedens est illius *numer.* 124. concedentis: Christum, vt hominem, esse verè, & propriè servum, servitute naturali, fundata in ratione creaturæ; imò & D. Thomæ 3. *part. quæst.* 20. *art.* 1. *ad* 2. Et *quæst.* 23. *art.* 7. *ad* 3. vbi teste Ill. Godoy *num.* 162. docet Angelicus Doctor: naturam rationalem dici servam, quamvis impropriè. Consequentia videtur paritate certa; quia non est maior ratio, cur natura humana Christi Domini dicatur *serva*, quam *filia*; nec cur servitus conveniat supposito ratione naturæ, & non filiatio.

Responder Ill. Godoy *num.* 162. negando paritatem, & disparitas est: quia servitus non solum respicit personam, sed etiam naturam, quod filiationi non convenit, & inter rationes, quas ad hoc discrimen statuendum adducit, hanc tradit *num.* 164. *propè finem*: nam Paternitas, & filiatio in Divinis personalitè dicuntur, & nullatenus de natura enunciantur, sed de personis ratione sui immediatè: ergo etiã filiatio, & Paternitas creatæ immediatè de persona dicuntur, & nõ mediatè natura, nec ratione illius.

Cæterum paritatem tenere, & nullam esse disparitatem, nec rationem illam statuentem, constat ex proximè dictis; nam filiatio etiam, sicut, & servitus, convenit primo, & per se singulari, & ultimè supposito, vtrique tamen ratione naturæ. Quod vt meliùs appareat, id ostendo ipsa ratione Ill. Godoy: Paternitas, & filia-

36

Filiatio 1.
convenit
singulari
ratione natura.

37

Refellitur

4.

38

Respondet
Ill. Godoy.

39

Impugnatur.

34

Solutio Ill.
God. duo
falsa sup-
ponit.

35

Actiones
sunt singu-
larium eli-
citive.

tio in Divinis dicuntur immediatè de personis: ergo Paternitas, & filiatio in creatis non dicuntur immediatè de personis. Probatur consequentia: ideo Paternitas, & filiatio in Divinis dicuntur immediatè de personis, quia productiones ad intra sunt suppositorum elicitive; atqui productiones, vel generationes in creatis non sunt suppositorum elicitive: ergo Paternitas, & filiatio in creatis non dicuntur immediatè de personis. Totum est verum in nostra opinione, sicut & oppositum in sententia Ill. Godoy. Unde ut veritas in hac materia ratione huius doctrinæ appareat, recurendum est ad disputationem, *Quomodo actiones sint suppositorum?* In qua meliorem partem habemus.

Ex secundo autem supposito falso refellitur quinto: filiatio convenit soli supposito iuxta solutionem Ill. Godoy: ergo in Christo est unica filiatio. Hæc consequentia patet: nam in Christo est unum duntaxat suppositum. Infero nunc: ergo in Christo non sunt duæ filiationes, una æterna ad Patrem, & altera temporalis ad Matrem. Atqui hoc est apud omnes falsum: ergo falsum etiam est, quod filiatio soli supposito conveniat, & consequenter nulla est allata solutio Ill. Godoy. Omitto alia inconvenientia, quæ ex hoc falso supposito secuntur, & ab utroque præcindendo.

Refellitur sexto: filiatio nullo modo convenit naturæ, nec ratione naturæ iuxta doctrinam Ill. Godoy: ergo Christus, in quantum homo, nullo modo est filius Dei. Probatur consequentia: ut Christus, in quantum homo, sit aliquomodo Filius Dei, filiatio debet illi aliquomodo convenire ratione naturæ humanæ; sed iuxta concessa filiatio nullo modo convenit naturæ, nec ratione naturæ: ergo Christus, in quantum homo, nullo modo est Filius Dei. Probatur maior primò: ideo Christus, in quantum homo, est servus, creatura, incipiens esse; temporalis, flagellatus, passus, mortuus &c. quia hæc prædicata aliquomodo ei conveniunt ratione naturæ humanæ: ergo ut Christus, in quantum homo, sit aliquomodo Filius Dei, filiatio debet ei aliquomodo convenire ratione naturæ humanæ. Probatur secundo: ideo Christus, in quantum homo, non est Deus, im-

mortalis, æternus, impassibilis, Creator &c. quia nullum ex his prædicatis ei aliquomodo convenit ratione naturæ humanæ: ergo idem, quod antea

Ratio autem utriusque probationis est: nam reduplicatio significat, quod id, supra quod cadit, sit ratio formalis, cur prædicatum conveniat subiecto; sed natura humana est ratio formalis, ut esse servum, creaturam &c. conveniat Christo; non verò est ratio formalis, ut esse Deum, æternum &c. Christo conveniant: ergo ideo Christus, in quantum homo, est servus, creatura &c. non verò Deus, æternus &c. quia esse servum, creaturam &c. conveniunt Christo ratione naturæ humanæ; non verò esse Deum, æternum &c. Et certè hæc est ratio, cur apud Theologos prædicata, quæ Christo conveniunt ratione naturæ humanæ, non possunt, adhuc in cõcreto prædicari de Christo cum reduplicacione supra naturam Divinam, nequè è contra, licet de illo prædicentur per communicacionem Idiomatum: V. g. *Christus est immortalis: Christus est mortalis*, sunt propositiones veræ; istæ verò falsæ: *Christus, in quantum homo, est immortalis: Christus, in quantum Deus, est mortalis*.

Ex quibus manifestè apparet veritas maioris supra positæ, scilicet: *Quod ut Christus, in quantum homo, sit aliquomodo Filius Dei, filiatio debet illi aliquomodo convenire ratione naturæ humanæ*. Et probatur tertio: hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est aliquomodo Filius Dei*, est propositio, in qua prædicatum convenit subiecto cum reduplicacione supra naturam humanam; atqui reduplicatio significat, quod id, supra quod cadit, est ratio formalis, cur prædicatum conveniat subiecto: ergo cum reduplicatio cadat supra naturam humanam, natura humana est ratio, cur filiatio convenit Christo: ergo ut Christus, in quantum homo, sit aliquomodo Filius Dei, filiatio debet illi aliquomodo convenire ratione naturæ humanæ.

Ad hanc nostram impugnationem potest Ill. Godoy respondere, negando primam consequentiã; quia iuxta ab eo dicta num. 86. Christus, in quantum homo, nullius filiationis est capax. Cæterum hoc consonum non videtur, & est, facere quæstionem de

42
Ratio
utriusque
probationis

Supra posita
maior
prob. 3.

43
Responde-
bis pro Ill.
God.

40
Refellitur
5.

41
Refellitur
6.

Prob. maior
1.

Secundo.

Contra.

subiecto non supponente, ut claret persona, quæ persona verè detur de facto in Trinitate; aliàs præter tres, daretur alia persona communis, cuius esset proprietas Paternitas illa adoptiva.

§. III.

Alia ratione impugnativa etiam doctrinæ Ill. Godoy probatur conclusio.

44
Refellitur
7.

Refellitur septimò: filiatio adoptiva nō est proprietas personæ adoptatæ ratione personæ, sed ratione naturæ: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: eo modo filiatio adoptiva est proprietas personæ in adoptato, quo Paternitas adoptantis est proprietas personæ in adoptante (sicut eodem modo filiatio naturalis est proprietas personæ in filio naturali; quo Paternitas naturalis est proprietas personæ in Patre naturali) sed Paternitas adoptiva est proprietas adoptantis, non ratione personæ, sed naturæ: ergo filiatio adoptiva non est proprietas personæ adoptatæ ratione personæ, sed ratione naturæ. Probatur minor: Paternitas adoptiva in Deo adoptante est proprietas Dei, non ratione personæ, sed naturæ: ergo Paternitas adoptiva est proprietas adoptantis, non ratione personæ, sed naturæ. Probatur antecedens: adoptare in Deo non est proprietas alicuius personæ, sed commune toti Trinitati; sed quod est commune toti Trinitati, convenit toti Trinitati, nō ratione personæ, sed naturæ Divinæ singularis, scilicet, huius Dei: ergo Paternitas adoptiva in Deo adoptante est proprietas Dei, non ratione personæ, sed naturæ. Consequentia est legitima. Minor est commune Theologorum proloquium. Maior est D. Thomæ 3. part. quæst. 23. art. 1. & cum ipso Ill. Godoy disp. præced. num. 210.

45
Dices.

Contra.

Dices: adoptare, esse proprietatem naturæ Divinæ; esse verò Patrē, personæ, non huius, scilicet, Patris, Filij &c. divisim, sed omnium coniunctim. Contra: de facto in Trinitate realitèr non dantur, nisi tres personæ; sed esse Patrem adoptivū non est proprietas alicuius ex his tribus, quia non Patris, non Filij &c: ergo de facto non est proprietas alicuius

Probatur secundò conclusio hæc ratione: ad rationem Filij adoptivi sufficit extraneitas naturæ; sed Christus, in quantum homo, est persona extraneæ naturæ à Deo: ergo est capax filiationis adoptivæ; & consequenter per gratiam habitualē constituitur Filius adoptivus Dei. Consequentio tenet. Minor constat; etenim natura humana Christi est eiusdem rationis cum nostra, & creata, & finita, & à Dei natura distincta, & ratione sui carens iure ad divinam hereditatem: ergo est extranea natura; & consequenter Christus in illa subsistens est persona extraneæ naturæ. Maiorem probo: nam persona, non solum subsistentiā importat, sed etiam naturam; est enim composita ex subsistentia, & natura: ergo ut persona sit capax filiationis adoptivæ, sufficit, quod sit in natura extranea subsistens. Hanc probationem sub his terminis proposui, ut principalem doctrinam, qua utitur Ill. Godoy, examinemus, & contra ipsam nostrā conclusionē, claritate solita, probemus.

46
Probat. 2.
conclusio
ratione.

Respondet primò Ill. Godoy numer. 193. prætermittit maiori, negando minorem. Extraneitas: namque non solum dicit negationem identitatis cum Deo, sed etiam negationē coniunctionis substantialis ad ipsum, & licet humanitas Christi sit, & semper maneat realitèr à Deo distincta, supposita tamen unione ad Verbum, non manet cum negatione coniunctionis substantialis ad Deum, & ideo extranea non manet, quod requirebatur, ut Christus, quatenus homo, esset, & diceretur suppositum extraneæ naturæ, cum non componatur ex illa, nisi ut sibi substantialitèr coniuncta; vnde Christus, quatenus homo, non solum non potest persona extranea dici, sed nec etiā suppositū, vel persona in extranea subsistens natura, vel suppositū extraneæ naturæ.

47
Respondet
Ill. Godoy.

48
Respond. 2.

Respondet secundò *num. 199.* negando maiorem; ut enim constat ex definitione adoptionis, ad illam petitur, quod persona extranea sit, hoc est, non filius naturalis, non coniuncta adoptanti substantialitèr, & non habes ius de se ad hæreditatem adoptantis; ex eo autem, quod natura extranea sit, id est, de se non filia naturalis Dei, non coniuncta substantialitèr ipsi, nec habens ius ad Divinam hæreditatem, de persona Christi, ut composita ex subsistentia Verbi, & humana, atque Divina natura, non prædicantur huiusmodi negationes: licet enim quæ affirmantur de partibus, aut extremis componentibus, etiam de toto composito ex illis dicantur, quæ tamen negantur de extremis, vel de partibus componentibus, non negantur de toto ex illis composito, si ratione alterius ex illis componentibus, illi convenient: nam de anima rationali negatur, quod sit corporea; & tamen de homine non potest verè negari, quia ratione alterius partis corporeitas convenit homini. Animalì etiam convenit, quod de se rationale non sit; & tamen de homine irrationalitas, vel negatio rationalitatis enuntiari verè non potest. De qualibet etiam ex partibus componentibus, potest compositio negari, & affirmari simpliciter, & tamen de toto falsò negatur compositio, & simpliciter affirmatur.

49

Quamvis ergo de humanitate (prosequitur Ill. Godoy *num. 200.*) enuntietur negatio iuris ad hæreditatem Dei, negatio filiationis naturalis, & coniunctionis substantialis cum Deo, ut illi ab intrinseco convenientis, in quibus negationibus extraneitas ad adoptionem exacta consistit, non sequitur, posse de persona Christi absolute negari: ac proinde, ex eo, quod sit persona extraneæ naturæ, non ideo de illa potest affirmari absolute, quod persona extranea sit, etiam ratione naturæ: nam ad hoc requirebatur, quod natura in personam hoc prædicatum transferret: ac per consequens ad hoc, quod Christus sit capax filiationis adoptivæ, non sufficit, quod ut homo, sit suppositum extraneæ naturæ. Quibus duobus solutionibus utitur Ill. God. in solutione omnium argumentorum.

Itæ tamen solutiones falsum etiã

supponunt, scilicet. extraneitatem ad adoptionem requisitã consistere in triplici allata negatione, nempe, iuris ad hæreditatem Dei, filiationis naturalis, & coniunctionis substantialis cum Deo; licet enim verum sit, quod negatio iuris ad hæreditatem Dei requiratur ad adoptionem; datoquè, & non concessio, quod negatio filiationis naturalis requiratur etiam; falsum tamen est, quod requiratur negatio coniunctionis substantialis cum Deo. Et quia hæc est tota, & principalissima doctrina Ill. Godoy, impugnanda à nobis est, nostram conclusionem per tria dicta capita probando.

Probatur itaque ex capite negationis iuris ad hæreditatem Dei: natura humana Christi Domini, adhuc vnita Verbo, habet negationem iuris ad hæreditatem Dei: ergo est extranea extraneitate iuris: ergo ex hoc capite adoptari valet. Probatur antecedens: natura humana Christi Domini, adhuc vnita Verbo, non habet ius ad hæreditatem Dei: ergo natura humana Christi Domini, adhuc vnita Verbo, habet negationem iuris ad hæreditatem. Probatur antecedens: natura humana Christi Domini, adhuc vnita Verbo, non habet ius ad hæreditatem Dei, ratione humanitatis, nec ratione vnionis: ergo natura humana Christi Domini, adhuc vnita Verbo, non habet ius ad hæreditatem Dei. Antecedens pro prima parte est certum apud omnes. Pro secunda autem probatur: vnio hypostatica non est forma sanctificans humanitatem: ergo natura humana Christi Domini non habet ius ad hæreditatem Dei ratione vnionis.

Respondet Ill. Godoy dupliciter. Primò: *num. 209.* negatis negandis, negat vltimũ antecedens conformiter ad ab ipso dicta *tom. præced. disp. 21.* scilicet, Christi humanitatem sanctificari formalitèr per vnionem. Sed quam falsum hoc sit, contra ipsum ostendimus *tom. & disp. citat.* vbi hæc doctrina Ill. God. late manet reiecta.

Nec dicas cum Mastro in *3. disp. 2. quest. 4. art. 2. num. 103.* sequendo Scotistas, in hoc nobis adversarios: vnionem dare ius radicale, & inchoatum, quia propter vnionem saltem de congruo est debita gratia, quæ dat ius formale ad hæreditatem. In oppositum enim obstat primò: nam in ho-

Solutiones Ill. Godoy. falsum supponunt.

§ 1
Ex negatione iuris ad hæreditatem Dei probatur nostra conclusio.

§ 2
Respond. 1. Ill. Godoy. Reijcitur.

§ 3
Respondet Mastro.

Contra 1.

mine contrito reperitur dispositio de congruo, exigens gratiam, & ius, quod ab illa in ordine ad gloriam præstatur; & tamen non solum homo secundum se, sed etiam, ut contritus est, constituitur per gratiam habitualem Filius adoptivus Dei: ergo quod personæ, vel naturæ adoptandæ cõpetat ex vi suæ generationis, vel primæ constitutionis, dispositio petens de congruo ius ad Dei hæreditatem, non obitat, quominus per gratiam habitualement filius adoptivus fiat. Secundo: non enim negari potest, esse in nepote congruentiam, ut ab avo, cui defunt filij naturales, admitatur loco filij ad eius hæreditatem; & tamen non est in illo incapacitas, ut ab avo adoptetur in filium: ergo congruitas iuris ad hæreditatem competens alicui ab intrinseco, non reddit illum incapacem filiationis adoptive.

Contra 2.

§4
Solutio
Mastrij, &
illius insuf-
ficientia.

Ex his duabus replieis primam sibi obiecit Mastrius *cit. num. 105.* ad quam *num. 106.* respondet cum Belluto, recurrendo ad id, quod vniõ hypostatica facit hominem Deo substantialitèr unitum; non verò contritio, quod est, non respondere; quia aliud est, argumentum sumere ex capite iuris ad hæreditatem, & aliud ex capite coniunctionis substantialis, idèoque si recursus faciendus est ad substantialem coniunctionem, ne Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus, debet concedi in Christo, ut homine, non esse ius ad hæreditatem, ut facit Ill. Godoy in secunda solutione, in qua eundem facit recursum. Hæc obiter contra Mastrium sufficiant, quia ex dicendis cõtra Ill. God. Mastrius etiam impugnatus manebit.

§5
Respond. 2.
Ill. Godoy.

Quia tamen (prosequitur Ill. God. *num. 210.*) non est omnino improbabile (melius dixisset, si diceret, est magis probabile) personam Verbi, nec ratione illius, quod explicat, nec ratione Divinitatis inclusæ, humanitatem Christi sanctificare formalitèr, ne sententiam, quam in præsentì defendimus, quæ certa censetur communitèr, & opposita improbabilis, sententiæ non ita certæ alligemus: potest responderi secundo prætermisâ maiori, negando minorem. Cũ enim ex diffinitione adoptionis habeatur, duo ad illam desiderari, nempe, quod assumptio sit gratiosa, & insuper extraneitas personæ, & extraneitas iuris,

in priori requisito, scilicet, liberali, & gratiosa assumptione ad hæreditatem consistat: sit consequens, quod vltior extraneitas ad illam desideretur, quæ in nullo alio consistere potest, quam in negatione filiationis naturalis ad Deum, & coniunctionis substantialis ad ipsum, cumque hæc duplex negatio personæ Christi repugnet; est enim Filius naturalis Dei, etiam prout in humanitate subsistit, ipsique substantialitèr coniunctus; sit consequens, quod quamvis gratiosè in humanitate assumpta ad hæreditatem creatam ordinetur, filius adoptivus non sit.

Hæc solutio Ill. God. pertinet, quod nostram conclusionem probemus ex alio duplici capite. Probatur itaque ex capite negationis filiationis naturalis: Christus, in quantum homo, habet negationem filiationis naturalis: ergo Christus, in quantum homo, est extraneus, extraneitate dicente negationem filiationis naturalis: ergo ex hoc capite adoptari valet. Probatur antecedens: Christus, in quantum homo, non est Filius naturalis Dei: ergo Christus, in quantum homo, habet negationem filiationis naturalis. Consequentia est legitima. Antecedens verò ex dicendis contra Ill. Godoy *disput. sequent.* vbi hanc ex professo tractat disputationem, constabit.

Probatur deniquè ex capite negationis coniunctionis substantialis cum Deo: substantialis cū Deo coniunctio non impedit adoptivam filiationem: ergo negatio coniunctionis substantialis cum Deo non requiritur ad extraneitatem requisitam ad filiationem adoptivam: ergo cum substantiali coniunctione cum Deo stat extraneitas ad adoptionem requisita. Probatur antecedens primò: substantialis cum Deo coniunctio non impedit servitutem, ut diximus *num. 37.* & dicemus *num. 951.* ergo nec impedit adoptivam filiationem. Secundo: substantialis cum Deo coniunctio non dat humanitati Christi ius ad hæreditatem Dei: ergo substantialis cum Deo coniunctio non impedit adoptivam filiationem. Antecedens patet ex dictis *num. 51.* & est in nostra opinione certum, admissumque ab Ill. God. *num. 210.*

Consequentia probatur primò: idèoque filiatio naturalis impedit iuxta Ill. Godoy filiationem adoptivam,

§6

Probatur
conclusio ex
negatione fi-
liationis na-
turalis.

§7

Probatur
conclusio ex
negatione
coniunctio-
nis cū Deo
substantia-
lis.

§8

Prob. cõseq.
I.

quia

quia filiatio naturalis dat ius ad hereditatem Dei; sed iuxta admittam coniunctio substantialis cum Deo non dat ius ad hereditatem Dei: ergo substantialis cum Deo coniunctio non impedit adoptivam filiationem. Secundo: si substantialis cum Deo coniunctio impediret filiationem adoptivam, nullus fuisset Theologus, sive ante, sive post Concilium Francfordiense, qui asserisset: Christum, in quantum hominem, esse Filium Dei adoptivum; quia nullus negavit in Christo substantialem hominis cum Deo coniunctionem: ergo substantialis cum Deo coniunctio non impedit adoptivam filiationem.

Vnde omnino voluntarium est, asserere: extraneitatem requisitam ad adoptionem esse extraneitatem entitativam, seu extraneitatem dicentem negationem coniunctionis substantialis cum Deo, quia cum adoptiva filiatio præcipue respiciat ius ad hereditatem; hominem enim transire de non esse filio adoptivo, ad esse filium adoptivum, nihil aliud est, quam transire de non habendo iure ad hereditatem adoptantis ad illud habere; extraneitas iuris, quæ in negatione iuris ad hereditatem consistit, sufficit ad adoptionem; si enim hæc reperitur cum substantiali coniunctione cum adoptante, talis coniunctio adoptionem non impedit.

Denique: asserere, coniunctionem substantialem cum Deo impedire adoptionem, est facere quæstionem de puro nomine, à quo totis viribus fugit Ill. Godoy num. 210. Ratio est: nam semel concessio, vel admittio, ut admittit Ill. Godoy in solutione secunda, Christum, ut hominem, esse extraneum à Deo extraneitate iuris, & dato, licet non concessio, Christum, ut hominem, non esse Filium Dei naturalem; in hoc casu Christus, ut homo, ornatus gratia habituali, haberet ius ad hereditatem Dei, consequenterque esset hæres illius. Hoc itaque supposito.

Inquiro: qui hæres esset Christus, in quantum homo? Respondet Ill. Godoy num. 214. quod esset hæres voluntarius, id est, voluntarie, & liberaliter ad hereditatem assumptus, & ordinatus, qui filius adoptivus non est, quia non est persona extranea, eo, quod esset Deo substantialiter coniunctus, seu eo, quod non esset ex-

traneus extraneitate entitativa. Nos verò dicimus: quod esset hæres adoptivus, quia esset extraneus extraneitate iuris, in quo consistit filiatio adoptiva, quin extraneitas entitativa requiratur. Ecce quæstionem de nomine, & tam gravem difficultatem ad solas voces redactam. Quod autem adducit Ill. God. in solutione de partibus, & toto ex illis composito, impugnabimus probatione quarta n. 64.

§. IV.

Ratione fundamentali, & aliquibus specialibus, probatur conclusio.

Ratio fundamentalis pro nostra conclusione sub hac proponitur forma: *Adoptio est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hereditatem; sed hoc convenit Christo, in quantum homini: ergo Christus, in quantum homo, est Filius Dei adoptivus. Consequentia est legitima. Maior est adoptionis definitio, ab omnibus concessa. Minor verò probatur: Naturæ humanæ Christi Domini liberaliter est gratia habitualis concessa; deinde est extranea Deo, extraneitate ad adoptionem requisita: ergo definitio adoptionis convenit Christo, ut homini. Consequentia infertur. Antecedens verò pro utraque parte probatum manet contra Ill. Godoy, & ultra.*

Probatur primò pro secunda parte: persona dicitur extranea, sive extraneitas conveniat personæ ratione personalitatis, sive ratione naturæ; atqui licet extraneitas non conveniat personæ Christi ratione personalitatis; ipsi tamen convenit ratione naturæ humanæ, quæ Deo extranea est: ergo extraneitas convenit personæ Christi. Secundo: nam etiam ratione personalitatis convenit Christo extraneitas. Ratio est: quia personalitas, ut terminat naturam humanam, nec est formaliter sanctitas, ut probavimus tom. præced. disp. 21. nec est formaliter filiatio Dei naturalis: ergo ut terminat naturam humanam est Christo extranea. Probatur secunda pars antecedentis primò: Divina personalitas, ut terminat naturam humanam, nec est formaliter Verbum, nec imago Patris: ergo nec est formaliter filiatio Dei naturalis. Secundo: Divina personalitas, ut terminat naturam

Secundò.

59
Explicatur60
Quæstio de nomine.

61

62

Ratione
fundamentali
prob. 3.
conclusio.

63

2. pars antecedens
probatur 1.

Secundò.

humanam, solum est Verbum, & imago Patris materialiter: ergo sic tantum est filiatio. Tertiò: Divina personalitas, vt terminat naturam humanam, solum est quædam Divina subsistentia, illam terminans sub ratione subsistentiæ: ergo non est formaliter Filiatio Dei naturalis; alioquin quælibet Divina personalitas, vtpote, subsistentia, esset naturalis Dei Filiatio, quod est hæreticum.

64
Probat. 4.
conclusio.

Probat. quartò conclusio, & dicta confirmantur: hoc ipso, quod extraneitas ad adoptionem exacta conveniat naturæ humanæ Christi Domini, debet enunciarî absolute de Christo; sed iuxta doctrinam Ill. Godoy extraneitas ad adoptionem exacta convenit naturæ humanæ Christi Domini ex ab ipso dictis *num.* 199. & 200. cuius doctrinam hic impugnandam promissimus *num.* 61: ergo extraneitas ad adoptionem exacta enuntiat. Probatur maior: extraneitas ad adoptionem exacta est proprietas naturæ humanæ; sed hoc ipso, quod sit proprietas naturæ humanæ, debet enunciarî absolute de Christo: ergo hoc ipso, quod extraneitas ad adoptionem exacta conveniat naturæ humanæ Christi Domini, debet enunciarî de Christo absolute. Consequentia est legitima. Minor patet: nam vt prædicatum absolute enuntietur de subiecto composito, sufficit, quod prædicatum conveniat alicui partî subiecti, vt claret de finitate, mortalitate, &c. & probavimus *tom. præced. disp. 20. num. 214. cum seqq.* Maior autem est notoria: nam extraneitas ad adoptionem exacta, consistit iuxta Ill. Godoy *cit.* in negatione iuris ad hæreditatem Dei, filiationis naturalis, & coniunctionis substantialis cum Deo, quod est proprium naturæ humanæ, vt evidenter apparet.

65
Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num.* 203. quod cum extraneitas in negationibus explicatis consistat, vt de persona enuntietur, non sufficit, quod conveniat vni ex partibus, vel extremis componentibus, si alterum intraneum sit; sed requiritur ad hoc, quod nulla pars, vel extremum intraneum sit adoptanti. Et hæc est solutio, quam dedit *num.* 200. cuius exempla tradit *num.* 199. cuius totum ex ipso transcripsimus *num.* 48. & 49. Sed ultra saluta-

tem in solutione suppositam, de qua diximus §. 3. per totum.

Impugnatur solutio primò: extraneitas ad adoptionem exacta, etsi in negativo consistens, est proprietas naturæ humanæ; sed hoc ipso, quod sit proprietas naturæ humanæ, debet enuntiarî absolute de Christo: ergo quod extraneitas ad adoptionem exacta consistat in negativo, non obest, vt absolute de Christo enuntietur, consequenterque nulla est solutio Ill. Godoy. Totum patet ex nostra allata probatione. Impugnatur secundo: quod extraneitas ad adoptionem exacta consistat in negativo, non tollit, quod sit proprietas naturæ humanæ; ergo nec tollit, quod enuntietur absolute de Christo ob rationem datâ.

Impugnatur tertio: proprietas negativa, conveniens vni ex partibus componentibus, tantam vim habet, vt enuntietur absolute de composito, quantam habet positiva proprietatis; sed proprietas positiva conveniens vni ex partibus componentibus, habet vim, vt enuntietur absolute de composito: ergo eandem habet proprietatis negativa. Consequentia infertur. Minor conceditur ab Ill. Godoy in solutione. Maior autem probatur: nam ideo proprietas positiva habet prædictam vim, quia est naturæ proprietatis; sed etiam est naturæ proprietatis negativa: ergo proprietas negativa, conveniens vni ex partibus componentibus, tantam vim habet, vt enuntietur absolute de composito, quantum habet positiva proprietatis.

Impugnatur quartò ad hominem contra Ill. Godoy: quæ affirmantur de partibus, aut extremis componentibus, etiam de toto composito ex illis dicuntur; sed extraneitas affirmatur de natura humana, quæ est vna pars ex componentibus Christum: ergo etiam dicitur de composito, scilicet, Christo. Quintò per oppositum ad hominem etiam contra ipsum: quæ negantur de extremis, vel partibus componentibus, non negantur de toto ex illis composito, si ratione alterius ex componentibus illis conveniat; sed de natura humana negatur intraneitas ad filiationem Dei naturalem: ergo si ratione alterius ex componentibus, nempe, naturæ Divinæ, vel Verbi subsistentiæ Chris-

66
Impugnatur
Solutio 1.

Secundo.

67
Impugnatur 3.

68
Impugnatur 4.
ad hom. contra Ill. God.

Quintò.

10

to convenit, non potest de Christo negari.

69
Declaratur
exemplis.

Vtraque hæc impugnatio est literaliter ad hominem contra Ill. Godoy, & hoc est, quod probat evidenter exemplum de anima rationali (similiterque exemplum de animali) nam si hæc est vera: *De anima rationali negatur, quod sit corporea, & tamen de homine non potest verè negari, quia ratione alterius partis corporeitas convenit homini;* hæc etiam est vera: *De natura humana negatur intraneitas ad filiationem Dei naturalem, & tamen de Christo non potest verè negari, quia ratione alterius partis, nempe, naturæ Divinæ, vel Verbi subsistentiæ, filiatio naturalis convenit Christo.* Similiter etiam, sicut hæc est vera: *De anima rationali affirmatur, quod sit intellectiva: ergo etiam de homine affirmatur;* ita hæc debet esse vera: *De natura humana affirmatur, quod sit extranea: ergo etiam de Christo debet affirmari.*

70
Exempla
sunt contra
Ill. Godoy.

Ex his apparet, quod contra se possuit exempla Ill. Godoy; imò etiã & contra ipsum est exemplum, quod adducit de partibus, & composito, scilicet, *de qualibet ex partibus componentibus potest compositio negari, & affirmari simplicitas; & tamen de toto falso negatur compositio, & simplicitas affirmatur.* Hoc enim manifestè convincit, quod filiatio naturalis, quæ de vna parte ex componētibus affirmatur, de Christo non affirmetur, quod est contra ipsum. Vndè exemplum non est ad rem, quia solum probat, quod id, quod affirmatur, vel negatur de partibus, vt partes sunt, nequeat affirmari, vel negari de composito, quod est apud omnes verum; alioquin nec pars esset pars, nec compositum esset, compositum, vt patet. Nulla igitur solutio Ill. Godoy, & nulla illius exempla.

71
Probat. 5.
conclusio.

Probat quintò conclusio: eo modo requiritur extraneitas ad filiationem adoptivam, quo intraneitas ad naturalem; sed ad filiationem naturalem sufficit intraneitas naturæ: ergo ad adoptivã sufficit naturæ extraneitas. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur: nam Christus, vt homo, est Filius naturalis Beatissimæ Virginis, vt fides docet; & tamen non est cum illa intraneus ratione suppositi, sed tantum ratione naturæ; subsistentia enim Chris-

ti cum subsistentia Beatissimæ Virginis solum analogicè convenit: ergo ad filiationem naturalem sufficit intraneitas solius naturæ. Solutio, quam ad hæc rationem adducit Ill. Godoy, est in terminis eadem cum posita numer. 65. quæ impugnata manet.

Probat quæ sextò conclusio: dato, & nunquam concesso, quod Christus, in quantum homo, sit Filius Dei naturalis, potest etiam esse adoptivus: ergo nulla est doctrina Ill. Godoy. Probat antecedens: idè iuxta ipsum, Christus, in quantum homo, non est Filius Dei adoptivus, quia est Filius naturalis illius; sed potest optimè Filius naturalis adoptari: ergo dato, & non concesso, quod Christus, in quantum homo, sit Filius Dei naturalis, potest etiam esse adoptivus. Probat minor ex lre Civili Lege *Qui liberatus 12. ff. de Adoptionibus,* vbi dicitur: *Quod qui liberatus patria potestate honestè redigi non potest, nisi adoptione;* ergo Filius alias naturalis, & à patria potestate per emancipationem liberatus (vt inquit Iuris Consultus) potest redigi per adoptionem ad habendum Ius ad hæreditatem, sicut alij Filij naturales, qui sunt sub patria potestate: ergo potest optimè Filius naturalis adoptari.

72
Probat. 6.

Filiatio naturalis, & adoptiva conveniunt.

Respondet Ill. Godoy numer. 91. quod lre Romanorum Civili, Filius extrà Patriam potestatem existens, omni iure priatur ad Patriam hæreditatem, & quia solum hoc Ius attendit Civilis consideratio; fit, vt in consideratione Civili, Filius naturalis nõ esset; ac per consequens capax existere civilis adoptionis; Filius tamen naturalis Dei semper esset in consideratione Theologica Filius proprius, naturalis, & verus, cum quo non comparitur esse Filium adoptivum, quia sæpè iam ex Concilio Francofordiensi notavit, adoptiva filiatio dicit negationem filiationis veræ, naturalis, & propriæ. Sed contra primo: nam Ius Romanorum Civile, nec tollit, nec tollere valet rationem Filij à Filio naturali extrà Patriam potestatem existente, vt de se patet: ergo solutio est nulla. Contra secundo: Ius Romanorum Civile solum tollit à tali Filio Ius ad Patriam hæreditatem: ergo extraneitas iuris sufficit ad adoptionem. Probat consequentia: cum intraneitate ad filiationem naturalem,

73
Respondet
Ill. Godoy.

Contra I.

Secundo.

& extraneitate iuris, stat adoptio secundum ius Civile: ergo extraneitas iuris sufficit ad adoptionem.

Septimò deniquè, vt occurramus doctrinæ, quam tradit Ill. Godoy *num. 182. & 183.* probatur conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: stante in subiecto causa vnica, & adæquata formali alicuius effectus, siuè primarij, siuè secundarij, siuè absoluti, connotatiui, stat in subiecto effectus, vel in re, vel in iure; sed esse Deo acceptum, est effectus primarius, vel secundarius, absolutus, vel connotativus gratiæ habitualis: ergo stante gratia habituali in subiecto, stat in illo, esse Deo acceptum, vel in re, vel in iure. Atqui gratia habitualis est in Christo: ergo Christus est Deo acceptus, vel in re, vel in iure. Omnia patent, si vera est maior.

Maior autem pro effectu primario est certa, illamquè concedit Ill. Godoy *num. 182.* constatquè ex eo, quod effectus primarius formæ est ipsa forma communicata: ergo stante in subiecto causa vnica, & adæquata formali effectus primarij, stat in subiecto talis effectus. Pro effectu secundario, & absoluto probatur: expulsio frigoris ad introductionem caloris est effectus secundarius absolutus caloris; sed stante in subiecto calore, stat expulsio frigoris, vel in re, vel in iure: ergo stante in subiecto causa vnica, & adæquata alicuius effectus secundarij absoluti, stat in illo talis effectus, vel in re, vel in iure. Probatur minor: nam vel ad introductionem caloris expellitur frigus, vel non? Si primum: stat effectus expulsionis in re. Si secundum: stat in iure, quia calor habet ius ad expellendū frigus: ergo stante in subiecto calore, stat expulsio frigoris, vel in re, vel in iure.

Deniquè probatur maior pro effectu connotativo, exemplis ab Ill. Godoy adductis *num. 183.* quorum primū est: repræsentare individuum existens, est effectus connotativus specierū, Angelis ab initio concessarum, quæ sunt adæquatè formæ repræsentationis individui existentis, vt faretur Ill. Godoy *num. cit.* sed positus in Angelis his speciebus, ponitur repræsentatio individui existentis, vel in re, vel in iure: ergo stante in subiecto causa vnica, & adæquata formali effectus connotatiui, stat in subiecto ta-

lis effectus, vel in re, vel in iure. Probatur minor: quia vel individuum est existens, vel non? Si primum: ponitur repræsentatio illius in re. Si secundū: ponitur repræsentatio illius in iure; quia tales species habent ius ad repræsentandum individuum existens.

Secundum est: Paternitatem referri ad plures Filios existentes, est effectus connotativus Paternitatis, quæ iuxta Ill. God. *num. cit.* est adæquata forma, omnes illos respiciendi; sed posita Paternitate, ponitur relatio ad plures Filios existentes, vel in re, vel in iure: ergo idem, quod prius. Probatur minor: nam vel plures Filij sunt existentes, vel non? Si primum: ponitur relatio ad omnes in re. Si secundum: stat relatio ad omnes in iure, quia Paternitas habet ius ad respiciendos plures Filios existentes.

Probata iam maiori, & cæteris habitis vt certis; non enim est in illis difficultas. Infero nunc: ergo Christus est Filius Dei adoptivus. Probatur hæc consequentia: esse Deo acceptum in re, vel in iure, est esse Filium Dei adoptivum; sed iuxta concessa Christus est Deo acceptus in re, vel in iure: ergo Christus est Filius Dei adoptivus. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior autem pro prima parte est apud omnes Theologos certa. Pro secunda verò est Ill. Godoy *disput. preced. num. 163.* vbi solvendo quodam argumentum, sic ait: Casu, in quo Deus non ordinaret ad gloriā hominem, in gratia perseverantem, homo ille, licet non maneret gratus, acceptus ad gloriā in re; esset tamen acceptus ad illam in iure, id est, haberet ius, vt acceptaretur ad illam, & hoc sufficit, ad rationem filiationis adoptivæ: ergo esse Deo acceptum in iure, est esse Filium Dei adoptivum.

§. V.

Paritatibus ad hominem contra Ill.

Godoy probatur conclusio.

Probatur octavò conclusio: quod Persona Christi dicat negationē membri, non obest, vt Christus, in quantum homo, sit membrum: ergo quod Persona Christi dicat negationem filiationis adoptivæ, non obest, vt Christus in quantum homo, sit Filius Dei adoptivus. Aliter formatur probatio: quod persona Christi sit intranea ad rationem capitis, non obest,

Secundum.

77
Infero.

74
Probat. 7.
conclusio ad
hom. contra
Ill. Godoy.

75
Probatur
maior pro
1. & 2.
parte.

76
Pro 3. part.
probatur
exemplis.

Primum.

78
Probat. 8.
conclusio.

vt Christus, in quantum homo, sit extraneus ad rationem capitis: ergo quod persona Christi sit intranea ad filiationem naturalem, non obest, vt Christus, in quantum homo, sit extraneus ad naturalem filiationem, & consequenter filius adoptivus. Consequentia videtur legitima. Antecedens autem patet: nam iuxta Ill. Godoy: *tom. preced. disp. 28. num. 11.* Christus, in quantum homo, est membrum respectu Dei, ex Apostolo dicente: *Caput Christi Deus*; persona vero Christi est proprie caput, & nullo modo membrum.

Aliter adhuc formatur probatio: Quod Christus per gratiam vnionis sit caput supremum Ecclesie, non obest, vt Christus per gratiam habitualement sit caput non supremum Ecclesie: ergo quod Christus per gratiam vnionis sit Filius Dei supremus, non obest, vt Christus per gratiam habitualement sit Filius Dei non supremus. Atqui Christum esse supremum Dei Filium, est, esse Filium naturalem Dei, & esse Filium Dei non supremum, est, esse Filium Dei adoptivum: ergo quod Christus per gratiam vnionis sit Filius Dei naturalis, non obest, vt per gratiam habitualement sit Filius Dei adoptivus. Prima consequentia constat ex dictis *num. anteced.* Subsumpta apparet: nam inter filium naturalem, & adoptivum naturalis est supremus.

Antecedens autem est Ill. Godoy: *tom. preced. disp. 28.* & sic ostenditur: nam *num. 9.* asserit: Christum esse caput Ecclesie, vt Deum, & vt hominem: ergo Christus, vt Deus, erit caput supremum, & vt homo, non supremum. A qui *num. 39.* docet: quod Christus, vt homo, est caput Ecclesie per gratiam habitualement: ergo asserit, quod Christus per gratiam vnionis est caput supremum Ecclesie, & per gratiam habitualement est caput non supremum Ecclesie: ergo verum est antecedens iuxta Ill. Godoy, scilicet, quod Christus per gratiam vnionis sit caput supremum Ecclesie, non obest, vt per gratiam habitualement sit caput non supremum Ecclesie.

Probat nono conclusio: quod persona Christi dicat negationem mortalitatis, durationis temporalis, &c. non obest, vt Christus, in quantum homo, sit mortalis, temporalis, &c. Vel sic: quod persona Christi sit in-

tranea ad immortalitatem, & aternitatem, &c. non obest, vt Christus, in quantum homo, sit extraneus ad immortalitatem, aternitatem, &c. ergo pariter: quod persona Christi dicat negationem filiationis adoptivae, vel quod sit intranea ad filiationem naturalem, non obest, vt Christus in quantum homo, sit Filius Dei adoptivus, & extraneus ad naturalem filiationem.

Probat decimo conclusio: vna, & principalior ratio, qua probat Ill. Godoy: Christum, vt hominem, non esse Filium Dei adoptivum, est, quia adoptiva Christi filiatio negatur a Concilio Francfordiensi; sed hoc non obest, vt Christus, in quantum homo, sit vere Filius Dei adoptivus: ergo talis est. Probat minor: quod Christum, vt hominem, esse servum, negetur a dicto Concilio, non obest, vt Christus, in quantum homo, sit proprie servus: ergo quod a Concilio negetur, Christum, vt hominem, esse filium adoptivum, non obest, vt Christus, in quantum homo, sit vere Filius Dei adoptivus. Consequentia est paritate certa. Antecedens vero est Ill. Godoy *num. 124.*

Dupliciter respondet Ill. Godoy ad hanc rationem. Primo *num. 142.* Adrianum, & Concilium loqui de servitute pura, multiplicante supposita, qualiter Elipandus, & Felix servitute Christo attribuebant. Vel de servitute peccati, aut de servitute legali ad Angelos, vel ad homines. Secundo *num. 146.* Concilium loqui de servitute ratione suppositi incompatibili cum vnitate persone in Christo, vt homine Deo; non autem de servitute naturali ratione solius nature, non multiplicante supposita.

Vtraque solutio impugnatur primo: non obstante, quod Concilium absolute neget servitute de Christo, adest locus, vt Ill. Godoy explicet Concilium de servitute multiplicante supposita: ergo pariter: non obstante, quod Concilium absolute neget adoptionem de Christo, adest locus, vt nos Concilium explicemus de adoptione, supposita multiplicante. Secundo: nam ideo Ill. Godoy vitur predicta interpretatione ad salvandam in Christo servitute naturalem, quia Felix, & Elipandus Christo tribuebant servitute multiplicantem personas; sed etiam tribuebant Chris-

88

79
Aliter formatur probatio.

80

Antecedens est doctrina Ill. Godoy.

81

Probat. 9. conclusio.

82

Probat. 10.

83

Respond. 1. Ill. Godoy.

Secundo.

84

Impugn. 1. vtraque solutio.

to filiationem adoptivam multiplicantem personas: ergo nobis etiam libebit, eadem vti interpretatione.

85

Respondet
Ill. Godoy.1. dispari-
tas.

Respondet Ill. Godoy *num.* 149. negando paritatem, cuius duplex est disparitas. Prima: quia pro servitute naturali, & propria Christi, stant ferè omnes Patres, illam adstruentes in Christo, vnde coartare cogimur verba Concilij, vt non omnem servitutem propriè talem negaverit; non enim est casus dabilis, quod legitimū Concillium aliquid diffiniat contra vnanimen Patrum sententiam, & ideò verba Concilij talitèr accipi debent, vt non excludant à Christo omnem propriam servitutem: filiationem verò adoptivam nullus ex Ecclesiæ Patribus adstruit in Christo, vt Concillium ipsum apertè fateatur in *Epist. ad Episcopos Hispaniæ*, respondens hæreticis, inquirentibus, cur timerent P. P. Concilij Christum nuncupare filium adoptivum? Cui interrogationi respondent: *Quia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Doctores Ecclesiæ sic illum appellaverunt*; & ideò nullum est fundamentum ad coarctanda verba Concilij ad aliquem peculiarem modum filiationis adoptivæ; ita, vt non omnem à Christo, quatenus homine, excluderint.

86

2. dispari-
tas.

Secunda discriminis ratio est: quia dum loquitur Concilium de filiatione adoptiva, vtitur propositionibus, omnem modum adoptionis excludentibus, asserens: *Nullò modo esse filium adoptivum, & adoptivum nullam aliam significationem habere, nisi vt filius proprius, & naturalis non sit*; quæ, si in rigore accipiantur, omnem filiationem adoptivam excludunt. Dum autem servitutem à Christo, vt homine, relegat, modo isto loquendi non vtitur, sed propositionibus simplicibus negativis, quæ non ita universalitèr petunt accipi, vt omnem modum servitutis excludant. Et ad hanc duplicem disparitatem recurrit *num.* 151. ad solvendam secundam impugnationem; quare disparitatibus reiectis, reiecta manebit solutio ad vtranque impugnationem.

87

1. dispari-
tas.
Reijcitur 1

Reijcitur prima disparitas primò: ideò iuxta Ill. Godoy coartare cogimur verba Concilij, vt non omnem propriam servitutem à Christo relegemus, quia omnes ferè P. P. Ecclesiæ stant pro aliqua propria servitute;

atqui hoc est falsum: ergo, & solutio. Probatur minor: Plures Ecclesiæ P. P. negant servitutem in Christo, vt sunt Damasc. 3. *de fide*, cap. 21. & lib. 4. cap. 19. Athanas. Chrysostom. Eusebius Emisenus, Cyrillus, Theodoretus, & Leo I. citati ab Ill. Godoy *num.* 121. quos omnes, & fortè plures, adducunt Authores negantes servitutem propriam in Christo: ergo falsum est, quod ferè omnes P. P. Ecclesiæ stent pro aliqua propria servitute.

Reijcitur secundò: vltra P. P. relatos, & Concil. Francofordiense, etiam Concilium Alexandrinum negat servitutem in Christo, quin sit in nobis testamento aliquis Scripturæ locus, in quo Christus appelletur servus, & hoc fuit argumentum, quo Adrianus contra Elipandum probavit, Christum non esse servum; atqui non sunt tot testimonia contra filiationem Christi adoptivam, & si tot, non plura: ergo si coartare cogitur verba Concilij, vt non omnem servitutem propriam à Christo relegemus, coartare etiam cogimur verba Concilij, vt non omnem filiationem adoptivam à Christo relegemus.

Reijcitur tertio: ideò iuxta Ill. Godoy nullum est fundamentum, ad coarctanda verba Concilij ad aliquem peculiarem modum filiationis adoptivæ, quia nullus ex Ecclesiæ Patribus filiationem adoptivam in Christo adstruit; sed hoc est plusquam falsum: ergo talis est illius solutio. Probatur minor primò: nam Irineus, Marianus Victorinus, & Hilarius filiationem adoptivam in Christo adstruunt, vt diximus *num.* 25. vbi eorum Auctoritates declaravimus; imò ex nobis testamento aliqua loca sunt, in Christo adoptivam filiationem clamantia, & efficacitèr convincentia, vt constat ex dictis à *num.* 8. usquè ad 29. ergo dicere, quod nullus ex Ecclesiæ Patribus adstruit in Christo filiationem adoptivam, falsum est, & plusquam falsum, vt potè, vltra P. P. aliquos, id etiam Scriptura testatur.

Probatur secundò dicta minor: ideò veram esset, quod nullus ex Ecclesiæ Patribus filiationem adoptivam in Christo adstrueret, quia Concil. ait: *Nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Doctores Ecclesiæ, sic illum appellaverunt*; atqui ex hoc potius convincitur oppositum: ergo falsum est, quod nullus

88

Reijcitur 2

89

Reijcitur 3

90

Prob. min. 1

Secundò.

91

Reijcitur 4

92

Reijcitur 5

93

Reijcitur 6

94

Reijcitur 7

95

Reijcitur 8

96

Reijcitur 9

97

Reijcitur 10

98

Reijcitur 11

99

Reijcitur 12

ex Ecclesiæ P. P. adstrueret in Christo filiationem adoptivam. Probat minor: quia Elipandus, cum quo loquebatur Concilium, filiationem adoptivam probabat aliquibus P. P. testimonijs, & sub expressio nomine adoptionis adducebat pro se dicta ab Eugenio, Iuliano, & Ildephonso: ergo ex verbis Concilij allatis potius convincitur: aliquos P. P. Ecclesiæ filiationem in Christo adstruere adoptivam.

91
Tertiò.

Probat tertiò dicta minor: ex illis verbis Concilij: *Quia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Doctores Ecclesiæ sic illum appellaverunt*, solum inferitur: nullum ex Patribus Ecclesiæ tribuisse Christo adoptivam filiationem in sensu, quo illam usurpavit Elipandus; sed hoc non obest, ut veram, & Catholicam adoptivam filiationem P. P. docerent: ergo idem, quod antea. Probat maior: nam quia Elipandus taliter adoptionem usurpavit, ut diceret, quod alius erat Filius Dei adoptivus in Christo, & alius naturalis, reprehenditur à Concilio his verbis: *Vbi hoc nomen didicisti? Ostende. Patriarchæ nescierunt. Prophetæ non dixerunt. Apostoli non predicaverunt. Sancti Tractatores hoc nomen tacuerunt. Doctores fidei nostræ non docuerunt. Fortè in tertiū Cælum raptus fuisti?* Ergo ex verbis Concilij solum inferitur, nullum ex P. P. Ecclesiæ tribuisse Christo adoptivam filiationem in sensu, quo illam usurpavit Elipandus.

92
2. dispari-
tas.
Reijcitur 1

Refellitur secunda disparitas primò: Concilium absolute negat servitutem Christo, ut homini: ergo si in rigore accipiatur, excludit à Christo, ut homine, omnem modum servitutis: ergo nulla est disparitas inter negationem servitutis, & filiationis adoptivæ à Concilio positam. Antecedens est certum; quia Concilium nullam servitutem concedit Christo, ut homini, nec inter servitutes distinguit, nec locutio Concilij est limitata ad unum modum servitutis; non enim dicit: Christum esse, vel non esse servum hoc, vel illo modo servitutis; sed absolute servitutem negat. Imò hic est modus, quo negationem esse absolutam, probat Ill. Godoy tom. 1. in 3. p. disp. 8. num. 13.

93
Consequen-
tia probat.

Consequencia verò probatur: absoluta negatio servitutis excludit omnem modum servitutis, si in rigore accipiatur; sed Concilium absolu-

tè negat servitutem Christo, ut homini: ergo si in rigore accipiatur, excludit à Christo, ut homine, omnem modum servitutis. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est Ill. Godoy pluribus in locis, pro quibus sufficiat tom. 1. in 3. p. disp. 8. num. 13. ubi ad impugnandam nostram solutionem, hac utitur propositione: *Absoluta negatio omnem modum excludit.* Confirmatur, & vrgetur ad hominè contra ipsum: ex eo, quod P. P. absolute negent, Christum venturum, Adamo non peccante, inferit Ill. Godoy citat. Christum nullo modo venturum: ergo absoluta negatio idem est, ac nullo modo: ergo Concilium absolute negare Christo servitutem, est idem ac dicere: Christum nullo modo esse servum: ergo ita univèrsaliter negat Concilium servitutem, ac filiationem adoptivam: ergo nulla, & inutilis est disparitas ab Ill. Godoy adducta.

Cōfirmatur

Refellitur secundo: si Concilium excludit à Christo, ut homine, omnem modum filiationis adoptivæ, Damascenus excludit ab illo omnem servitutem propriè dictam; sed hoc non obstante, Christus, in quantum homo, est propriè servus Dei iuxta Ill. Godoy: ergo illo non obstante, erit aliquomodo Filius Dei adoptivus: ergo nulla est disparitas. Probat maior pro secunda parte: Damascenus eo modo excludit à Christo, ut homine, servitutem, quo excludit ab illo ignorantiam propriè dictam: ergo Damascenus excludit ab illo omnem servitutem propriè dictam. Consequentia est legitima. Minor est Ill. Godoy disp. 44. num. 20. ubi nullam ignorantiam propriè dictam fuisse in Christo, docet, & probat. Maior est Damasceni lib. 4. cap. 19. dicentis: *Propter unionem ad Dei Verbum secundum hypostasim caro, nec serva fuit, nec ignoravit*, ubi per comparisonem ad ignorantiam excludit servitutem à Christo, ut homine.

94
Reijcitur. 2

Denique probatur conclusio paritate ex servitute etiam desumpta: quod Concilium excludat adoptionem à Christo, ut homine, eo, quod sit substantialiter cum Deo unitus, non tollit, quod Christus, ut homo, sit verè, & propriè filius Dei adoptivus: ergo Christus, ut homo, est talis filius. Probat antecedens: Damasce-

95
Denique
probat. cō-
clusio.

nus excludit servitutem à Christo, vt homine, eo, quod est substantialiter cum Deo vnitus; sed hoc non tollit, quod Christus, vt homo, sit verè, & propriè servus: ergo quod Concilium excludat adoptionem à Christo, vt homine, eo, quod sit substantialiter cum Deo vnitus, non tollit, quod Christus, vt homo, sit verè, & propriè filius Dei adoptivus. Consequentia est legitima. Minor ab Ill. Godoy concessa. Maior autem est expræssa Damasceni 3. de Fide, cap. 21. dicentis: *Illud quoque sciendum est, eum ne servum quidem dicere, nobis licere; sane servilis ordinis est caro, nisi Deo copulata esset, & ei personaliter vnita.*

§. VI.

.Argumento Ill. Godoy ex Concilio deducto occurritur.

96
Arguit. 1.
ex Concil.

ARguit primò num. 5. ex Concilio Francofordiensi, in quo hæc propositio: *Christus fuit proprius Dei filius, non adoptivus*, non semel, aut iterum, sed multoties pronuntiatur. Ita expræsse in Epistola Adriani, pag. 412. colum. 1. ibi: *Nomen Paternum tunc manifestavit hominibus, cum se Patris Filium verum, & non putativum, proprium innotuit, & non adoptivum.* Eadem propositio habetur in lib. Sacrosyllabo, pag. 415. colum. 2. & pag. 416. colum. 1. & 2. & pag. 418. in principio, & post medium. Et in Epistol. ad Episcopos Hispania, pag. 419. colum. 1. his verbis: *Et si verus Deus, etiam & verus Filius, & si verus Filius, nequaquam adoptivus, quia adoptivus, sicut in testimonio Sancti Hillarij possumus, non verè natura est Filius.* Et pag. 422. colum. 1. in principio: *Vnitas persona, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit iniuriam.* Et colum. 2. ad finem: *Adoptivus, siquidem non habet aliam significationem, nisi, vt Iesus Christus non sit proprius Filius Dei: ergo ex mente huius Concilij asserendum est, Christum, vt hominem, filium Dei adoptivum non esse, & oppositum asserere videtur ab Adriano, & Concilio damnatum.*

97
Respondetur
generalitèr

Respondeo primò: Concilium procedere contra Felicem, & Elivandum, qui, vt porè, hæretici Nestoriani, duas in Christo adstruebant personas, seu duo supposita, iuxta duas naturas, humanam scilicet, & Divinam. Vnde constituebant in Christo duos filios personalitèr distinctos, alium huma-

num, & hunc adoptivum; alium Divinum, & hunc naturalem, ex quibus vnum Christum aglomeratum (hæc est vox Elipandi) sicut acervus lapidum, constituebant, & consequenter negabant communicationem Idiomatum. Huic oppositum fuit ab Ecclesia diffinitum in Epistol. Adriani, in lib. Sacrosyllabo, & in Concilio Francofordiensi; non verò diffinivit Concilium: Christum, vt hominem, filium adoptivum non esse, adoptione in vna, & eadem persona cum filiatione naturali composita, in quo sensu à nobis, & tot Catholicissimis Doctoribus defenditur; sed diffinivit dumtaxat: Christum non esse filium Dei adoptivum, tanquam purus homo, alius, & distinctus ab ipso Christo, vt filio Dei naturali, seu adoptione pura, personas multiplicante, qualitèr à Felice, & Elipando adoptio in Christo adstruebatur.

Et certè, quod Felix, & Elipandus essent Hæretici Nestoriani, duas in Christo personas adstruentes, contra ipsosque, & hunc errorem, processisse Concilium, est (quidquid dicat Bazquez) communis Theologorum consensus, vt ait Ill. Godoy numer. 18. qui vsque ad numer. 29. Authores citat, & Authoritatibus, tum Epistolæ Adriani; tum libri Sacrosyllabi; & tum Concilio Francofordiensi, propugnat, & defendit. Idem facit Castillo de Incarnation. disp. 17. quest. 1. à num. 21. vsque ad 45. In his ergo omnia hæc videnda relinquo, quia in hoc non est cum Ill. Godoy litigium.

Generalitèr tamen id hac ostendo ratione: nam Pontifex, & Concilium omnem suam curam, & sollicitudinem applicarunt in probando vnitatem personæ Christi Domini, & dualitatem naturarum, vt claret ex authoritatibus in Ill. Godoy, & Castillo citat. pro quibus omnibus sufficiat hæc ex Paschasio à Concilio relata fol. 152. *Itaque in Deo, & homine gemina substantia, sed non gemina persona est.* Vnde argumenta ex Scriptura, Concilio, & Patribus deducta, vnicè tendunt ad probandū, quod Christus, vt homo, est ipsamet filij naturalis Dei persona, Vnigenitus, & Primogenitus Patris, in ipsoque vera reperitur Divinitas, sicut vera reperitur humanitas. An autem retenta vnitatem suppositi, Christus, in quantum ho-

98
Felix, &
Elipandus
Nestoriani
fuerunt, &
ostenditur
1.

99
Secundò.

mo, sit formaliter filius Dei adoptivus, vel non? Neque Patres curarunt, neque de hoc est in Concilio verbū, ideoquē argumenta prædicta potius omitenda, quam contra Catholicam conclusionem sunt obijcienda.

100
Specialiter
respondetur
ad Autho-
ritates.

Ad 1.

Per hæc itaque solutum manet argumentum, quod ex Concilio adversus nos obijcit Ill. Godoy; specialiter tamen ad omnes Authoritates respondendum est. Ad primam ex Adriano dico: quod cum ait: *Proprium, & non adoptivum*, negat, quod sit filius adoptivus, personaliter distinctus à proprio, qui verus filius Dei est, & non putativus, seu nuncupativus, ut hæretici adstruebant, fatentes duos filios realiter distinctos, quorum vnus, scilicet, adoptivus, diceretur putativè, & alius, scilicet, nuncupativè, diceretur filius Dei. Explicatur hoc: nam Adrianus negat esse *adoptivum*, ut neget esse *putativum*, ut patet ex illius verbis; sed negare esse *putativum*, est negare esse filium realiter distinctum à filio vero: ergo negare esse *adoptivum*, est negare esse filium realiter distinctum à proprio: ergo negat adoptionem positam ab Hæreticis.

101

Ad 2.

Ad secundam ex Epistola ad Episcopos Hispaniæ eadem est solutio, nempe, nequaquam adoptivus, tanquam purus homo, alius, & distinctus ab ipso Christo, ut filio naturali Dei, quod evidentè demonstrant illa verba: *& si verus filius*, per quæ tollit pluralitatem filiorum personaliter distinctorum. Et non minus clarè idē ostendit ratio adducta, scilicet, *quia adoptivus non verè natura est filius*; quod dumtaxat est verum de adoptivo personaliter distincto à filio per naturam, sive naturali.

102

Ad 3.

Ad tertiam patet ex ipsa, quod Concilium tollit adoptionem dividendam personas, ideoquē meritò dixit: *Quod unitas personæ, quæ est in Dei filio, & filio Virginis adoptionis tollit iniuriam*, quia cum Hæretici adstruerent adoptionem, personas in Christo multiplicantem, nihil melius, quam unitas personæ, tollit iniuriam huius adoptionis. Ad ultimam, quam multoties in præsentī repetit Ill. Godoy, ex ipsa etiam constat, quod loquitur Concilium de adoptione accepta in significatione Hæreticorum, scilicet, ex aliquo servo adoptatus in filium, ut claret ex verbis immediatè sequen-

Ad ultimā.

tibus; ait enim: *Sed nescio, ex quo servo adoptatus in felicitatem, ut vos dicitis*: ergo quando Concilium dicit: *Adoptivus, siquidem non habet aliam significationem, nisi, ut Iesus Christus non sit proprius filius Dei*, loquitur iuxta intelligentiam Hæreticorum.

Soluto argumento, quod ex Concilio obijcit Ill. Godoy, retorqueo contra ipsum argumentum: non solum à Concilio Francofordiense, & ab Adriano primo in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, de Christo, ut homine, negatur filiatio adoptiva, verum etiam negatur servitus, ut apud omnes est in confesso; sed hoc non obstante, Christus, ut homo, est cum proprietate servus iuxta Ill. Godoy num. 124: ergo illò non obitante, Christus, ut homo, est cum proprietate filius Dei adoptivus. Quod autem respondet ipse ad hanc retorsionem, impugnatum manet per dicta à numer. 84. usque ad 95.

103
Retorqued
argum.

Contra nostram solutionem replicat primò Ill. Godoy num 29: nam duo à Concilio definiuntur, nempe, Christum in natura assumpta esse filium Dei proprium, & non esse filium adoptivum Dei; at si solum excluderet filiationem purè adoptivam in Christo incompositam cum vna Verbi persona, superflueret negativa propositio: ergo excludit filiationem adoptivam, non solum multiplicantem personas, sed etiam cum personæ unitate compositam, vel censuit, hanc compositionem esse impossibilem. Probatur minor: eo ipso, quod Christus sit filius proprius, & naturalis Dei, non est filius, filiatione purè adoptiva: ergo filiatio purè adoptiva excluditur formaliter per filiationem propriam, vel naturalem; ac per consequens ad illius exclusionem affirmata filiatione naturali, superfluit assertio negans filiationem purè adoptivam.

104
Replicat 1.
Ill. Godoy.

Respondeo negando minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens: eo ipso, quod Christus sit formaliter filius proprius, & naturalis Dei, nō est filius filiatione purè adoptiva, concedo antecedens; eo ipso, quod Christus sit materialiter, & per communicationem Idiomatum filius proprius, & naturalis Dei, nego antecedens, & distinguo primum consequens: excluditur formaliter per filiationem propriam, & naturalem

105
Respondet.

formalem, concedo consequentiam; materialem, nego consequentiam, & eadem distinctione potest secundum consequens distingui.

106
Hereticorum
opinio.

Itaque certum est: duo Concilium diffinisse de Christo, ut homine. Primum, esse Filium Dei naturalem. Secundum, non esse Filium Dei adoptivum. Insuper certum est: hæc duo (hoc est, quod tacet Ill. Godoy) diffinita esse in sensu sensui hæreticorum opposito. Ratio est: nam hæretici negando unitatem personæ in Christo, unum negabant, & aliud concedebant. Negabant, quod Christus ut homo, esset per communicationem Idiomatum Filius Dei naturalis, quia negando unitatem personæ, talem Idiomatum communicationem negabant; & consequenter eum Filium Dei, non verè, & realitèr, sed tantum putativè, & nuncupativè appellabant. Concedebant, quod Christus, ut homo, erat Filius Dei adoptivus, tanquam purus homo, alius, & distinctus personalitèr ab ipso Christo, ut Filio Dei naturali; quia negando unitatem personæ, personas multiplicabant in Christo, consequenterque unam solum per agglomerationem personam adituebant.

107
Declaratur
solutio.

Hoc itaque, ut certo, & certissimo statuto, ut diximus *numer. 97.* & esse communem Theologorum consensum, statuimus *num. 98.* Clarissima est ad replicam solutio: nam Concilium duo sine superfluitate diffinivit. Primò diffinivit contra Hæreticos: Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei verè, & propriè per communicationem Idiomatum, ut verum est dicere: quod *Deus est homo, & homo Deus*, quod negabant hæretici, has propositiones negando, & has solum confitendo: *Homo est Deificus, Deus est humanatus.* Secundò diffinivit contra eosdem: Christum, ut hominem, non esse Filium Dei adoptivum, tanquam purus homo, alius, & distinctus ab ipso Christo, ut filio naturali Dei, quod concedebant hæretici, concedendo dualitatem personarum, seu duos filios personalitèr distinctos.

108
Replicat 2.
Ill. Godoy.

Replicat secundò Ill. Godoy *num. 30:* nam Patres docent: Christum nequaquam esse filium adoptivum Dei, quod idem est, ac docere, nullomodo esse filium adoptivum; at filiatio adoptiva cum personæ unitate in humani-

tate Christi composita, est aliquis modus filiationis adoptivæ: ergo excluditur à Patribus Concilij Francofordiensis iste modus adoptionis. Et augetur difficultas: Nam *Christum nullo modo esse filium adoptivum, & Christum aliquomodo esse filium adoptivum*, sunt propositiones contradictoriè oppositæ; & consequenter non possunt esse simul veræ; at negativa vera est, ut potè à Concilio asserta verbis superius relatis: ergo affirmativa est falsa; sed Christum in quantum hominem, esse filium adoptivum, adoptione composita cum una Christi persona, ut subsistentis in humana, & Divina natura, est Christum aliquomodo esse Filium adoptivum Dei, ut per se est manifestum: ergo Christum, in quantum hominem, esse Filium Dei adoptivum isto modo filiationis, falsum est, & à Concilio damnatum.

Respondeo ad replicam distinguendo maiorem: nequaquam esse Filium Dei adoptivum, adoptione multiplicante personas concedo maiorem; adoptione cum unitate personæ composita, nego maiorem; & hac distinctione supposita, *nequaquam idem est, ac nullo modo.* Concedo minorem, & nego consequentiam. Solutio claret ex dictis, & ex eo, quod Patres locuntur de adoptione, ut pertinet ad fidem; unde *ly nequaquam, vel nullo modo*, solū cadit supra adoptionem contra fidem ab hæreticis Christo tributam, quin esset illis necessarium distinguere de adoptionibus, ut constat ex dictis *num. 99.* & evidentè ostendunt dicta de servitute à *num. 83. usque ad 95.*

Ad confirmationem distinguo maiorem: sunt propositiones contradictoriè oppositæ, consideratis propositionibus respectu eiusdem secundum eundem modum adoptionis, concedo maiorem; secundum diversum modum, nego maiorem, & distinguo minorem: negativa est vera de adoptione, multiplicante personas, concedo minorem; de adoptione cum unitate personæ composita, nego minorem; & è contra distinguo consequens. Concedo subsumptam, & nego consequentiam; quia ut hæc propositio: Christus, in quantum homo, est Filius Dei adoptivus, adoptione cum unitate personæ composita, esset falsa, debebat Concilium ne-

Confirmat.

001
111
112
113
114
115

109
Respondeo
ad replicam.

101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115

110
Ad confirm.

gare hunc modum adoptionis, quod non facit, ut toties dictum est.

111
Retorq. 1.
ad hom. cō-
tra Ill. God.

Sed quia hic modus arguendi est apud Ill. Godoy valde frequens, valde frequens sit nobis etiam, retorquere contra ipsum. Retorqueo primò: istæ propositiones sunt contradictorie oppositæ: *Ego non ascendam ad diem festum; ego ascendam ad diem festum;* sed prima est vera, utpotè, à Christo prolata: ergo secunda est falsa, quod est contra Ill. Godoy, qui Catholicè debet cū Evangelista confiteri: Christum, etli occultè, ascendisse ad diem festum. Secundo: istæ sunt contradictoriæ: *Remedium peccati fuit unicum motivum Incarnationis; remedium peccati non fuit unicum motivum Incarnationis;* sed prima est vera, utpotè, expressè tradita ab Augustino, & ab Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 8. num. 11. contra nos obiecta: ergo secunda est falsa, quod est contra ipsum citat. admittentem alia motiva primaria Incarnationis.

Secundò.

112
Tertiò.

Tertiò: istæ sunt contradictoriæ: *Deus non est comprehensibilis, Deus est comprehensibilis;* sed prima est vera, utpotè, expressè Hieremiæ cap. 32: ergo secunda est falsa, quod est contra Ill. Godoy tom. 1. in 1. part. disp. 25. num. 18. Quarto, istæ sunt contradictoriæ: *Deus est Pater est propositio per se; Deus est Pater non est propositio per se;* sed prima apud Ill. Godoy debet esse vera, utpotè, expressè D. Thomæ, ut ipse fatetur tom. 3. in 1. part. disp. 77. num. 5: ergo secunda est falsa; quod est contra ipsum tom. citat. disp. 76. num. 24. Quintò: istæ sunt contradictoriæ: *Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum: Pater aliquam creaturam non intelligendo concipit Verbum;* sed prima debet esse vera iuxta Ill. Godoy, quia est expressè D. Thomæ 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3: ergo secunda est falsa, quod est contra ipsum tom. 3. in 1. p. disp. 91. num. 2.

Quartò.

Quintò.

113
Sextò.

Sextò: istæ sunt contradictoriæ: *Spiritus Sanctus non petit per se procedere à duabus personis: Spiritus Sanctus petit per se procedere à duabus personis;* sed prima est vera, utpotè, à Concilijs, & Patribus tradita, ut diximus tom. 3. in 1. Sent. disp. 93. num. 5: ergo secunda est falsa, quod est contra Ill. Godoy tom. 3. in 1. part. disp. 93. num. 3. Septimò: istæ sunt contradictoriæ: *Deus non est nobis debitor: Deus est nobis de-*

Septimò.

bitors; sed prima est vera, utpotè, à Patribus tradita ex dictis tom. 1. in 3. Sent. disp. 7. num. 67. & 68: ergo secunda est falsa, quod est contra Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 7. num. 4. Octavo: istæ sunt contradictoriæ: *Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio egressionis importatur: Intelligere importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua aliqua ratio egressionis importatur;* atqui prima debet esse vera apud Ill. Godoy, utpotè, expressè D. Thomæ 1. part. quæst. 34. art. 1. ad 3: ergo secunda est falsa, quod est contra Ill. Godoy, & omnes univèrsaliter Thomistas.

Octavò.

Nono: istæ sunt contradictoriæ: *Christus, ut homo, non est servus: Christus, ut homo, est servus;* & consequenter non possunt esse simul veræ; sed negativa vera est, utpotè, à Concilio asserta, ut fatetur Ill. Godoy: ergo affirmativa est falsa, quod est contra ipsum num. 124. Decimo: istæ propositiones: *Verbum assumpsit hominem: Verbum non assumpsit hominem,* sunt contradictoriæ, & consequenter nequeunt esse simul veræ; sed prima est vera, utpotè, à pluribus Concilijs, ab Ecclesia, & ferè omnibus Patribus asserta, ut fatetur Ill. Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 20. num. 37. 38. & 39: ergo secunda est falsa, quod est contra ipsum citat. num. 6.

114
Nono.

Decimò.

Omnes istæ retorsiones, ut ex ipsis claret, sunt ad hominem contra Ill. Godoy, earumque efficacia ad hominem etiam contra ipsum demonstratur: ideò iuxta replicam illius istæ propositiones: *Christus non est Filius Dei adoptivus: Christus est Filius Dei adoptivus,* sunt contradictoriæ, & consequenter non possunt esse simul veræ, quia primam negat Concilium adverbio *nequaquam*, quod idem est, ac *nullo modo*; atqui vnam ex nostris propositionibus multoties negatur adverbio *nequaquam*, vel *nullo modo*, vel ad minus negatur negatione absoluta, quæ æquivaleret adverbij *nequaquam*, *nullo modo*, ut fatetur ipse tom. 1. in 3. part. disp. 8. num. 13. ut dictum est num. 93: ergo omnes allatæ propositiones sunt contradictoriæ, & consequenter non possunt esse simul veræ, quod est contra ipsum, ut visum est.

115
Omnes re-
tors. sunt
ad hom. cō-
tra Ill. God.
& ad hom.
earum effi-
caciæ demon-
stratur.

Replicat tertiò: nam ut constat

116

Replicat 3.
Ill. Godoy.

ex nobis supra relatis in *Epist. ad Episcop. Hispania pag. 422. colum. 2. ad fin.* ideo excluditur à Concilio filiatio adoptiva in Christo, quia *adoptivus* aliam significationem non habet, nisi ut Christus non sit proprius Filius Dei: si autem esset dabilis adoptio cum propria filiatione in vna persona composita, *filius adoptivus* aliam significationem haberet; siquidem iam salvaretur affirmatio filiationis adoptivæ sine negatione filiationis propriæ, aut naturalis; & consequenter aliqua significatio adoptionis propria filiationem non negaret: ergo ex mente Concilij non est possibilis filiatio adoptiva Dei in vna Christi persona, cum propria, & naturali filiatione composita; & consequenter omnem filiationem adoptivam à Christo, ut homine, excludit.

117
Respondeo.

Respondeo distinguendo antecedens: quia *adoptivus* in sensu Hæreticorum aliam significationem non habet, nisi, ut Christus non sit filius proprius Dei, concedo antecedens; in sensu à nobis accepto, nego antecedens, & consequentiam; nam *adoptivus* in sensu à nobis accepto aliam significationem habet, siquidem salvatur affirmatio filiationis adoptivæ, sine negatione filiationis naturalis; optimè enim componitur, quod Christus, ut homo, sit formaliter filius Dei adoptivus, & quod per communicationem Idiomatum sit verè, & propriè filius Dei naturalis, quod in sensu Hæreticorum impossibile est, eo, quod negando unitatem personæ, negant Idiomatum communicationem. Solutio patet ex dictis n. 106. & 107.

118
Respond. 2
ad argum.
ex Concilio.

Respondeo secundo ad argumentum ex Concilio deductum: quod dato, & nunquam concesso, quod Concilium excluderet absolute omnem filiationem adoptivam à Christo, ut homine; non omnis adoptiva filiatio esset Christo neganda absolute; quia sæpè contingit, quod Patres Ecclesiæ, ut omnino discedant à sensu Hæreticorum, negant aliquid absolute, quod non est absolute negandum. Hoc egregiè probavit Scotus in *Report. citat. num. 3. ex D. Damasceno*; hic enim, ut se opponeret Hæreticis, qui concedentes, Beatissimam Virginem fuisse solum Matrem Christi, negabant, fuisse etiam Matrem Dei, negavit de illa *lib. 3. cap. 12. & 58.* quod

Exemplum.

esset *Christotocon*, id est, genitrix Christi, & solum concedit, quod esset *Theotocon*, id est, Mater Dei. Undè non negavit Damascenus, quod esset Mater Christi, sed negavit, quod esset Mater Christi non Dei, seu Christi, non habentis sibi unitam Divinitatem.

Ita pariter, & uniformiter dicimus in præsentì, nempe, quod licet Pontifex, & Concilium dicant absolute, quod *Christus nequaquam est filius adoptivus; & quod adoptivus non habet aliam significationem, nisi ut Iesus Christus non sit proprius Filius Dei*; hæc non sunt absolute intelligenda, sed ut se opponunt dumtaxat sensui Hæreticorum, qui adoptionem, personas multiplicantem, adstruebant in Christo. Undè Concilium non negat, quod Christus, ut homo, in vna persona cum Deo sit Filius Dei adoptivus, sed negat, quod sit adoptivus in persona à Deo distincta.

Confirmatur solutio validissimè ad hominem contra Ill. Godoy: nam Patres, & Concilium negant absolute servitutem Christo, ut homini; sed hoc non obstante, non est absolute negandum, quod Christus, ut homo, sit servus, sed tantum quod sit servus, servitute multiplicatè personas, quod Hæretici asseriebant: ergo similiter: non obstante, quod Patres, & Concilium negent absolute: Christum, ut hominem, esse Filium Dei adoptivum; non est absolute negandum, quod Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus, sed solum, quod sit adoptivus, adoptione multiplicante personas, quam Hæretici in Christo adstruebant. Maior est expressa Concilij ab Ill. Godoy concessa *num. 150. & à nobis ad hominem contra ipsum probata num. 92. 93. & 94.* Minor etiam est ipsius *num. 124.* Consequentia est paritate evidens.

Ratio autem huius solutionis ea est, qua communiter utuntur omnes Theologi in explicatione Patrum, & Conciliorum, nempe, quia mens, & sensus Concilij venari debet ex opposito errore, quem sua diffinitione contendit damnare: Felix autem, & Elipandus Nestoriani facere; undè Christum in sensu Nestoriano, filium adoptivum adstruebant, nempe, adoptione pura, non coincidente cum filiatione naturali in vna Christi persona, sed personas in Christo multipli-

Purificatio
ad præsens.

119
Confirmat.
ad hom. cō-
tra Ill. God.

120
Ratio solu-
tionis de-
claratur.

cante : ergo cum Concilium docet, Christum non fuisse filium adoptivum, solum negat istum modum adoptionis, non autem illum, quem Theologi pij, & Catholici adstruunt, & in Christo cum unitate personæ, & naturali filiatione componunt. Imò hac eadem ratione pro primaria intentione Concilij vtitur Ill. Godoy num. 151. ad explicandum Concilium, negans absolutè servitutē in Christo.

121
Replicat I.
Ill. Godoy.

His tamen non obstantibus, replicat primò Ill. Godoy num. 32. contra hanc nostram solutionem : quia falsum est, mentem Concilij adæquatè esse ex opposito errore venandam, imò potius debet colligi ex illius verbis, propriè, & rigurosè acceptis; verba autem Concilij adducta, si in rigore accipiantur, vt debent, omnem modum adoptionis excludunt; ac proinde quamvis Elipandus in sensu Nestoriano adoptionem Christo concesserit ratione personæ creatæ; nos autem non ita, sed in sensu longè diverso, non sequitur, solum à Concilio damnari adoptionem assertam ab Elipando; non autem provt à nobis constitutam.

122
Confirmat.

Et quidem (prosequitur Ill. Godoy num. 33. confirmando replicam) si aliquis auderet asserere, nostram iustificationem à duabus formis intrinsicis adæquatè præstari de facto, proculdubio Tridentino adversaretur Sess. 6. de Iustification. cap. 7. asserenti: *Iustitiam nobis intrinsicam esse unicam causam formalem nostræ iustificationis*; & tamen Scopus Concilij non erat, istum errorem damnare; sed Hæreticos docentes, nos iustificari formalitèr per solam meritorum Christi imputationem: ergo quamvis præcipuus Scopus Concilij Francfordiensis non fuerit damnare adoptionem cum unitate personæ, qualitèr asseritur à nobis, sed adoptionem puram ratione personæ creatæ, quam Elipandus adstruebat, quia tamen verba Concilij sincerè, & cum proprietate accepta, omnem modum filiationis excludunt, quivis modus adoptionis reiiciendus est, vt à Concilio damnatus.

123
Ill. Godoy.
esse contradictorius, & tenditur i.

Miror tamen, Ill. Godoy hac replicata vti in præsentibus; cum pluribus in locis, & etiam in præsentibus sit sibi in illa contradictorius, cuius contradictiones ostendo. Primò: nam ipse in præ-

senti num. 154. hæc ait: *Supposito, quod testimonia Scripturæ duplicem sensum admittant, nempe, allegoricum, & proprium, posse in utroque explicari, nec Concilium illa explicans in allegorico sensu excludere sensum proprium, & licet rei veritate attenda, melius sit illa in proprio, quam in allegorico sensu accipere; aliqua tamen utilitate consulta, convenientius esse potest, quod in methaphorico sensu, quam proprio, hunc tamen non excludendo, accipiantur; & hoc ita in re nostra contigisse, colligunt Recentiores, & bene, ex eo, quod tunc temporis Hispanis, ad quos præcipuè Concilium dirigebatur, nomen servi erat exosum, propter duram servitutem, qua à Mauris opprimebantur; & idè attenda illorum utilitate, consultius censuit Concilium, testimonia illa Scripturæ accipere in allegorico sensu, abstinendo à servitute naturali Dei propria, quam propriè accepta referebant, quam in sensu proprio, & riguroso, pro servo, servitute naturali, quia forsam ex ista acceptione terrerentur, aut scandalizarentur Hispani.* Hoc, quod de servitute asserit Ill. Godoy, nos de filiatione adoptiva asserimus propter eandem rationem: ergo non potius ex verbis Concilij propriè, & rigurosè acceptis, quam ex opposito errore, venanda est mens Concilij.

124
Secundò.

Secundò: nam Ill. Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 10. num. 4. ait: *Ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiant, cum proprietate sunt accipienda.* Et tom. 2. in 3. part. disput. 20. num. 47. defendendo num. 43. Patres loqui impropiè in hac propositione: *Verbum assumpsit hominem*, ratificat impropriam locutionem numer. 47. his verbis: *Sivè semel, sivè pluries propositio apud Patres habeatur, est eodem modo explicanda: ergo sibi manifestè contradicit: ergo stando ad hanc secundam doctrinam Ill. Godoy, mens Concilij non est venanda ex illius verbis, propriè, & rigurosè acceptis: ergo potius ex opposito errore venanda est.*

125
Alia cōtradictio.

Tertiò: nam hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem*, absolutè pronuntiant, tum Scriptura; tum Ecclesia; tum ferè omnes illius Patres; tum deniquè ex Concilijs, Toletanum, Francfordiense, Romanum, Alexandrinum, Ephesinum, & Calcedonense, vt diximus tom. 2. in 3. sent. disp. 20. num. 16. atqui tot Authoritatibus non obstantibus, asserit Ill. Godoy tom. 2.

in 3. part. disp. 20. num. 43. Ecclesiam, Patres, & Concilia, non esse propriè, sed impropiè accipienda: ergo mens Concilij non potius ex illius verbis, propriè, & rigurose acceptis, venanda est.

126
Altera con-
tradictio.

Altera con-
tradictio.

Quartò: nam Ill. Godoy tom. 8. disp. citat. num. 47. ait: Cum enim, quod directè à Concilij diffinitur, rectè explicatur, non est inconueniens, locutione uti methaphorica. Et num. citat. ait: Declarationem illam Concilij Lateranensis intelligi de illis quinque Concilij, & de illorum dogmatibus, quoad ea, quæ directè intendebant diffinire; non autem quoad alia. Certum autem est, illorum intentionem non fuisse diffinire, Verbum assumpsisse hominem in proprietate sermonis, sed in Christo duas personas non esse, vt Nestorius; & sequaces docebant; ac proinde non inferitur, prædictam propositionem esse in rigore accipiendam. Sussumo nunc contra ipsum: atqui certum est, intentionem Concilij Francofordiensis non fuisse diffinire: Christum, vt hominem, non fuisse filium adoptivum, adoptione cum vnitate personæ compositas; sed adoptione multiplicante personas, vt Felix, & Hilipandus docebant: ergo non inferatur: quod illæ propositiones: Nequaquam est filius adoptivus: Adoptivus non habet aliam significationem, nisi vt Iesus Christus non sit proprius Filius Dei, sint in rigore accipiendæ.

127
Respond. 1.
ad replicam.

Vndè (omissis alijs contradictionibus, quas passim habet Ill. Godoy in explicatione Patrum, & Conciliorum) respondeo primò ad replicam negando maiorem; quia certum est, mentem Concilij adæquatè esse ex oppositio errore venandam, siuè error damnatus sit de primaria, vel secundaria intentione Concilij, vt patet. Tum, ex proximè aductis in doctrina Ill. Godoy de illa propositione: Verbum assumpsit hominem. Tum, ex ab ipso traditis de seruitute Christi. Tum ex à nobis dictis num. 118. cum Damasceno circa Beatissimam Virginem. Tum deniquè ob rationem datam num. 120. ex quibus clarissimè, & vrgentissimè retorsiones contra replicam formantur.

128
Respond. 2.
retorq. re-
plicam.

Respondeo secundò retorquendo replicam: mens P.P. Concilij, & Scripturæ venanda est ex illorum verbis, propriè, & rigurose acceptis: ergo verè sunt hæ propositiones: Chris-

tus, in quantum homo, non est servus. Verbum assumpsit hominem. Beatissima Virgo non est genitrix Christi. Christus non ascendit ad diem festum. Remedium peccati fuit vnicum motivum Incarnationis. Deus non est incomprehensibilis. Spiritus Sanctus non petit per se procedere à duabus personis. Deus non est nobis debitor. Atqui omnes negat Ill. Godoy; vt diximus à num. 111: ergo mens Patrum, Concilij, & Scripturæ non est venanda ex illorum verbis, propriè, & rigore acceptis: ergo venanda est ex opposito errore. Subsumpta cum vtraque consequentia est certa. Antecedens est doctrina Ill. Godoy. Consequentia verò probatur: omnes præfatæ propositiones absolute enuntiantur à Patribus, Concilij, & Scriptura: ergo si in rigore accipiantur, vt debent iuxta Ill. Godoy in replica, omnes sunt veræ.

Ad confirmationem respondeo negando minorem; nam plures tenent: formam iustificationis esse compositam ex habitibus fidei, spei, & Charitatis. Ita Bellarminus lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, cap. 6. Sotus lib. 2. de natura, & gratia, cap. 18. qui supra dictos habitus addit etiam gratiam. Nolter Vega lib. 7. in Trident. cap. 3. existimans, suam sententiam, esse in Tridentino diffinitam. Item: formam iustificantem esse Charitatè simul cum gratia defendunt Lorca de gratia, disp. 16. & 35. memb. 3. Turrian. opusc. 3. de gratia, disp. 1. dub. 14. & 18. num. 4. Et opusc. 6. disp. 1. dub. vltim. num. 4. & hanc sententiam, vt probabilem tenet Suarez lib. 7. cap. 9. num. 12. Et deniquè: licet nos asseramus: esse vnicam causam; dicimus tamen, quod fit ex qualitate gratiæ, & ordinatione Divina, vt contra Ill. Godoy propugnauimus disp. præced. num. 93. cum seqq. Hoc pro solutione sufficiat, quin opus sit ponderare, has opiniones Catholicas Ill. Godoy latuisse.

Neutiquam tamè prætermitam vrgentem retorsionem ad hominè contra Ill. Godoy; quam sub hac formalitate propono: si aliquis auderet asserere, nostram iustificationem à duabus formis intrinsecis adæquatè præstari de facto, proculdubio Tridentino aduersaretur Sess. 6. de Iustificat. cap. 7. asserentis: Iustitiam nobis intrinsecam esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis: ergo si quis au-

129
Ad confirm.

Retorqueo
ad hom. con-
tra Ill. God.

deret asserere, nostram iustificacionem à duabus causis instrumentalibus adæquatè præitari de facto, proculdubio Tridentino citat. adversaretur, asserenti: causam instrumentalem nostræ iustificacionis esse solum Sacramentum Baptismi; ait enim: *Instrumentalis Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum Fidei, sine qua nulli unquam contingit iustificatio.* Antecedens est ad litteram confirmatio Ill. Godoy. Consequentia est evidenter illata. Sussumo nunc: atqui Ill. Godoy *disp. 40.* asserit, humanitatem Christi esse causam instrumentalem nostræ iustificacionis: ergo proculdubio adversatur Tridentino. Responsio Ill. Godoy quæcumque sit, erit ad suam confirmationem solutio.

Replicat secundo Ill. Godoy *num. 34.* quia concilia contra aliquè congregata, non semper solum illius errorem damnant, sed etiam omnem alium tali errore connexum. Concilium autem, ut constat ex eius verbis, censuit coniunctam cum omni modo adoptionis distinctionem personarum in Christo, quo circa multoties repetit, *Unitas personæ in Christo adoptionis tollit iniuriam, & quod adoptio nullam habet significationem, nisi quod Christus Filius proprius, vel naturalis non sit:* ergo non solum damnavit adoptionem, prout ab Elipando assertam ratione personæ creatæ, sed etiam omnem adoptionis modum, quia ex quolibet modo adoptionis sequitur iuxta Concilij mentem duplex in Christo persona. Hæc replica nihil de nobis continet. Respondeo concessa maiori, negando minorem; ad cuius probationes ex Concilio responsum manet per dicta *num. 102.* & retorsio per dicta *num. 103.* Nec dicas pro Ill. Godoy: quod nunquam in Scriptura, Concilijs, & Patribus Christus, ut homo, appellatur Filius Dei adoptivus. Nam in contrarium obest primò: quod ab Scriptura, & Patribus sic appellatur, ut constat ex dictis §. 1. Secundò: quia hoc non obitat; nam quando aliqua persona habet plures dignitates, quarum una maior est altera, vocatur nomine dignitatis maioris, ut Rex, qui licet etiam sit Dux, nomine Regis appellatur semper, eo, quod rationabilius est, quod nobilius nomen præferatur.

§. VII.

Duplici rationi Ill. Godoy occurratur.

Ill. Godoy arguit contra nostram conclusionem duplici ratione. Prima, quam ex D. Thoma deducit, ad hanc formam reducit *num. 59.* filio adoptivo non convenit hæreditas adoptantis, nec ius ad illam per naturam, sed per gratiam, ut constat ex definitione adoptionis, qua peritur, quod subiectum adoptandum sit persona extranea, gratiosè ad hæreditatem adoptantis assumpta; sed Christo ratione propriæ naturæ, secundum quam à Patre Æternalitèr procedit, convenit habere ius ad divinam hæreditatè: ergo filius adoptivus non est.

Respondeo primò concessis præmissis, distinguendo consequens: ergo Christus ratione propriæ naturæ, secundum quam à Patre Æternalitèr procedit, filius adoptivus non est, concedo consequentiam; ratione naturæ humanæ nego consequentiam. Et hoc est, quod vnicè probat Ill. Godoy, quod est, nihil probare; quia Christum, ut Deum, vel ut subsistentem in natura Divina, secundum quam à Patre Æternalitèr procedit, filium adoptivum non esse, ut certum de fide supponit Ill. Godoy *numer. 1.* & nos cum ipso *num. etiam 1.* supposuimus. Undè cum ipso diximus, difficultatem esse: An Christus, ut homo, vel ut subsistens in natura humana, sit Filius Dei adoptivus?

Respondeo secundò concessa maiori, distinguendo minorem: Christo, ut Deo, ratione propriæ naturæ, secundum quam à Patre Æternalitèr procedit, convenit habere ius ad divinam hæreditatem concedo minorem; Christo, ut homini, nego minorem, & distinguo similiter consequens. Itaque Christus, & est Deus, & est homo, & utrumque habet. Ut Deus est Filius Dei naturalis, habens ius ad hæreditatem increatam, consistentem in comprehensiva beatitudine. Ut homo est Filius Dei adoptivus per gratiam habitualement, habens ius ad hæreditatem creatam, consistentem in creatâ beatitudine. Et ut homo, & Deus simul, est simul Filius Dei adoptivus, & naturalis; naturalis ratione naturæ Divinæ, & adoptivus ratione naturæ humanæ.

131
Arguit i.
ratione.132
Respond. 1.133
Respond. 2.

134

Replicat
Ill. Godoy.
quadrupli-
citer.

Contra.

Contra hanc solutionem (relictis
quæ ex D. Thoma tradit Ill. Godoy)
quadrupliciter replicat num. 65. 66. &
67. fundatus in eo, quod humanitas
Christi sanctificetur formaliter per
donum substantiale, consequenter-
que humanitati debeat ratione
unionis hypostaticæ ius ad hæredita-
tem. Sed cum istæ replicæ vim contra
nos non habeant; negamus enim sup-
positum, scilicet, quod humanitas
Christi per aliquid substantiale sancti-
ficetur formaliter; replicas illius non
refero, tamen; quia in falso nituntur
fundamento; tum etiam; quia illas ad
litteram ex ipso contra nos obieci-
mus. tom. precedent. disput. 21. num. 78.
& 79. ad quas sex dedimus solutiones
à num. 83. usque ad 94. & quinque re-
tortiones contra ipsas fecimus usque
ad num. 99. Videantur ibi, ne dicta tam
lata repetamus.

135

Arguit. 2.

Probat ma-
iorem 1.

Arguit secundo numer. 70: filiatio
namque non convenit naturæ, sed
hypostasi, aut personæ; sed personæ,
aut hypostasis Christi, filius adoptivus
non est: ergo Christus, in quantum
homo, non est Filius Dei adoptivus.
Consecutio est bona. Præmissas autem
probat Ill. Godoy, sed relictis proba-
tionibus minoris, quia nobis non of-
ficiunt, probat primo maiorem: illi
convenit filiatio, cui convenit deno-
minatio filij; sed natura non dicitur
filia; benè tamen persona: ergo filiatio
non convenit naturæ, sed personæ.

136

Secundo.

Tertio.

Secundo: nam est possibilis aliqua
denominatio, vel forma, petens non
naturæ, sed hypostasi convenire, ut
per se primo subiecto, & ratione sui
inspecto; sed hac possibilitate suppo-
sita, nulla est ratio assignabilis, cur fi-
liatio huius conditionis non sit, imò
hac conditione gaudere, suadet com-
munis modus loquendi, iuxta quem
natura non dicitur filia, sed suppositum
in natura subsistens: ergo filiatio non
naturæ, sed soli supposito convenit.
Tertio: nam esse filium, est perfectissi-
mum, quod in linea procedentium
per generationem invenitur: ergo pe-
tit convenire soli genito secundum
perfectam denominationem geniti; at
licet natura dicatur aliquomodo ge-
nita, non tamen dicitur genita secun-
dum perfectam geniti denominatio-
nem; sed sic esse genitum soli suppo-
sito convenit: ergo filiatio non natu-
ræ, sed soli supposito convenit.

Respondeo ad argumentum. Pri-
mo: negando maiorem; ad cuius pri-
mam probationem nego minorem;
quia etiam natura dicitur aliquomo-
do genita, ut claret ex dictis num. 36.
Ad secundam prætermissa maiori (si
intelligatur de denominatione perso-
næ, vel subsistentis, sicut in Divinis
Paternitas, & filiatio dicuntur per se
primo de personis, quia productiones
ad intra sunt suppositorum elicitive)
nego minorem, cuius rationem dedi-
mus num. 30. Ad tertiam concessio an-
tecedenti cum consequentia, nego
minorem quoad secundam partem,
nempe, esse genitum secundum perfec-
tam denominationem soli supposito: con-
venit, quia primo, & per se convenit
singulari, & ultimo supposito iuxta
dicta num. 34. 35. & 36.

Connatur Ill. Godoy impugnare
hanc solutionem, ad quod primo fa-
ciendum repetit numer. 76. secundam
probationem maioris, pro cuius nul-
litate, etsi dicta in nostra solutione
sufficiant, claritatis tamen gratia, &
conformiter ad ibi dicta, distinguo
maiorem: est possibilis aliqua deno-
minatio præter denominationem
personæ, vel subsistentis, petens non
naturæ, sed hypostasi convenire, ut
per se primo subiecto, & ratione sui
inspecto, nego maiorem; aliqua deno-
minatio, quæ sit solum denominatio
personæ, vel subsistentis, concedo
maiorem, nego minorem, & conse-
quentiam ob rationem datam num. 30.

Replicat secundo num. 77. forma
competens supposito ratione naturæ,
respicit naturam, ut per se primum
subiectum, ut constat in passione,
morte, aliisque passionibus, & actio-
nibus, quæ quia supposito ratione na-
turæ conveniunt, naturam respiciunt,
ut per se primo subiectum; sed filiatio
non respicit naturam, ut primum sub-
iectum sui: ergo non convenit suppo-
sito ratione naturæ, sed immediate
respicit suppositum. Probat minor:
forma respiciens naturam, ut per se
primum subiectum, denominat pri-
mo naturam, & ratione illius suppo-
situm, ut in eisdem exemplis, passio-
nis, mortis, actionum, & passionum
conspicitur, quæ quia primario com-
parantur ad naturam, & ratione
illius comparantur ad suppositum,
denominant per se primo naturam,
mortuam, passam, crucifixam, volen-

137

Respondeo
ad arg. 1.

Ad 1. prob.

Ad 2.

Ad 3.

138
Replicat 1.

Respondeo.

139
Replicat 2.

Respondetur

140
Reijcit Ill.
God. nostrā
doctrinam.

Primò.

Secundò.

141
Tertiò.142
Respondeo
ad I.

Ad 2.

tem, aut intelligentem; sed filiatio nō denominat naturam; hæc namquē nec Filia, nec Pater dicitur: ergo natura non est primum filiationis subiectum. Respondeo negando minorem, & ad illius probationem nego etiam minorem ob dicta in solutione argumenti.

Quia tamen replicæ istæ nullam habent efficaciam, insurgit Ill. Godoy numer. 82. & 83. tripliciter reijciendo nostram doctrinam. Primò ex communi modo loquendi, secundum quem humanitas, nec Pater, nec Filia dicitur, quod D. Thomas, vt per se notum absquē probatione reliquit: non autem licet à communi modo loquendi recedere in rerum denominationibus. Secundò: nam si licet contra itum communem modum loquendi asserere humanitatem verè esse, & dici filiam, liceret etiam docere, humanitatem esse personam; hoc autem absurdum est: ergo & illud ex quo sequitur. Patet sequela: non enim alia ratione id affirmare non licet, nisi quia diffinitio personæ, scilicet: *Rationalis naturæ, individua substantia*, communiter explicatur de individua substantia completa; at communi illo modo circa filiationis denominationem sentiendi, & loquendi relicto, etiam liceret, relinquere istam communem explicationem diffinitionis personæ: ergo illo admisso, posset etiam eadem ratione admitti, humanitatem esse personam.

Tertiò: quia possibilis est aliqua denominatio, præter denominationem personæ, soli personæ, non autem humanitati, vel naturæ in abstracto sumptæ competens; hac autem possibilitate admittā, non est cur, id negetur de Filij, aut Patris denominatione: ergo est ita sentiendum de illa. Hæc tamen parum vrgent.

Respondeo ad primam: non obfatare communem modum loquendi, quia hic regularitèr denominat suppositum, sicque regularitèr etiam dicitur, Petrus est passus, flagellatus, mortuus, quo non obstante, hæc passiones primo comparantur ad naturam, & ratione illius comparantur ad supposita, vt fatetur Ill. Godoy numer. 77. ex D. Thoma. Sic similiter de filiatione. Ad secundam nego sequelam, & ad probationem dicatur: quod ratio, cur humanitas, nec in abstracto,

nec in concreto, potest dici persona, est, quia persona pro formali dicitur incommunicabilitatem, vt quo per modum formæ totius alteri, vt actui per se substantialitèr completivo, quod humanitati repugnat, siuè in abstracto, siuè in concreto iuxta à nobis cum Scoto dicta tom. 3. in 1. Sentent. disp. 80. §. 1. At natura, sicut non repugnat, imò conuenit, esse genitam; ita & esse filiam. Ad tertiam nego maiorem ex dictis num. 137. & 138.

Respondeo deniquè ad suprā positum argumentum Ill. Godoy (& est ad omnes replicas illius solutio) totam doctrinam argumenti, & replicarum, duo falsa supponere, scilicet, quod actiones sunt suppositorum elicitive, & quod relationes non multiplicentur, nisi multiplicentur supposita, quorum vtrumque est falsum, & ex vtriusque falsitate reiectum manet argumentum per dicta §. 2. vbi non solum probavimus: filiationem non conuenire soli supposito; verum & solutiones Ill. Godoy impugnauimus, quævisque impugnatio est contra ipsum retorsio.

§. VIII.

Alia solvuntur argumenta.

Solutis iam argumentis ab Ill. Godoy adductis, aliqua non communia proponam, & solvam. Arguitur tertiò: *Tomo secundo Conciliorum Generalium, fol. 684. tempore Vigili Papæ anno 553. in 5. Synodo Constantinopolitano Confessione, seu Collatione 4. vbi Theodori Mopsuesteni impia scripta excutiuntur: Notarij dixerunt: habemus præ manibus scripta, quæ ex Theodori codicibus collegistis. Sancta Synodus dixit: legantur: & cum accepisset Calonymus Diaconus recitavit; & post recitationem plurium ex Epistolis in titulo eiusdem Theodori Mopsuesteni de Commento secundum Lucam: Hoc enim, quod hic est filius dilectus, in quo mihi bene complacui, in baptisinate adoptionem demonstrat secundum comparisonem Iudaicæ adoptionis, quia & ad illos dictum erat: Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes, & filios genui, & exaltavi eius adoptionem, eo, quod dixit, dilectus, & in quo mihi complacuit, ostendens. Propter hoc & vox Patris siebat, adoptionem confirmans, & filij nominatione per adoptionem secundum gratiam eum,*

Ad 3.

143
Respond. 2.
ad argum.
& est repli
carū solut.144
Arguit. 3.

qui verè filius est, demonstrabat. Hoc damnatur à Concilio his verbis in fine Collation. 4. Et postquam lectæ sunt blasphemix Theodori, Sancta Synodus exclamavit: : *Anathema Theodoro Mopsuesteno: Iste Evangelia reprobat: Iste dispensationem iniuriavit: Anathema illis, qui non Anathematizant eum: Defensores eius Iudei sunt, &c.*: ergo iuxta Concilium Christus, vt homo, non est Filius Dei adoptivus.

145
Respond. 1.

Respondeo primò: Concilium damnare Theodorum eo, quod affirmabat in Baptismo recepisse Christum gratiam, & adoptionem, vt patet ex ipso Concilio Collatione 8. in sententia ad lecta Theodori Cannone 12. Si quis defendit, impium Theodorum, qui dixit: *Christum, tanquam purum hominem, baptizatum esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & per baptisma Sancti Spiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, &c. Anathema sit.* Quid pro respõsione clarius? Nec obest, quod videatur, Theodorũ loqui de confirmatione gratiæ, & adoptionis; non verò de illius receptione; nam re vera loquitur de receptione adoptionis in baptismo, & hanc esse in baptismo receptam, confirmare intendebat ex voce Patris, qui dixit: *Dilectus, & in quo mihi benè complacui.*

146
Respond. 2.

Respondeo secundo: quod hic Theodorus fuit Magister Nestorij in hæresi Nestoriana de duabus personis in 5. Synodo Constantinopolitana Collatione 5. ex libellis prorrectis, fol. 704. colum. 2. quam hæresim secuti sunt Felix, & Elipandus, quos Concilium Francofordiense condemnavit. Vnde Theodorus adoptionem, personas multiplicantem, in Christo, adtruebat, & patet expressè ex verbis Concilij illum damnantis, scilicèt: *Christum tanquam purum hominem, de quo satis dictum est §. 6.*

147
Dices.

Dices: Theodorum non possuisse in Christo duas personas, sed vnam; ergo ruit solutio. Antecedens patet: nam Theodorus in Symbolo ait: *Nec duos dicimus filios, neque duos Dominos, quoniam vnus filius secundum substantiam Deus, Verbum, Vnigenitus filius Patris, vbi expressè fatetur: non duas personas, sed vnam esse in Christo.*

Respondeo

Respondeo: Theodorum illis verbis non verè, sed dolosè, & simulatè admisisse vnam personam in Christo; non enim vnã intelligebat per vnio-

nem phisicam substantialem, sed per vnionem affectivam, accidentalem, & moralem, quam doctrinam ab eo didicit Nestorius, & ab hoc Felix, & elipandus acceperunt.

Firmatur solutio primò: nam Theodorus nunquam dixit: in vna persona fuisse hominem Deo substantialiter vnitum. Secundo: quia concedendo vnam personam, negabat vnum suppositum, quia personam sumebat pro dignitate, sicque concedebat, hominem Christum vnitum fuisse Verbo secundum participat ionem dignitatis, & sicut vnitum dignitatis admittebat, ita, & vnitum personæ; vnde nittendo in vnitate personæ, nulla est replica, vt loquendo de Nestorio, dixit Angelicus Doctor 3. part. quæst. 2. art. 6. his verbis: *Et si fiat vis in nomine personæ, considerandum est, quod etiam Nestorius utebatur vnitate personæ propter dignitatem vnitatis, & honoris.* Motivum autem sic loquendi erat, fideles decipere, ad modum, quo Lutherus admittens necessitatem gratiæ, nomine gratiæ intelligens donum Creationis, Patres Concilij Palestini fefellit.

Arguitur quartò: Concilium Constantinopolitanum sub Ioanne Papa II. Actione 5. in confessione Iustiniani Imperatoris, tom. 2. Conciliorum Generalium, fol. 655. colum. 2. in medio loquitur de Christo Domino, vt homine, & contraponit modum, quo nos sumus Filij Dei, & quomodo Christus, & ait: *Ipse igitur secundum naturam Filius est Dei; nos autem secundum gratiam.* Ex quibus sic argumentum formo: modo, quo nos sumus Filij Dei; non Christus, & modo, quo Christus; non sumus nos, sed nos sumus secundum gratiam: Ergo Christus non secundum gratiam. Probatur consequentia: nam hæc valet: *Christus est Filius Dei secundum naturam: ergo nos non secundum naturam: ergo etiam valet hæc: nos sumus Filij Dei secundum gratiam: ergo Christus non secundum gratiam.*

Respondeo: verba Concilij optimè salvari, quin a Christo, vt homine tollatur adoptio; quia quando Concilium ait: Christum, vt hominem, esse Filium Dei secundum naturam, loquitur in sensu materiali, seu per communicationem Idiomatum, quam in Christo negabant Hæretici, vt dixit

148
Firmatur
solutio 1.

Secundò.

149
Arguit. 4.

150
Respondeo

mus *num.* 106. quando autem ait: Christum, *ut hominem*, non esse Filium Dei secundum gratiam, loquitur de filiatione pura gratiæ, quam nos duntaxat habemus. Vnde ad argumentū in forma concessa maiori, distinguo minorem: nos sumus secundum gratiam duntaxat, concedo minorem; secundum gratiam, & secundum naturam, nego minorem, & distinguo consequens: ergo Christus non secundum gratiam duntaxat, concedo consequentiam; non secundum gratiam, & secundum naturam, nego consequentiam. Distinguoque probationem: valet eo modo, quo Christus est Filius Dei secundum naturam concedo antecedens; alio modo, nego antecedens. Vnde totum verificatur, dicendo: quod Christus, *in quantum homo*, est formaliter filius adoptivus per gratiam, & simul Filius Dei per naturam in sensu materiali; nos verò filij tantum adoptivi per gratiam, & hæc est Christi à nobis differentia, eo, quod Christus est homo Deus.

Arguitur quintò: Scotus *in 3. dist. 10. quest. unica. §. 2. Et in Report. ibid. in corpore quest.* ponit modum, quo Christus Dominus non sit extraneus, extraneitate requisita ad filiationem adoptivam, & non ponit in aliqua parte modum extraneitatis, quo extraneus sit: ergo Scotus tenet, non esse filium adoptivum. Item: in his locis ponit argumenta probantia, esse filium adoptivum, & illa solvit: ergo idem, quod prius. Respondeo. Scotum esse problematicum, ut diximus *num. 5.* Nec argumentum aliquid convincit, quia est negativum; quod autem urget ex Scoto pro nostra opinione, est, quod ex ipso adduximus *num. 4.* quia est totum fundamentum ad astruendam, vel non astruendam in Christo, *ut homine*, filiationem adoptivam; imò est origo, ex qua à priori deducitur extraneitas, vel non extraneitas ad adoptionem requisita.

Arguitur sextò: sumendo argumentum ex paritate communiter data, scilicet, quod sicut congruentia, quam habet homo per actum contritionis ad gratiã, non obstat ad adoptionem; nec congruentia, seu ius, quod habet Christus, ut homo, ex vi unionis ad vitam æternam, obstat ad adoptionem. Contra quam sic ef-

formatur argumentum: hæc paritas potius est disparitas: ergo potius probat oppositum. Probatur antecedens: quia congruentia, quam habet homo per actum contritionis ad gratiam, fundatur in complemento accidentali; sed congruentia, seu ius, quod habet Christus, *ut homo*, ex vi unionis ad vitam æternam, fundatur in complemento substantiali: ergo hæc paritas potius est disparitas. Quare, etsi prima congruentia non obstat ad adoptionem; secunda autem obstat, præcipue in sententia Scoti, qui ponendo hoc argumentum, dicit: Respondeo concedo antecedens, nego consequentiam, & reddo disparitatem, quia, etsi congruentia fundata in complemento accidentali non obstat ad adoptionem; congruentia tamen fundata in complemento substantiali obstat. Hoc affirmat Scotus *in 3. dist. 10. quest. unica, §. 2. Et in Reportatis citat.*

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem concessis præmissis, distinguo consequens: ergo hæc paritas est disparitas in ordine ad complementa quoad esse, ommitto consequens; in ordine ad congruentiam complementorum, nego consequentiam. Itaque licet sit disparitas in eo, quod actus contritionis sit complementum accidentale; & unio hypostatica substantialis; est tamen paritas in eo, quod sicut actus contritionis non dat ius formale ad gratiã, sed solum congruentiam; ita unio hypostatica non dat ius formale ad hæreditatem Dei, sed solum congruentiam, ut diximus *§. 3.* vnde neutrum obstat ad adoptionem. Nec Scotus id affirmat assertivè, sed defendendo tantum probabiliter sententiam illam, in quo est problematicus, ut notabimus *num. 5.* & magis nostræ propitiatur iuxta dicta *num. 3. 4. & 6.*

Arguitur denique: stat bene: gratiam habitualem esse in Christo, & illum non facere Filium Dei adoptivum formaliter, seu ei non communicare effectum formalem filiationis: ergo Christus, ut homo, non est Filius Dei adoptivus. Probatur antecedens: stat, filiationem Verbi stare in Christo Domino, *ut homine*, & illū, *in quantum hominem*, non facere formaliter Filium Dei naturalem, seu ei

151

Arguit. 5.

Respondeo.

152

Arguit. 6.

153

Respondeo.

154

Arguitur denique

non præstare effectum formalem filiationis: ergo etiam stabit, gratiam habitualemente esse in Christo, & illum non facere Filium Dei adoptivum formaliter, seu ei non communicare effectum formalem filiationis: præcipue cum magis primarius effectus filiationis sit facere filium, quam gratia; nam filiatio ex natura sua filiū facit: gratia non; sed ex ordinatione Divina, in Scoti, & nostra sententia *disp. precedent.* Antecedens patet: nam personalitas Verbi est formaliter filiatio naturalis; & stat in Christo, *ut homine*, personalitas, communicans effectum formalem personæ, & non filiationis, iuxta à nobis dicenda *disp. sequenti.* Consequentia paritate videtur certa.

Respondeo ad argumentum: non esse impedimentum, ut gratia communicet filiationem adoptivam Christo; & esse, ut filiatio naturalis communicet suum effectum illi, ut homini. Contra: vel non est impedimentum, ut filiatio naturalis communicet suum effectum filiationis Christo, *ut homini*; vel est, ut gratia communicet adoptivam filiationem: ergo ruit solutio. Probatum antecedens: si est impedimentum, ut filiatio naturalis faciat Christum, *ut hominem*, Filium Dei naturalem, est ratione subsecuti, scilicet, naturæ humanæ; sed etiam gratia ratione unionis antecedentis debet esse impedimentum, ne præster adoptionem: ergo vel non est impedimentum, ut filiatio naturalis communicet suum effectum filiationis Christo, *ut homini*; vel est, ut gratia communicet adoptivam filiationem. Probatum minor: unio pro aliquo priori naturæ fuit prius in humanitate, quam gratia habitualis: ergo pro aliquo priori fuit humanitas cum aliquo iure habito ab unione, quia si non stat, gratiam esse, quin det aliquod ius; nec stabit, unionem cum Verbo esse, quin det aliquod ius; quæcumque enim forma in subiecto fundat ius ad aliquid: ergo unio Verbi in humanitate debet aliquod ius naturale dare ad aliquid subsecutum; sed post unionem nihil sequitur, nisi gratia habitualis, & hæreditas: ergo etiam gratia ratione unionis antecedentis debet esse impedimentum, ne præster adoptionem.

Respondeo ad replicam negando

antecedens, ad cuius probationem nego minorem, & ad probationem concessio antecedenti distinguo consequens: cum aliquo iure de congruo concedo consequentiam; cum aliquo iure formali, nego consequentiam, & hac distinctione cætera subsecuta distinguuntur, ruitque replica ob dicta *num. 51.* & duplex contra illam fiat retorsio ex dictis *num. 53.*

§. IX.

Corollaria doctrinæ precedentis.

EX dictis sequitur primò: humanitatem Christi adoptatam esse. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy *num. 222.* Et patet primò ex Hilario *cit. num. 25.* dicente: *Dum carnis humilitas adoptatur: ergo iuxta Hilarium caro, idest, humanitas, adoptata fuit.* Secundò: nam idem est adoptari, ac esse filium adoptivum; sed filiatio denominat naturam, ut contra Ill. God. vidimus: ergo adoptio denominat naturam, & consequenter humanitas est adoptata. Tertio: quia extraneitas ad adoptionem requisita convenit naturæ humanæ Christi, ut vidimus §. 4. & alibi: ergo fuit adoptata. Quarto: quia substantialis cum Deo coniunctio non obest adoptioni, ut diximus *num. 57.* cum sequentibus: ergo quod natura Christi humana sit substantialiter cum Deo unita, non obest, ut sit adoptata. Corollarium manet probatum per oppositum ad rationes Ill. Godoy, quæ iam manent solutæ.

Secundò colligitur: nostram sententiam, nec esse hæreticam, nec erroneam, nec errori proximam, nec temerariam, nec improbabilem, & consequenter nulla censura dignam. Hoc corollarium est conforme ad doctrinam Ill. Godoy, qui in fine disputationis hæc ait: *An autem aliqua ex his censuris notari debeat? Dissimulare non audeo.* Cæterum corollarium est contra omnes censurantes, quod per partes probandum est.

Prima pars probatur primò: si nostra opinio esset hæretica, esset propter definitionem Concilij Francofordiensis; sed Concilium nostram opinionem non damnat, imò nec Verbum de illa pronuntiat: ergo non est hæretica. Probatum minor: Concilium solum damnat adoptionem, personas in Christo multiplicantem,

Respondeo.

157
Humanitas Christi fuit adoptata.

Probat. 1.

Secundò.

Tertio.

Quarto.

158
Nostra opinio nulla censura est digna.

159
Probatum quod non sit hæretica 1.

155
Respondeo.

Replicabis.

156

qua-

qualem adstruebant Felix Episcopus Vrgelitanus, & Elipandus Archiepiscopus Toletanus, quin verbum invenitur in Concilio de adoptione, supposita unitate personæ, qualem nos admittimus in Christo: ergo Concilium nostram opinionem non damnat. Consequentia est legitima. Antecedens verò satis constat ex dictis §. 6.

160
Secundò.

Tertiò.

Probatur secundò: incredibile omninò est, quod tot Scholastici, quos retulimus *num* 3. & 5. affirmarent id, quod aliquando est ab Ecclesia damnatum: ergo nostra opinio non est hæretica. Tertio: omninò incredibile est, quod Ecclesia toleraret ab aliquo Scholastico affirmari id, quod ipsa aliquando damnavit, aut cuius oppositum diffinierat. Igitur, cum certum sit, Ecclesiam quondam damnasse assertionem de adoptione Christi Domini, vt diximus §. 6. & aliàs multis ab hinc diebus toleret, non paucos Catholicos affirmare, Christum Dominum secundum humanitatem esse, & vocari posse Filium Dei adoptivum; omninò certū videtur, alium esse sensum, in quo adoptio Christi Domini fuit ab Ecclesia damnata, à sensu, in quo propugnatur à Scholasticis.

161

Nec est erronea, nec errori proxima.

Secunda, & tertia pars probatur: illa opinio est erronea, prout ab hæretica distinguitur, quæ opponitur conclusioni Theologicæ, idest, conclusioni per evidentem consequentiam deductæ, vel ex duabus præmissis de fide, vel ex vna de fide, & alia ratione naturali evidenti; & illa est proxima errori, vt ab erronea distinguitur, quæ opponitur conclusioni deductæ ex vna præmissa de fide, & altera, etsi non evidenti, efficaci tamen argumento monstrabili, difficilem solutionem habente; atqui nostra opinio nulli ex his conclusionibus opponitur, vt est manifestum, & amplius infra patebit: ergo nostra opinio nec est erronea, nec errori proxima.

162

Nec est temeraria, nec improbabilis.

His suppositis, quartam, & quintam partem probat Ill. Godoy *num*. 225. nam illa propositio est temeraria, quæ licet non opponatur imme-

diatè, nec mediatè revelationi, pugnat cum omnium Doctorum, vel ferè omnium sententia in re Theologica, & gravi; & illa est improbabilis, quæ authoritate, & ratione prorsus est destituta; at nostra sententia huius conditionis non est; habet enim pro se aliquos graves Authores, nititurque non in levibus argumentis: ergo nec est temeraria, nec improbabilis.

Colligitur tertio: nostram opinionem esse opposita probabiliorem. Probatur corollarium: illa opinio, quæ pro se habet Scripturam, Patres, Doctores gravissimos, & validissimas rationes, quin Concilio alicui opponatur, est probabilior opinione, quæ pro se non habet Scripturam, etsi cætera habeat; atqui nostra opinio habet pro se Scripturam, & Patres, vt constat ex §. 1. Gravissimos Doctores ex dictis à *num*. 3. Validissimas rationes, vt liquet ex §. 2. 3. 4. & 5. quin Concilio alicui opponatur, vt claret ex §. 6; opinio autem opposita non habet pro se Scripturam, licet cætera habeat: ergo nostra opinio est opposita probabilior.

Vndè non desunt, qui iudicarent: adversarios, notantes nostram sententiam, dignos fore censura ignorantia, falsitatis, & impietatis. Ignorantia, quia testimonia tam expressa, qualia sunt adducta, non capiunt. Falsitatis, quia oppositum est manifestè ostensum, & luce clarius apparet, Conciliū Francofordiense nec levitè nostræ opinioni nocere. Impietatis, tum; quia si capiunt, capientes non excusant viros Catholicos, sed eos cum Hæreticis involvunt. Tum; quia eorum verum sensum detorquent. Tum denique: doctrinæ Catholicæ vcusquè demonstratæ specimen erroris, & perfidiæ præstant, quod est manifesta impietatis species. An autem aliqua ex his centuris notari debeant censurantes? Diffinire non audeo. Et hæc de ista disputatione applicanda literæ Magistri in 3. dist. 4. §. 2. ad illa verba:

Cum Filius nullo modo sit Spiritus Sancti. Et dist. 10.

§. 4. & 5.

)(o)(

163

Opinio nostra est opposita probabilior.

164

Quid de censura censurantium.



DISPUTATIO

QUINQUAGESIMA QUARTA.

An Christus, in quantum homo, sit formalitèr Filius naturalis Dei?

§. I.

Relatis sententijs, statuitur conclusio, & à priori probatur primò.

Num. 1
Motivum
disputandi.

Vidimus *disput. preced.* Christum, vt hominem, esse Filium Dei adoptivum, ex quo satis colligitur, non esse formalitèr Filium Dei naturalem; sed quia Ill. Godoy hanc difficultatem specialitèr pertractat, & rationibus, quibus suam probat sententiam, contra nostram opinionem de adoptione militant, eam specialitèr disputare, necessarium est. Tum; vt falsitas opinionis illius appareat. Tum etiam, vt ea, quæ *disput. preced.* non solvimus, hic solvamus, & opinio pro adoptione probabilior maneat. Pro quo.

2
De fide est
Christum, vt
hominem, esse
Filium Dei
naturalem,
in sensu ma-
teriali, &
identico.

Certum apud omnes Theologos est: Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem in sensu materiali, & identico, quin possit ab aliquo negari, Catholicè loquendo; nam est veritas fidei, & eadem certitudine tenenda, qua credimus Incarnationis misterium, consistens in vnione duarum naturarum in vna Christi persona, quæ est Filius Dei naturalis; etenim Christum, vt hominem, in sensu materiali, & identico, esse filium naturalem Dei, nihil aliud est, quam personam Verbi terminantem humanitatem, esse filium naturalem Dei; sed de fide est, personam Verbi terminantem humanitatem, esse Filium Dei naturalem, filiatione fundata in generatione æterna: ergo Christum, vt hominem, esse Filium Dei naturalem in sensu materiali, & identico, est certa fide tenendum, constatque ex illo Ioannis cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis.* Vndè in sensu formali procedit disputatio.

3
Christum,
in quantum
homo, esse
Filium na-

Certum est etiam: quod hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis*, duobus modis potest intelligi. Primò: vt illa particula *in quantum homo*, reduplicet supposi-

tum, vt sensus sit: *Christus, quatenus est suppositum nature humanæ, est Filius Dei naturalis*, & in hoc sensu non videtur moveri quæstio, quia sic certum apparet, esse Filium Dei naturalem, & quidem per generationem æternam; nam facit hunc sensum: *Filiatio Dei naturalis convenit supposito, quod est in Christo, etiam quatenus subsistit in natura humana.* Ratio est: quia neque natura humana habet aliud suppositum præter Filium Dei naturalem; neque illud suppositum desinit esse Filius Dei naturalis ex eo, quod in natura humana subsistat. Sic Mastrius in 3. *disp. 2. quæst. 5. num. 114.*

turalè Dei,
duobus mo-
dis potest
intelligi.

Primo.

Secundò modo potest intelligi prædicta propositio, vt ly *in quantum homo*, reduplicat humanitatem, ita vt sensus sit: *Christus secundum humanitatem est Filius Dei naturalis*, quod est idem, ac dicere: *Christo ratione humanitatis competiit esse Filium Dei naturalem*, & in hoc sensu (inquit Mastrius cit.) agitur quæstio. Et ratio est primo: nam modo, quo quæritur: *An Christus, in quantum homo, sit Filius Dei adoptivus?* Quæritur: *An Christus, in quantum homo, sit Filius Dei naturalis?* Sed in prima quæstione ly *in quantum* reduplicat humanitatem: ergo etiam in secunda. Secundò: nam Concilium Francfordiense in hoc sensu loquitur de Christo, vt homine, tam respectu filiationis naturalis, & adoptivæ, quàm respectu servitutis, vt omnibus est manifestum, & fatetur Ill. God. *disput. preced.* Tertio: quia hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est Filius naturalis Dei*, magis est falsa, quam vera, eo, quod particula *in quantum* facit terminum, supra quem fertur, magis teneri pro natura, quam pro supposito. Sic Ill. Godoy ex D. Thomæ numer. 153. ergo de Christo, in quantum homine, vt ly *in quantum*

4
Secundò.

reduplicat humanitatem, debet exagitari questio.

5
Quid significant re-
duplicatio
suppositi,
& naturæ.

Vnde, quod certum apparet, est: quod *ly in quantum homo* in propositione allata potest accipi, & reduplicacione suppositi, & reduplicacione naturæ. Reduplicatio suppositi significat suppositum in recto, & naturam in obliquo, vel quod idem est, significat suppositum, concernens naturam, in qua subsistit. Reduplicatio naturæ significat naturam in recto, & suppositum in obliquo, vel quod idem est, significat naturam, concernentem suppositum. Licet autem questio exagitari debebat reduplicacione naturæ; tamen Ill. Godoy illam disputat reduplicacione suppositi, & in hoc sensu suam sententiam declarat *num. 3.* quam adhuc in hoc sensu contra ipsum tractabimus. Quare.

6
1. Sententia.

Relictis varijs opinionibus, duæ sunt sententiæ ad nostrum intentum ex diametro oppositæ. Prima tenet: quod Christus *in quantum homo*, per gratiam unionis est Filius Dei naturalis formaliter, *ly in quantum* determinante in recto, non naturam, sed suppositum, ut in illa subsistens, non reduplicativè, sed specificativè. Sic Ill. Godoy *num. 123.* cum pluribus, quos citat *num. 3.* Secunda sententia absolute negat; quod Christus, in quantum homo, sit Filius Dei naturalis formaliter, reduplicacione quocumque modo accepta. Hæc sententia communior est apud Antiquiores, eamque defendunt omnes, quos *disp. preced.* citavimus pro filiatione adoptiva, vltra quos illam propugnat Lorca, Curiel, Basilius, Poncius, Morandus, Centinus, Faber, & Matrius, qui *num. 115.* hos pro hac citat opinionem.

Ill. Godoy.

2. Sententia.

Lorca.
Curiel.
Basilius.
Pontius.
Morandus.
Centinus.
Faber.
Matrius.

7
Conclusio.
Probat. 1.
à priori.

Conclusio: *Christus, in quantum homo, quomodocumque fiat reduplicatio, non est formaliter Filius Dei naturalis.* Hæc conclusio est generaliter opposita omnibus Authoribus primæ sententiæ, sed modum Ill. Godoy (quod est nostrum intentum) impugnabimus solum. Probat. primò: filius naturalis est ille, qui oritur vivens à vivente naturaliter principio vitæ coniuncto in similitudinem naturæ intellectualis, ut constat ex doctrina à Scoto tradita de filiatione naturali *in 3. dist. 8. quest. unica.* Et *in 1. dist. 13. quest. unica ad 1.* & patet ex diffinitione generationis viventium, & filia-

tionis; sed Christus, ut homo, in ordine ad Deum istas non habet conditiones, quia Christus, ut homo, licet procedat à Deo vivente, non tamen naturaliter, sed liberè; nec in similitudinem naturæ, quia humanitas non est similis Divinitati; nec principio vitæ coniuncto, quia nec actio humanitatis productiva ex vi suæ specificationis tendit ad communicandam naturam Divinam Christo, nec actio unitiva humanitatis ad Verbum, sed tantum ad communicandam subsistentiam Divinam, & concomitantè tantum ratione identitatis trahebat etiam naturam Divinam: ergo Christus, ut homo, non potest, nec debet dici Filius Dei naturalis ob defectum harum conditionum.

8
Ratio formata ab Ill. Godoy.

Hæc est ratio à priori nostræ conclusionis, quam Ill. Godoy *num. 131.* sibi sub hac forma obiecit: filius naturalis est, qui à Patre procedit per generationem naturalem; sed Christus, ut homo, non procedit à Patre naturali generatione: ergo in quantum homo, filius naturalis non est. Maior est diffinitio filij naturalis. Minor autem probatur: nam Christus, in quantum homo, fit à Deo per actionem temporalem liberam, & toti Trinitati communem; sed naturalis generatio à Deo, æterna est, & necessaria, solique Patri conveniens: ergo Christus, ut homo, non procedit à Deo per naturalem generationem.

9
Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num. 132.* distinguendo, vel explicando maiorem: filius naturalis, qui talis est naturaliter, concedit maiorem; filius naturalis unionem, vel assumptionem, aut gratiosa communicatione filiationis naturalis, negat maiorem; & concessa minori, distinguit similiter consequens. Nam licet filiatio naturalis petat, quod subiectum, quod filium naturalem naturaliter constituit, à Patre procedat per generationem naturalem; semel tamen iam producta, & in naturali generatione fundata, potest alteri naturæ uniri, & ex tali unionem filius naturalis consurget, quin à Patre per generationem naturalem procedat.

Quæ doctrina est Alberti Magni *in 3. dist. 10. art. 3.* ubi tres modos filiationis distinguit, scilicet, generationem, adoptionem, & unionem ad illum, qui filius naturalis est naturaliter. Et

10

Hugonis de S. Victore tom. 3. in Apolog. de Verbo Incarnato, quest. 2. ibi: Filius tribus modis dicitur, adoptione, ut nos per fidem, scilicet, vivam: susceptione, ut mediator, natura, ut Verbum, quod eadem natura est cum Patre, non persona, & eadem persona cum mediatore, non eadem substantia, idest, natura. Quod etiam docuit D. Thomas quest. 24. art. 1. & 2. Et infra quest. 32. art. 3. ubi ait: Christum, ut hominem, esse Filium Dei naturalem, filiatione in æterna generatione fundata, & per gratiam vnionis in tempore humanitati vnita.

11
Impugn. 1.

Hæc tamen solutio Ill. Godoy in multis deficit, & multipliciter impugnatur. Primò: Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, naturaliter productus: ergo Christus, in quantum homo, non est propriè, & rigorosè Filius Dei naturalis. Atqui hic quærimus de filiatione naturali, propriè, & rigorosè accepta: ergo Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, filiatione, de qua in præsentī loquimur: ergo nulla est, nec ad intentum, solutio Ill. Godoy. Vtraque consequentia est legitima. Sussumpta patet: nam hic quærimus de filiatione naturali, ita, ut absolutè, & absquè vlla limitatione, propriè, & rigorosè dicatur: Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis. Antecedens est solutio Ill. Godoy. Prima consequentia probatur: filius, qui est naturaliter productus, est filius naturalis propriè, & rigorosè; sed per te Christus, in quantum homo, non est Filius naturalis, naturaliter productus: ergo Christus, in quantum homo, non est propriè, & rigorosè Filius Dei naturalis. Probatur maior: filius, cui convenit diffinitio filiationis naturalis, est filius naturalis propriè, & rigorosè, sed filio, qui est naturaliter productus, convenit prædicta diffinitio: ergo filius, qui est naturaliter productus, est filius naturalis propriè, & rigorosè.

12
Impugn. 2.

Secundò: Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis, naturaliter productus: ergo Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis per analogiam ad filium propriè, & rigorosè naturalem. Hæc consequentia patet: nam filius, qui propriè, & rigorosè naturalis non est, si naturalis appellatur, erit solum per analogiam

ad filium naturalem propriè, & rigorosè. Atqui hoc non est ad Intentū, quia quæstio est de filiatione naturali propriè, & rigorosè: ergo ad intentum non est solutio Ill. Godoy.

Tertiò: solutio Ill. Godoy aperit viam hæreticis, ut dicant: Spiritum Sanctum esse filium; sed hoc est maximum inconueniens: ergo ruit. Probatur maior: solutio ipsius est: Christū, in quantum hominem, esse Filium Dei naturalem, etsi non sit naturaliter productus; sed hoc aperit viam hæreticis, ut dicant: Spiritum Sanctum esse filium: ergo idem facit solutio Ill. Godoy. Probatur minor primò: Spiritui Sancto, ut sit filius, solū deficit, quod naturaliter producat; sed iuxta solutionem Ill. Godoy Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis, etsi non sit naturaliter productus: ergo solutio Ill. Godoy aperit viam, ut dicant hæretici: Spiritum Sanctum esse filium. Probatur secundò: semel statuta solutio Ill. Godoy, Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis per analogiam ad filium naturalem propriè, & rigorosè; sed productio Spiritus Sancti potest dici generatio per quandam analogiam: ergo idem, quod prius:

Quartò: ut Christus, in quantum homo, vocetur Filius Dei naturalis, necessarium est, formare alteram, & novam diffinitionem generationis, seu filiationis naturalis contra diffinitionē ab omnibus Philosophis, & Theologis acceptam; atqui hoc decens non est: ergo decens non est solutio Ill. Godoy. Probatur minor: quia si hoc esset decens, decens esset, formare novam diffinitionem generationis, quæ Spiritui Sancto conveniret, & consequenter esset filius. Item: decens esset, formare novam diffinitionem cuiuscumque rei, & consequenter naturas omnium rerum mutare; sed hoc decens non est: ergo decens non est, formare novam diffinitionem generationis, seu filiationis naturalis.

Quintò: nullus est filius naturalis in humanis, qui non sit naturaliter productus: ergo nullus debet esse filius naturalis in Divinis, qui non sit naturaliter productus: ergo Christus, in quantum homo, qui non est naturaliter productus iuxta solutionem, non est Filius Dei naturalis, & consequenter solutio ruit. Antecedens est cer-

13
Impugn. 3.

14
Impugn. 4.

15
Impugn. 5.

tum. Prima consequentia probatur: filiatio naturalis Dei transfertur ex filiatione naturali humana; sed nullus est filius naturalis in humanis, qui non sit naturaliter productus: ergo nullus debet esse filius naturalis in Divinis, qui non sit naturaliter productus. Maior probatur primo: ex filiatione naturali humana investigamus in Divinis naturalem filiationem Verbi, & ab Spiritu Sancto illam excludimus, ut constans est apud omnes Theologos: ergo filiatio naturalis Dei transfertur ex filiatione naturali humana. Secundo: Filiatio adoptiva Dei transfertur ex filiatione adoptiva humana, ut demonstrant exempla, quæ de Moyse respectu filie Pharaonis, & de Esther respectu Mardochei, adducit Concilium Francfordiense ergo pariter.

16
Sexto ad
hom. contra
Ill. Godoy.

Sexto ad hominem contra Ill. Godoy: filiatio naturalis, ut à Philosophis, & Theologis diffinitur, non convenit propriè Christo, ut homini: ergo Christus, in quantum homo, non debet dici Filius Dei naturalis: ergo vanum est duplex genus filiationis naturalis ab Ill. Godoy in solutione assignatum. Antecedens planè constat ex dictis. Consequentia probatur: quia filiatio adoptiva, ut à Iuristis diffinitur, non convenit propriè Christo, ut homini: Christus, in quantum homo, non debet dici Filius Dei adoptivus; sed filiatio naturalis, ut à Philosophis, & Theologis diffinitur, non convenit propriè Christo, ut homini: ergo Christus, in quantum homo, non debet dici Filius Dei naturalis. Consequentia est evidens. Minor concessa. Maior est Ill. Godoy *disp. preced. numer. 205.* & pluribus alijs, in quibus id repetit.

17
Septimò
etiam ad
hom. contra
ipsum.

Septimò, & etiam ad hominem contra ipsum; idè iuxta Ill. Godoy *disp. preced.* Christus, in quantum homo, non est Filius Dei adoptivus formalitèr, quia ei non conveniunt omnes conditiones, ad adoptionem à Iuristis petita; sed Christo, in quantum homini, non conveniunt omnes conditiones ad filiationem naturalem à Philosophis, & Theologis petita: ergo Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis formalitèr. Maior, & consequentia tenent. Minor autem est manifesta, & probatur: vna ex conditionibus ad filiationem naturalem à Philosophis, & Theologis

requisita, est, quod naturalitèr producat; sed hæc conditio non convenit Christo, ut homini, ergo Christo, in quantum homini, non conveniunt omnes conditiones ad filiationem naturalem à Philosophis, & Theologis petita. Maior est Ill. Godoy *numer. 6.* Minor etiam est eiusdem *num. citat.* Et ratio est: quia actio productiva humanitatis, & unitiva illius ad Verbū, sunt Deo liberae, & voluntariae, ut quodlibet opus ad extra. Consequentia legitimè infertur.

Deniquè impugnatur solutio Ill. Godoy: nam distinguere illud duplex genus filiationis naturalis, est facere quæstionem de puro nomine, quod fieri non debet. Ratio est: nam ut Ill. Godoy asserat, quod Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis, ait: ad esse filium naturalem, non requiri, quod sit naturalitèr productus; nos verò, id esse necessarium, dicimus. Ecce quæstionem de nomine, & tam gravem difficultatem ad solas voces redactam, ut de adoptiva filiatione diximus *disp. preced. num. 61.*

Est tamen inter nos, & Ill. Godoy maxima differentia; nam nos loqui in sensu proprio, & riguroso, est innegabile; loquimur enim de filiatione naturali, ut à Philosophis, & Theologis diffinitur. Ill. verò Godoy non loquendo, ut non loquitur, de filiatione naturali, ut ab his diffinitur, loquitur necessariò in sensu improprio; ex quo modo loquendi plura secuntur absurda. Primo: quod Spiritus Sanctus possit appellari filius ex dictis *numer. 13. 14. & 15.* Secundo: quod naturas rerum immutare possemus, ex dictis *numer. 14.*

Tertio: quod possit asseri: similitudinem in natura requisitam ad filiationem naturalem, non debere esse specificam, quod est falsum; nam ex eo, quod Verbum generatur, & est Filius Patris, inferunt Patres Ecclesiæ contra Arrium, Verbum esse eiusdem omninò naturæ cum Patre. Quarto: quia dicere possemus: quod Nepos est filius naturalis Avij; possemus enim distinguere duplex genus filiationis naturalis; vnum per immediatam generationem, & alterum per mediatam, qualem habet Nepos respectu Avij, & absquè dubio de hac melius verificaretur, quod esset *Origo viventis à vivente in similitudinem naturæ.*

18

Impugnatur
denique.

19

Ill. Godoy
loquitur in
sensu improprio,
ex quo
varia secuntur
absurda.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Ex his autem vrgentes replicæ formari possunt contra solutionem Ill. Godoy.

20
Solutio Ill.
Godoy est
omniñò vo-
luntaria.

Vndè solutio illius, in qua totalitèr nititur ad suam opinionem defendendam, est omniñò voluntaria. Primò: quia opponitur diffinitioni filiationis naturalis ab omnibus admiffæ. Secundò: quia fundamentam non habet, vt tali diffinitioni contradicat. Tertio: quia exemplar talis filiationis non habet, neque in humanis, neque in Divinis. Qua ergo ratione (his stantibus) admittenda est? Ultra hoc tamen solutio non est ad rem, quia loquimur de filiatione naturali propria, & rigurosa, qualem habet, qui est naturalitèr productus; quare adhuc solutione omiffa, manet in toto vigore probatio nostra.

§. II.

Alie probationes pro vera conclusione.

21
Probat. 2.
conclusio.

PROBATUR secundò conclusio: vt de Christo, in quantum homine, *ly in quantum*, determinante suppositum, verificaretur, esse Filium Dei naturalem formalitèr, petitur, quod hypostasis Verbi sub conceptu filiationis formalitèr vniatur humanitati; sed hypostasis Verbi non vnitur formalitèr humanitati sub conceptu filiationis: ergo Christus, vt homo, non est Filius Dei naturalis formalitèr. Maior cum consequentia tenet. Minor autem ostenditur. Primò: filiatio, vt filiatio, est formalitèr relatio; sed hypostasis Verbi non vnitur humanitati formalitèr sub conceptu relationis; aliàs illam constitueret relatum: ergo non vnitur illi formalitèr, vt filiatio.

22
Secundò.

Secundò: nam persona Verbi sub ea ratione solum vnitur formalitèr humanitati, sub qua ab humanitate petitur; sed ab humanitate solum petitur sub conceptu, vel munere subsistentiæ, aut personalitatis, supplementis vices subsistentiæ, aut personalitatis creatæ: ergo persona Verbi sub hoc tantum conceptu vnitur humanitati: ergo non sub conceptu filiationis. Tertio: persona Verbi non solum est Filius naturalis Patris, sed etiã est Imago formalitèr, & Verbum illius; sed persona Verbi non vnitur humanitati formalitèr sub munere

Tertio.

Imaginis, & Verbi Patris: ergo nec sub munere filiationis naturalis.

Respondet Ill. Godoy *num. 114.* negando minorem, ad cuius primam probationem concessa maiori, negat minorem; nec sequitur, quod constituat humanitatem relatum relatione Filij ad Patrem; est enim humanitas incapax huius effectus, vel quasi effectus; sicut nec sequitur, quod Filiatio Verbi constituat Deitatem relatum, quamvis illi vniatur formalitèr sub conceptu relationis, quia huius effectus, vel quasi effectus Deitas incapax non est.

Reijcitur solutio: hypostasis Verbi iuxta Ill. Godoy vnitur humanitati formalitèr sub conceptu relationis: ergo constituit humanitatem relatum. Probatur consequentia: implicat, quod hypostasis Verbi vniatur humanitati formalitèr sub conceptu relationis, quin constituat humanitatem relatum; sed hypostasis Verbi vnitur humanitati formalitèr sub conceptu relationis: ergo constituit humanitatem relatum. Probatur maior primò ad hominem contra Ill. Godoy: implicat, quod forma sit in subiecto, quin illi tribuat suum effectum primarium; sed relatum constituere, est effectus primarius relationis: ergo implicat, quod hypostasis Verbi vniatur humanitati formalitèr sub conceptu relationis, quin constituat humanitatem relatum. Minor, & consequentia tenent. Maior est Ill. Godoy *disp. 53. num. 182.*

Probatur secundò dicta maior ad hominem contra Ill. Godoy: implicat, quod forma sit in subiecto, & quod subiectum sit incapax effectus formalis primarij formæ; sed relatum constituere, est effectus primarius relationis: ergo idem, quod antea. Maior, in qua poterat esse difficultas est Ill. Godoy *citat. num. 184.* Tertio ad hominem etiam contra ipsum implicat, quod gratia habitualis, vt habitata per spiritualem generationem, sit in subiecto, quin illud constituat formalitèr Filium Dei adoptivum, eo, quod esse Filium Dei adoptivum, est effectus primarius formalis gratiæ habitualis, vt habitata per generationem spiritualem; atqui relatum constituere, est effectus primarius relationis: ergo idem, quod prius. Maior est Ill. Godoy *citat. num. 186.* Cetera autem tenent.

23
Respondet
Ill. Godoy.
Ad 1. prob.
min.

24
Reijcitur
solutio.

Prob. mai.
1. ad hom.
contra Ill.
Godoy.

25
2. prob. etiã
ad hom.

3. etiam ad
hom.

26

Quartò.

Quartò: quia vnio, vt vnio, est formaliter relatio, implicat, quod humanitas sit vnita, quin sit relata: ergo implicat, quod relatio sit in humanitate, & quod non constituat illam relata: ergo implicat, quod hypostasis Verbi vnietur formaliter humanitati sub conceptu relationis, quin illam relata constituat. Vtraque consequentia est certa. Antecedens patet: nam quia vnio, vt vnio, est formaliter relatio, idem est: humanitatem esse vnitam, ac esse relata relatione vnionis. Quintò: quia humanitatem esse capacem filiationis, probauimus contra Ill. Godoy, *disp. præc. §. 2.*

Quintò.

27

Instantia solutionis est nulla.

Nec vim habet instantia, quam adducit Ill. Godoy in solutione; est enim magna disparitas: quia Deitas nullo modo dicitur genita, vt est de fide; ait humanitas aliquomodo dicitur genita, vt fatetur Ill. Godoy ex D. Thoma *disp. 53. à num. 113. vsquè ad 117.* Vnde Deitas nullo modo dicitur filia, consequenterque hypostasis Verbi non vnietur Deitati formaliter sub conceptu filiationis, sed sub conceptu personalitatis, ideoque illam personam constituit. Solutio claret ad hominem in doctrina Ill. Godoy *disp. 53. num. 186.* asserentis: quod licet gratia habitualis vnietur humanitati Christi, illi tamen non vnietur secundum modum, seu sub conceptu naturæ, ideoque Christum non constituit Filium Dei adoptivum. Similiter ergo de hypostasi Verbi.

28

Respondet ad 2. prob. minoris.

Ad secundam minoris probationem respondet Ill. Godoy *num. 147.* negando maiorem. Non enim ex humanitatis dependentia sumendum est extremum formale vnionis ex parte Verbi, sed ex ipsa vnionis natura: vnio autem hypostatica humanitatis ad Verbum per se ab intrinseco petit, non solum vnire humanitatem cum Verbo, secundum exercitium terminandi naturam creatam immediate, sed etiam illam cum natura, vt in Verbo existente, mediate petit vnire in vnitatem personæ; eo, quod per se ab intrinseco petit Christum, vt personam compositam ex substantia Verbi, & humanitate, ex Verbo, & humanitate, atque ex Divina, & humana natura, & ad id per se ordinatur, vt non solum Deus esset homo, sed etiam homo esset Deus.

29

Hæc tamen solutio, quæ in nega-

tionem maioris nostræ probationis consistit, impugnatur primò, probando maiorem ad hominem contra Ill. Godoy: gratia habitualis sub ea ratione solum vnietur formaliter humanitati Christi, sub qua à Christi humanitate petitur: ergo persona Verbi sub ea ratione solum vnietur formaliter humanitati Christi, sub qua à Christi humanitate petitur. Consequentia est paritate notoria. Antecedens autem probatur: gratia habitualis non vnietur formaliter humanitati Christi sub ea ratione, qua ab ipsa gratia petitur: ergo gratia habitualis sub ea ratione solum vnietur formaliter humanitati Christi, sub qua à Christi humanitate petitur. Probatur antecedens: gratia habitualis per se, ab intrinseco, & ex natura rei petit vniri sub ratione adoptionis; sed sub hac ratione non vnietur formaliter humanitati Christi: ergo gratia habitualis non vnietur formaliter humanitati Christi sub ea ratione, qua ab ipsa gratia petitur. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt Ill. Godoy. *Maior disp. 52. §. 5. Minor disp. 53. per totam, & præcipuè num. 185.* vbi tenet: quod non stat forma in subiecto, quin illi tribuat suum effectum, si subiectum petat illum; & *num. 186.* asserit: gratiam habitualement non constituere Christum Filium Dei adoptivum, quia illi non vnietur per modum naturæ. Ex quibus duplex reuersio fiat contra Ill. Godoy solutionem.

Impugnatur secundò, probando etiam maiorem cum solutione Ill. Godoy: vnio hypostatica per se ab intrinseco petit vnire humanitatem cum Verbo, non solum secundum exercitium terminandi illam immediate, sed etiam mediate illam vnire in vnitatem personæ; atqui hoc idem petitur saltim vagè ab humanitate, quia humanitas petit personalitatem, quæ sub conceptu substantiæ illam terminet, & sub conceptu personalitatis illam personet, & vniam personam cum ipsa faciat: ergo solutio non obest, vt vera sit nostra maior, scilicet, persona Verbi sub ea ratione solum vnietur formaliter humanitati, sub qua ab humanitate petitur.

Impugnatur tertio ad hominem contra Ill. Godoy: ita, quod vnio hypostatica petat per se, & ab intrin-

Impugn. 1.
ad hom. cō-
tra Ill. God.

30

Impugn. 2.
etiam ad
hom.

31

Impugn. 3.
ad hom. cō-
tra ipsam.

se.

seco vnire humanitatem ad Verbum in vnitatem personæ, quin subsistentia Verbi vniatur humanitati sub munere filiationis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primò: stat, quod in Christo, quatenus homine, prout est subiectum prædestinationis, includatur subsistentia Verbi, quin claudatur in illo sub munere filiationis, vt habet Ill. Godoy *disp. 55. num. 104*: ergo similiter. Secundò: stat, quod substantia Verbi, quæ est filiatio naturalis, distinguatur ab alijs Divinis subsistentijs, scilicet, Patris, & Spiritus Sancti, quin ab illis distinguatur sub munere filiationis, vt habet Ill. Godoy *disp. citat. num. 106*: ergo pariter. Tertiò: stat, quod subsistentia Verbi constituat Christum, vt hominem, in ratione personæ humanæ, quin illum sic constituat sub munere filiationis, vt fatetur ipse *disp. citat. num. 107*: ergo stat, quod vnio hypostatica petat per se, & ab intrinseco vnire humanitatem ad Verbum in vnitatem personæ, quin subsistentia Verbi vniatur humanitati sub munere filiationis.

Impugnatur quartò: vnio hypostatica per se ab intrinseco ordinatur, vt non solum Deus esset homo, sed etiam homo esset Deus iuxta solutionem Ill. Godoy; sed hoc stat, quin filiatio sub conceptu relationis vniatur formaliter humanitati: ergo solutio non impedit efficaciam nostræ probationis. Probatur minor: stat, quod Deus sit homo, & homo sit Deus, quin Christus, *in quantum homo*, sit Filius Dei naturalis formaliter: ergo stat, quod vnio hypostatica per se ab intrinseco ordinatur, vt non solum Deus sit homo, sed etiam homo sit Deus, quin filiatio sub conceptu relationis vniatur formaliter humanitati. Consequentia est certa. Antecedens verò probatur: ex eo, quod homo sit Deus, & Deus homo, nemo intulit, quod Christus, *in quantum homo*, sit Filius Dei naturalis formaliter; alioquin cum omnes concedant, quod Deus est homo, & homo Deus, omnes inferrent filiationem naturalem Christi, vt hominis, quod est apud omnes falsum: ergo stat, quod homo sit Deus, & Deus homo, quin Christus, *in quantum homo*, sit Filius Dei naturalis formaliter.

33
Impugn. 5. Impugnatur quinto: quod vnio hypostatica petat per se, & ab intrin-

seco, vnire humanitatem ad Verbum in vnitatem personæ, non infert, Christum, *in quantum hominem*, esse formaliter Filium Dei naturalem: ergo nulla est solutio. Probatur antecedens: quod vnio hypostatica petat per se, & ab intrinseco, vnire humanitatem ad Verbum, in vnitatem personæ, solum infert, humanitatem personæ personalitate Verbi; sed ex eo, quod humanitas personetur personalitate Verbi, non infertur: Christum, *in quantum hominem*, esse formaliter Filium Dei naturalem: ergo quod vnio hypostatica petat per se, & ab intrinseco, vnire humanitatem ad Verbum in vnitatem personæ, non infert: Christum, *in quantum hominem*, esse formaliter Filium Dei naturalem. Maior, & consequentia tenent.

Minor probatur: conceptus filiationis naturalis est alius à conceptu personalitatis: Ergo ex eo, quod humanitas personetur personalitate Verbi, non infertur: Christum, *in quantum hominem*, esse formaliter Filium Dei naturalem. Consequentia est legitima. Antecedens ostenditur: conceptus filiationis naturalis sumitur ab actione, seu productione, quæ sit *Origo viventis à vivente in similitudinem naturæ, principio vitæ coniuncto* iuxta omnes Philosophos, & Theologos; atqui conceptus personalitatis est incommunicabilis, vt quo per modum formæ totius alteri, vt termino fecunditatis, vt diximus tom. 3. in 1. *Sent. disp. 80. num. 23*. & si alius ponitur ab Ill. Godoy, nunquam erit actio, seu productio, quæ sit *Origo viventis à vivente in similitudinem naturæ, principio vitæ coniuncto*: ergo conceptus filiationis naturalis est alius à conceptu personalitatis.

Ad tertiam probationem respondet Ill. Godoy *num. 148*. concessa maiori, negando minorem: Christus enim vt homo, est Filius Dei naturalis formaliter, quia humanitas ex vniõnis trahitur ad esse personale secundæ personæ, quod est Filius Dei naturalis formaliter. Cum ergo secundæ persona sit etiam formaliter Verbum, non est, cur de Christo, vt homine non prædicetur formaliter, esse per gratiam vniõnis Verbum, & imago Patris, nec in hoc aliquod inconueniens reperit.

Contra primò: Christus, *in quan-*

Probatur minor.

34
Respondet Ill. Godoy. ad 3.

Contra 1.

1. pars anteced. probatur 1.

tum homo, non est Verbum, nec imago: ergo ruit solutio. Antecedens pro prima parte probatur primò: Verbum nihil aliud est, quam expressivum illius, quod latet in mente, seu in memoria fecunda: ergo id, quod ex vi suæ processions procedit, vt terminus memoriæ fecundæ, est Verbum; atqui Christus, *in quantum homo*, non procedit ex vi suæ processions, vt terminus memoriæ fecundæ Patris: ergo Christus, *in quantum homo*, non est Verbum. Secundò: similitudo intentionalis naturaliter producta constituit Verbum, sicut similitudo naturalis naturaliter producta constituit filium; atqui Christus, *in quantum homo*, non procedit ex vi suæ generationis, vt similitudo intentionalis naturaliter producta: ergo Christus, *in quantum homo*, non est Verbum. Vtraque consequentia vtriusque replicæ est legitima. Minor est ab Ill. Godoy concessa, & apud omnes notoria. Maior autem est ratio, qua convincitur: secundam personam præ tertia esse Verbum, vt diximus tom. 3. in 1. Sentent. disput. 72. num. 134.

Secundò.

36
2. pars probatur.

Antecedens pro secunda parte probatur: Imago, vel est naturalis, vel intentionalis, vel artificialis; sed nulla ex his est Christus, *in quantum homo*: ergo Christus, *in quantum homo*, non est imago. Probatur minor: Christus, *in quantum homo*, non est imago artificialis, quia hæc est pictura respectu prototypi; nec intentionalis, quia hæc est Verbum mentis respectu obiecti; atqui nec naturalis: ergo Christus, *in quantum homo*, nullam habet rationem imaginis. Probatur minor: id est imago naturalis, quod est naturaliter productum ab exemplari, v. g. Filius respectu Patris; sed Christus, *in quantum homo*, non est naturaliter productus à Deo: ergo Christus, *in quantum homo*, non est imago naturalis.

37
Contra 2.

Contra secundò: Christus, *in quantum homo*, est formaliter Verbum, & imago Patris, quia humanitas ex vi vnionis trahitur ad esse personale secundæ personæ, quod formaliter est Filius Dei naturalis: ergo omne, quod formaliter habet secunda persona ex vi suæ processions, habet formaliter per gratiam vnionis Christus, vt *homo*; quod consonum non videtur. Antecedens est solutio Ill. Godoy. Consequentia patet: quia ratio pro Verbo,

& Imagine ad omnia alia detervit. Contra tertio: licet humanitas ex vi vnionis trahatur ad esse personale secundæ personæ; non trahitur, vt naturaliter producta; vt concedit Ill. Godoy num. 134: ergo non trahitur sufficienter, ad hoc, quod Christus, vt *homo*, sit Filius Dei naturalis formaliter. Consequentia constat ex dictis à num. 11. vsque ad 21.

Probatur tertio conclusio, & dicta roborantur, evertendo totam doctrinam Ill. Godoy: tota illius doctrina in præsentem, præsertim num. 148. est: Christum, *in quantum hominem*, esse Filium Dei naturalem formaliter, nihil aliud esse, quam humanitatem ex vi vnionis trahi ad esse personale secundæ personæ, quod est Filius Dei naturalis; atqui hæc doctrina est falsa: ergo falsa est illius opinio. Probatur minor: si Christum, *in quantum hominem*, esse Filium Dei naturalem formaliter, nihil aliud esset, quam humanitatem ex vi vnionis trahi ad esse personale secundæ personæ, quod est Filius Dei naturalis, nullus Theologorum negaret, nec negare posset, quod Christus, *in quantum homo*, esset formaliter Filius naturalis Dei; sed plures hoc negant, vt est manifestum, imò & qui affirmant, valde in modo disconveniunt: ergo falsa est doctrina Ill. Godoy. Probatur maior: nullus Theologorum negat, neque negare valet: humanitatem ex vi vnionis trahi ad esse personale secundæ personæ, quod est Filius Dei naturalis: ergo, &c.

Probatur quartò conclusio: ideo iuxta Ill. Godoy num. 123. Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei naturalis formaliter, quia multoties asseritur ab Adriano Primo in Epist. ad Episcopos Hispaniæ sub nomine proprii filij, quod Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei naturalis; atqui hæc ratio non probat, & dicta Adriani salvantur absque filiatione naturali formaliter: ergo Christus, *in quantum homo*, non est formaliter Filius Dei naturalis. Minor pro prima parte probatur: nam si Adrianus sensisset, quod Christus, *in quantum homo*, esset formaliter Filius Dei naturalis, aliquando posuisset hoc Verbum: *formaliter*; sed nullibi reperitur: ergo prædicta ratio non probat. Secunda pars minoris probatur: dicta Adriani salvantur de filiatione naturali in sensu materiali,

Contra 3.

38
Probat. 3.
conclusio.39
Probat. 4.
conclusio.

& identico, ut est notorium: ergo dicta Adriani salvantur absque filiatione naturali formaliter. Quod ad hanc rationem potest respondere Ill. Godoy, solvendo illius argumenta impugnabimus.

40
Probat. 5.

Probatur quia conclusio: hæc propositio: *Christus, ut homo, ly ut cadente supra suppositum secundum se, est valde distincta ab ista: Christus, ut homo, ly ut cadente supra suppositum, prout subsistit in natura humana*; atqui hæc propositio: *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis formaliter*, est vera, ly ut cadente supra suppositum secundum se: ergo hæc propositio: *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis formaliter, ly ut cadente supra suppositum, prout subsistit in natura humana, est falsa. Maior est certa: nam iuxta Ill. Godoy num. 137. suppositum Christi hominis secundum se sumptum, est à Deo Patre per æternam generationem; tamen prout subsistit in natura humana, non est à Deo per æternam generationem, sed per actionem sibi vniemem humanitatem. Minor est de fide, quia de fide est: quod persona Verbi sit Filius naturalis Dei. Consequentia est legitima.*

41
Respondet.
Ill. Godoy.

Si verò respondeat Ill. Godoy: concessa maiori, distinguendo minorem: *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis formaliter, qui est talis naturaliter, est vera, ly ut cadente supra suppositum secundum se, concedo minorem; qui est talis vniõne, vel assumptione, aut gratiosa communicatione filiationis naturalis, nego minorem; & distinguo consequens: ergo hæc propositio: Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis formaliter, est falsa de filio, qui talis est naturaliter, concedo consequentiam; qui talis est, vniõne, vel assumptione, aut gratiosa communicatione filiationis naturalis, nego consequentiam. Hæc est solutio, quam dedit Ill. Godoy ad nostram primam probationem, illamque reiecimus à num. 11. usque ad finem illius s. pluraque ex ibi dictis declarantur impugnationibus sequentibus.*

42
Impugn. 1.

Impugnatur solutio primò: hæc propositio: *Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis formaliter, ly ut cadente supra suppositum secundum se, est vera in sensu proprio, & rigoroso: ergo hæc propositio: Christus, ut homo,*

est Filius Dei naturalis formaliter, ly ut cadente supra suppositum, prout subsistit in natura humana, non est vera in sensu proprio, & rigoroso. Atqui in presenti quærimus de filiatione naturali in sensu proprio, & rigoroso: ergo in sensu Quæstionis Christus, in quantum homo, non est Filius Dei naturalis formaliter. Antecedens patet: nam suppositum Christi secundum se, pro quo supponit propositio allata, est à Deo Patre per æternam generationem, & naturaliter productum, vel est filius, qui est naturaliter talis, & consequenter est filius in sensu proprio, & rigoroso. Consequentia est per oppositum evidentè nota, & declarata manet in nostra probatione.

Sussumpta est certa, & si ipsam negaret Ill. Godoy, hoc mihi sufficeret; fateretur enim, se asserere in sensu improprio: *Christum, ut hominem, esse Filium Dei naturalem formaliter, qua confessione litigium præsens cessaret omninò. Ultra hoc tamen coagendus est, se in sensu proprio debere loqui, quod sic contra ipsum ostendo: quærere: An Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus, est quæstio in sensu proprio filiationis adoptivæ, ut ab Ill. Godoy asseritur disp. præced. per totam, præcipue num. 205: ergo quærere: An Christus, ut homo, sit Filius Dei naturalis formaliter, est quæstio in sensu proprio filiationis naturalis: ergo vera est sussumpta, ad ipsamque fatendam cogitur Ill. Godoy.*

43
Sussumpta
probat.

Impugnatur secundò: hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis formaliter, gratiosa communicatione filiationis naturalis, est implicatoria in terminis: ergo talis est Ill. Godoy. Probatur antecedens: esse filium formaliter naturalem, est, tum; esse naturaliter productum; tum, esse similem in natura ex vi suæ productionis; tum: excludere liberam productionem; sed hæc pugnant cum gratiosa communicatione, & contradictoriè cum illa opponuntur: ergo propositio hæc: Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis formaliter, gratiosa communicatione filiationis naturalis, est implicatoria in terminis.*

44
Impugn. 2.

o)(s)(o

§. III.

*Argumenta Ill. Godoy solvuntur.*45
Arguit. I.

ARguir Ill. Godoy primò numer. 13: Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis, vt molitories asseritur ab Adriano Primo in *Epist. ad Episcopos Hispania* sub nomine proprii filij; sed hoc verificari non potest in sensu materiali, & identico: ergo Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis formaliter. Probatur minor: Christum, in quantum hominem, esse filium naturalem, aliquid addit ad hoc, quod est, Christum hominem esse filium naturalem, sine particula *in quantum*; sed hæc secunda propositio petit ad sui veritatem, Christum hominem esse Filium naturalem Dei, saltem in sensu materiali, & identico: ergo prima ad sui veritatem desiderat, esse Filium Dei naturalem in aliquo sensu formali.

46
Respond. 2.

Respondeo primò negando minorem, ad cuius probationem, distinguo maiorem: addit aliquid non impediens prædicationem in sensu materiali, & identico, concedo maiorem; tollens talem prædicationem, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Ratio est: nam reduplicatio solum addit, significare, quod id, supra quod cadit, est ratio formalis, cur prædicatum conveniat subiecto, vt asserit Ill. Godoy numer. 126. Et hæc est ratio, cur in Christo prædicata propria vnus naturæ adhuc in concreto nequeant de altera prædicari; vnde istæ sunt falsæ: *Christus, vt homo, est æternus; Christus, vt Deus, est temporalis*: Caterum reduplicatio non tollit, quod prædictæ propositiones sint veræ in sensu materiali, & identico.

47
Ratio solutionis.

Ratio huius est: nam reduplicatio supra naturam, non tollit concernentiam ad suppositum, nec reduplicatio supra suppositum tollit concernentiam ad naturam, vt diximus numer. 5. & fatetur Ill. Godoy num. cit: ergo reduplicatio non tollit prædicationem in sensu materiali, & identico. Probatur consequentia: hoc ipso, quod reduplicatio supra naturam concernat suppositum, & reduplicatio supra suppositum concernat naturam, prædicatum, quod formaliter enunciatur de natura, enunciatur materialiter, & identicè de supposito; &

quod formaliter enunciatur de supposito, enunciatur materialiter, & identicè de natura; vnde istæ sunt materialiter veræ: *Christus, vt homo, est æternaliter genitus: Christus, vt subsistens in natura Divina, est genitus temporaliter*: ergo reduplicatio non tollit prædicationem in sensu materiali, & identico.

48
Ratio 2.

Secunda ratio est: nam quod addit reduplicatio, est limitare subiectum, vt illud vnicè prædicatum enunciatur formaliter de subiecto ratione illius, supra quod cadit reduplicatio, quin de illo, sic reduplicato, oppositum prædicatum possit formaliter enunciari, vt patet in his propositionibus: *Christus, vt homo, est temporaliter genitus: Christus, vt subsistens in natura Divina, est genitus æternaliter*; in quibus ly *vt* limitat Christum, vt de illo, *vt homine*, temporalis generatio vnicè formaliter prædicetur, & de illo, *vt subsistente in natura Divina*, generatio æterna vnicè formaliter prædicetur, ita, vt nec generatio æterna de Christo, *vt homine*, nec temporalis generatio de Christo, *vt subsistente in natura Divina*, possint formaliter prædicari; quare istæ sunt formaliter falsæ: *Christus, vt homo, est æternaliter genitus: Christus, vt subsistens in natura Divina, est genitus temporaliter*. E contra verò evenit, non facta reduplicatio, quia hac non facta, eodem modo, quo vnum prædicatum dicitur de subiecto, dicitur etiam oppositum, vt patet in his: *Christus est æternaliter genitus: Christus est genitus temporaliter*.

49

Infero nunc: ergo reduplicatio non tollit prædicationem in sensu materiali, & identico. Probatur consequentia: reduplicatio ordinatur solum ad cognoscendam, vel declarandam veritatem, aut falsitatem propositionis in sensu formali: ergo reduplicatio non tollit prædicationem in sensu materiali, & identico. Antecedens constat ex dictis. Consequentia probatur: si reduplicatio tolleretur prædicationem in sensu materiali, & identico, reduplicatio non solum ordinaretur ad cognoscendam, vel declarandam veritatem, aut falsitatem propositionis in sensu formali; se namque etiam extenderet ad cognoscendam illam in sensu materiali, & identico; atqui reduplicatio iuxta

concessa ordinatur solum ad cognoscendam, vel declarandam veritatem, aut falsitatem propositionis in sensu formali: ergo reduplicatio non tollit prædicationem in sensu materiali, & identico.

§0

Respond. 2.
Retorquendo argum.

Respondeo secundo retorquendo argumentum: Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei naturalis, ut multoties asseritur ab Adriano Primo in Epist. ad Episcopos Hispaniæ; sed hoc verificari nequit in sensu materiali, & identico: ergo Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei naturalis formaliter. Sic Ill. Godoy. Nunc contra ipsum: atqui ab Adriano asseritur: Christum, *in quantum hominem*, reduplicacione cadente supra naturam humanam, esse Filium Dei naturalem: ergo Christus, *in quantum homo*, reduplicacione cadente supra naturam humanam, est Filius Dei naturalis formaliter. Hæc consequentia est contra Ill. Godoy, negantem: Christum, *ut hominem*, esse Filium Dei naturalem, imò, & proprium, *ly ut reduplicante humanitatem*, ut habet §. 1. & §. 5. & expressius §. 7.

§1

Probatur
sussumpta.

Sussumptæ verò probatur: quia Adrianus, & Concil. Francfordiense locuntur de Christo, *in quantum homine*, reduplicacione cadente supra naturam humanam: ergo ab Adriano asseritur: Christum, *in quantum hominem*, reduplicacione cadente supra naturam humanam, esse Filium Dei naturalem. Antecedens patet primò: nam eodẽ modo locuntur de Christo, *in quantum homine*, respectu filiationis naturalis, ac respectu adoptivæ; sed respectu filiationis adoptivæ locuntur de Christo, *in quantum homine*, reduplicacione cadente supra naturam humanam: ergo sic locuntur de filiatione naturali. Secundò: nam de Christo, eodem modo considerato, locuntur, quando ei negant filiationem adoptivam, illi naturalem concedendo ac quando ei negant servitutem; sed hanc negant Christo, *ut homini*, reduplicacione cadente supra naturam humanam: ergo sic de naturali filiatione locuntur. Tertio denique: quia hoc est iuxta omnes certum, & ut tale constat ex dictis disp. præced. per totam, ubi per totam etiam hanc veritatem fateretur Ill. Godoy.

§2

Arguit. 2.

Arguit secundo num. 123. nam Christus, *ut homo*, est subiectum præ-

destinationis ad esse Filij naturalis Dei: sed terminus huius prædestinationis, est esse Filium Dei naturalem formaliter: ergo Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei naturalis formaliter. Pater consequentia: nam subiecto prædestinationis debet convenire prædestinationis terminus. Non desunt Scotistæ, qui asserant: hanc propositionem: *Christus prædestinatus est Filius Dei*, non esse propriam in rigore logico; & consequenter minus propriam esse: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*. Quo non obstante. Respondeo ad argumentum, concessa maiori, negando minorem, quæ ex dicendis disp. sequenti constabit, ubi Ill. Godoy se remittit absque alia minoris probatione.

Arguit tertio num. 124. id convenit Christo, *ut homini*, per gratiam unionis formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab unione hypostatica humanitatis ad Verbum; sed per se, & formaliter petitur ab hac unione, Verbum, ut est Filius naturalis Dei: ergo Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei formaliter per gratiam unionis. Minor probatur primò: nam unio hæc humanitatis per se petit, illam unire Verbo Dei, ut subsistenti in natura Divina per generationem ipsi communicata; sed Verbum, ut sic subsistens, est Filius Dei naturalis formaliter: ergo unio humanitatis ad Verbum per se, & formaliter petit Verbum, ut est Filius naturalis Dei. Secundò: nam licet unio non fuerit facta in natura, nec immediate ad naturam, mediate tamen ad illam fuit terminata; sed non ad naturam, ut tribus personis communem: ergo ad illam, ut in secunda persona; at natura, ut in secunda persona, per generationem habetur: ergo per se petitur ab unione hypostatica, quod humanitas uniat mediate cum natura Divina, ut Verbo communicata per generationem; & consequenter per se petit unio hypostatica Verbum, ut est Filius naturalis Dei.

Tertio: nam Christus est persona composita, non solum ex subsistentia Verbi, & humanitate, sed etiam ex Verbo, & humanitate, & ex natura Divina, & humana, ut cum Scoto diximus tom. 1. in 3. Sent. disp. 10. num. 8. & seqq. at non est persona composita ex Divina natura, ut omnibus perso-

Respondeo.

§3

Arguit. 3.

Minorem
probat. 1.

Secundò.

§4

Tertio.

nis communi : ergo est composita ex illa, vt terminata ad Verbum; & consequenter ex illa, vt per generationē communicata; sed tota hæc compositio per se petitur ab vnione hypostatica: ergo per se ab illa petitur, quod humanitas vniatur Verbo, vt genito, & vt Filio naturali Dei. Denique probatur: nam vnio hypostatica id petit per se, & formaliter, quod per se intentum fuit ex vi Incarnationis, vel actionis vnitivæ humanitatis ad Verbum; sed ex vi huius actionis, non solum fuit intentū per se, quod Verbum Dei esset homo, sed etiam quod hic homo esset Deus: ergo vnio hypostatica hoc etiam petit per se; at non quod esset Deus tribus personis communis: ergo quod esset Deus Deitate prout in Verbo per generationem habita; & consequenter per se petit ab vnione hypostatica Verbum, prout est Filius naturalis Dei.

§ 5
Respond. 1.
ad argum.

Respondeo primò, negando maiorem, qua negata, totum ruit argumentum; nam Christo, vt homini, per gratiam vnionis convenit formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab humanitate, à qua non petitur Verbum sub conceptu, vel munere filiationis naturalis; sed solum sub munere, vel conceptu personalitatis, suppletis personalitatem creatam, vt diximus numer. 22. inter probandam nostram conclusionem. Et iuxta hanc solutionem.

§ 6
Retorq. 1.

Retorqueo primò argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: id convenit Christo, vt homini, per gratiam vnionis formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab vnione hypostatica humanitatis ad Verbum: ergo id; convenit Christo, vt homini, per gratiam habitualement formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab ipsa gratia; atqui per se, & formaliter petitur à gratia habituali adoptiva filiatio: ergo Christus, vt homo, est Filius Dei adoptivus formaliter. Retorsio patet ex dictis numer. 29. & est contra Ill. Godoy *diff.* 53. Retorqueo secundo: id convenit Christo, vt homini, per gratiam vnionis formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab vnione hypostatica humanitatis ad Verbum; sed per se, & formaliter petitur ab hac vnione Verbum, vt est Imago, & Verbum Patris: ergo Christus, vt homo, est Imago, & Verbum

Retorq. 2.

Patris formaliter per gratiam vnionis, quod, etsi concedat Ill. Godoy, falsum esse diximus *num.* 35. & 36.

Retorqueo tertio: id convenit Christo, vt homini, per gratiam vnionis formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab vnione hypostatica humanitatis ad Verbum; sed per se, & formaliter petitur ab hac vnione, humanitas producta, & generata pro priori ad ipsam vnionem: ergo Christus, vt homo, non est generatus formaliter per gratiam vnionis: ergo non est Filius De naturalis formaliter per gratiam vnionis. Hæc consequentia patet: nam non stat naturalis filiatio, quin sit generatio, quæ est *Origo viventis à vivente in similitudinem nature, principio vite coniuncto*, vt diximus *num.* 7.

§ 7
Tertio.

Respondeo secundo: omiſſa maiori, negando minorem, & ad primam probationem, nego maiorem. Ad secundam, nego secundam consequentiam. Ad tertiam, nego consequentiam subillatam: & ad quartam, nego ultimam subillatam consequentiam. Ratio est: nam per se, & formaliter solum petitur ab vnione hypostatica humanitatis ad Verbum, ipsum Verbum, quod est Filius naturalis Dei; non verò reduplicativè, vt est filius naturalis, sicut arguit Ill. Godoy in minori, & in quadruplici illius probatione. Solutio patet in doctrina ipsius. Primò: quia iuxta ipsum *num.* 147. vnio hypostatica humanitatis ad Verbum per se ab intrinseco ordinatur, vt Deus esset homo, & homo esset Deus in vnitatem personæ; sed hoc stat, quin ab hac vnione per se ab intrinseco petatur Verbum, vt Filius Dei naturalis est reduplicativè: ergo per se ab intrinseco non petitur ab hac vnione Verbum, vt est Filius naturalis Dei. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probata manet *numer.* 23. & 33.

§ 8
Respond. 2.
ad argum.
& ad prob.
minoris.

Patet solutio 1.

Patet secundo solutio: ab vnione hypostatica humanitatis ad Verbum per se ab intrinseco petitur humanitas generata naturaliter in tempore, & Verbum ab æterno genitum, vtrūque pro priori ad ipsam vnionem: ergo per se ab intrinseco non petitur ab hac vnione Verbum, vt est Filius naturalis Dei. Probatur consequentia: nam vt dictum est, non stat naturalis filiatio absquè naturali genera-

§ 9
Secundo.

Tertiò.

tionem; sed per hanc unionem non generatur humanitas: ergo per ipsam non communicatur humanitati filiatione naturalis: ergo per se ab intrinseco non petitur ab hac unione Verbum, ut est Filius naturalis Dei. Tertiò: Quia ab hac unione per se ab intrinseco non petitur Verbum, ut est Imago, & Verbum Patris ex dictis *numer. 35. & 36*: ergo nec Verbum, ut est Filius Dei naturalis. Et iuxta has solutiones.

60
Respond. 3.
ad argum.

Respondeo tertio ad argumentum, distinguendo maiorem: id convenit Christo, *ut homini*, per gratiam unionis formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab unione hypostatica humanitatis ad Verbum duntaxat, nego maiorem; quod petitur ab unione hypostatica, & simul ab humanitate petitur, concedo maiorem, & omnia minori, nego consequentiam; quia licet ab unione hypostatica petatur Verbum, ut est Filius Dei naturalis; non tamen petitur ab humanitate, quod erat necessarium, ut Christus, *in quantum homo* Filius Dei naturalis esset. Solutio claret ex dictis in prima responsione, & retortionibus ibi factis instatur argumentum.

61
Respond. 4.

Respondeo quarto, aliter distinguendo maiorem: id convenit Christo, *ut homini*, per gratiam unionis formaliter, quod per se, & formaliter petitur ab unione hypostatica humanitatis ad Verbum, supposita humanitatis generatione; omitto maiorem; generatione non supposita, nego maiorem, & minorem; quia semel supposita ad unionem hypostaticam humanitatis generatione, repugnat, quod filiatione naturalis per gratiam unionis humanitati communicetur; cum repugnet absque naturali generatione naturalis filiatione. Solutio constat ex dictis à *num. 7. cum sequentibus, & num. 59.*

62
Respond. 5.

Respondeo quinto: omnia maiori, distinguendo minorem: per se, & formaliter petitur ab hac unione Verbum, ut est Filius naturalis Dei specificativè, concedo minorem; reduplicativè, nego minorem; & iuxta hanc solutionem ad primam probationem distinguatur maior. Ad secundam concessio syllogismo cum assumpta, distinguatur consequens. Ad tertiam concessio syllogismo, distinguo assumptam: tota hæc compositio, spe-

cificativè sumpta, per se petitur ab unione hypostatica, concedo minorem; reduplicativè capta, nego minorem, & consequentiam. Ad quartam concessio etiam syllogismo, cum assumpta, distinguo consequens similiter.

Solidatur solutio in doctrina Ill. Godoy: unio namque hypostatica humanitatis ad Verbum, quod per se formaliter, & ab intrinseco petit, est: quod humanitas uniatu r immediate Verbo, & mediata nature Divinæ, ut fatetur ipse in secunda minoris probatione: quod non solum Deus sit homo, sed etiam homo esset Deus, quod fuit per se intentum ex vi Incarnationis, vel actionis unitivæ humanitatis ad Verbum, ut fatetur in quarta probatione: quod humanitas trahatur ad esse personale secundæ personæ, ut ait: *num. 148.* Sufsumo nunc: atqui ob nullum ex his petit unio hypostatica per se formaliter personam Verbi, ut Filium Dei naturalem reduplicativè: ergo ab unione hypostatica non petitur per se formaliter Verbum, ut est Filius naturalis Dei reduplicativè.

Sufsumpta probatur primò: per hæc omnia unio hypostatica solum petit per se formaliter personam Verbi, ut personam reduplicativè: ergo ob nullum ex dictis petit unio hypostatica per se formaliter personam Verbi, ut Filium Dei naturalem reduplicativè. Probatur antecedens: cum unione humanitatis ad personam Verbi, reduplicativè, ut personam, salvatur unio immediata humanitatis ad Verbum: Item: quod homo sit Deus, qui est Verbum. Item: quod humanitas trahatur ad esse personale secundæ personæ: ergo per hæc omnia unio hypostatica solum petit per se formaliter personam Verbi, reduplicativè, ut personam. Secundò: ob nullum ex allatis infertur, quod humanitas per se formaliter uniatu r cum filiatione naturali Verbi, reduplicativè accepta: ergo idem, quod antea. Probatur antecedens: ex omnibus allatis solum infertur, quod humanitas per se formaliter personetur personalitate Verbi; sed hoc stat, quin humanitas per se formaliter uniatu r cum filiatione naturali Verbi, reduplicativè accepta: ergo ob nullum ex allatis infertur, quod humanitas per

63

Solidatur
solutio in
doctrina Ill.
Godoy.

64

Sufsumpta
probat. 1.

Secundò.

se formaliter vniatur cum filiatione naturali Verbi, reduplicativè accepta. Minor, in qua potest esse difficultas, probata manet *num. 33.*

Quæ autem adducit Ill. Godoy *num. 126. & 127.* probando secundam, tertiam, & quartam partem suæ conclusionis, omittenda veniunt; quia falsificata prima parte, scilicet, *quod Christus, in quantum homo, per gratiam unionis sit Filius Dei naturalis formaliter*, vt falsificata manet, superfluum reliqua, quia falsum supponit.

§. IV.

Solvitur duplex argumentum, & declarantur corollaria præcedentis doctrina.

Licet Ill. Godoy aliud argumentum contra nostram sententiam non adducat, duplex pro ipso proponam argumentum. Arguitur quartò: ex eo, quod Divina persona Filij vniatur naturæ humanæ Christi, secundum quod *homo*, Filius naturalis debet esse: ergo Christus, *in quantum homo*, est formaliter Filius Dei naturalis. Probatur antecedens: ex eo, quod Verbum vniatur naturæ, datur actio vnitiva Verbi ad naturam à Deo: ergo ex eo, quod Divina persona Filij vniatur naturæ humanæ Christi, secundum quod *homo*, debet esse Filius naturalis. Probatur consequentia: ex eo, quod detur illa actio vnitiva, aliquomodo generatio Christi à Deo datur; sed ex eo, quod detur generatio, Christus erit Filius naturalis, quia illa generatio non est adoptiva; nam hæc est per gratiam: ergo ex eo, quod Divina persona filij vniatur naturæ humanæ Christi, secundum quod *homo*, debet esse Filius naturalis. Probatur maior: ex eo, quod detur actio vnitiva gratiæ creatæ ad voluntatem hominis, datur generatio hominis in esse gratiæ, sive iustificati, & adoptiva: ergo ex eo, quod detur actio vnitiva, aliquomodo generatio Christi à Deo datur.

Respondeo primò negando antecedens; ad cuius probationem, nego consequentiam, & ad huius probationem, nego maiorem, ad probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est: nam ipsa actio vnitiva, vel infusiva gratiæ, est generatio adoptiva, per quam ho-

mo spiritualiter regeneratur, vt omnes fatentur, & dictum manet *disp. 52.* Ast actio vnitiva naturæ supponit naturæ generationem, & consequenter nequit esse generatio. Respondeo secundò omittendo maiorem, & distinguendo minorem: ex eo, quod detur generatio naturalis, Christus erit Filius naturalis, concedo minorem; ex eo, quod detur generatio per analogiam ad generationem naturalem, nego minorem, vel ipsam subdistinguo: Christus erit Filius naturalis per analogiam ad filiationem naturalem, omitto minorem; proprie, & rigurose, nego minorem, & consequentiam. Solutio claret ex dictis à *num. 7. vsque ad num. 21.* Imò nec argumentum aliud probat; nam, ex eo, quod actio vnitiva sit aliquomodo generatio Christi, solum valet inferri, quod Christus sit aliquomodo Filius naturalis, ad cuius veritatem sufficit, quod improprie dicatur talis, quod non est ad rem.

Arguitur quintò: substantia Verbi Divini, & personalitas formaliter prædicantur de Christo, *vt homine*; nam Christus, *vt homo*, formaliter est subsistens, & persona: ergo, & filiatio etiam formaliter prædicari debet. Probatur consequentia: substantia, & personalitas Verbi sunt prædicata notionalia; sed etiam filiatio est prædicatum notionale: ergo etiam filiatio prædicari debet de Christo, *vt homine*. Vel inquiri, quare cum filiatio sit prædicatum notionale, sicut substantia, & personalitas; filiatio non erit prædicatum capax prædicationis formalis in Christo, *vt homine*; bene verò substantia, & personalitas? Vel inquiri: quare filiatio non communicatur Christo formaliter; bene verò substantia, & personalitas, cum omnes sint notionales?

Respondeo concessio antecedenti, nego consequentiam, ad cuius probationem concessis præmissis, nego consequentiam; quia licet substantia, personalitas, & filiatio sint prædicata notionalia, solum vniuntur formaliter humanitati ea, quæ ab humanitate petuntur. Cum ergo ab humanitate solum petantur substantia, & personalitas, suplenes vice substantiæ, & personalitatis creatæ; non verò filiatio naturalis, ideo Christus, *vt homo*, est formaliter subsistens,

65

66

Arguit. 4.

67

Respond. 1.

Secundò.

68
Arguit. 5.69
Respondeo.

& persona; non autem filius naturalis, per quod manet ad quaesita responsio. Solutio claret ex dictis num. 22. & num. 30. cum seqq. & à num. 55. usquè ad 65. ubi etiam manet argumentum retorsum ex ratione Verbi, & Imaginis, quæ etiam sunt prædicata notionalia, & non vniuntur formalitèr cum Christo, *vt homine*, licèt substantia, & personalitas formalitèr cum illo vniatur.

70

Si Spiritus S. humanitatem assumeret, esset Filius Dei adoptivus.

Ex dictis in discurfu huius, & præcedentis disputationis colligo primo: quod si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, Spiritus Sanctus, *in quantum homo*, esset Filius Dei adoptivus. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 166. & probatur: adoptio est gratuita assumpto personæ extraneæ ad hæreditatem; sed hoc conveniret Spiritui Sancto, *in quantum homini*, data hypothesi: ergo Spiritus Sanctus, *in quantum homo*, esset tunc Filius Dei adoptivus. Maior cum consequentia tenet. Minor verò probatur eo modo, quo illam de Christo, *vt homine*, probavimus *disp. præced. §. 4.* Imò rationes, quibus §. 2. & 3. *disp. citat.* Id de Christo, *vt homine*, probatum manet, sunt etiam pro Spiritu Sancto, *vt homine*, probativæ.

71

Si Spiritus S. humanitatem assumeret, nullo modo esset Filius naturalis Dei.

Colligitur 2. quod si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, nullo modo esset Filius naturalis Dei. In hoc corollario convenit Ill. God. *n. cit.* Diversa tamè ratione à nobis probatur: in tali casu Spiritus Sanctus, nec *in quantum homo*, nec *in quantum suppositum*, esset Filius Dei naturalis: ergo nullo modo. Prima pars antecedentis constat: nam si Christus, *in quantum homo*, non esset Filius Dei naturalis formalitèr, *vt constat ex tota hac disputatione*, multo minùs Spiritus Sanctus, *in quantum homo*. Secunda pars ostenditur: ideò Christus, *in quantum suppositum*, est Filius Dei naturalis formalitèr, quia est à Deo naturalitèr productus, seu per generationem procedens; sed Spiritus Sanctus in data hypothesi, adhuc *in quantum suppositum*, non esset à Deo naturalitèr productus, seu per generationem procedens: ergo nec *in quantum suppositum* esset Filius Dei naturalis.

72

Oppones.

Oppones: iuxta nostram doctrinam Christus, *in quantum homo*, non est Filius Dei naturalis formalitèr; sed iuxta nostram etiam doctrinam Spi-

ritus Sanctus, *in quantum homo*, data hypothesi, non esse formalitèr Filius Dei naturalis: ergo Christus, *in quantum homo*, nihil plus, quam Spiritus Sanctus, *in quantum homo*, haberet respectu filiationis naturalis Dei. Respondeo negando consequentiã; quia Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei naturalis materialitèr, vel identicè; eo, quod concerneret suppositum, quod est Filius Dei; quod non haberet Spiritus Sanctus, *in quantum homo*. Undè disparitas est: quod Christus, *in quantum homo*, licèt non sit formalitèr Filius Dei naturalis; est tamen naturalis filius materialitèr; aut Spiritus Sanctus, *in quantum homo*, nec materialitèr esset talis filius.

Colligo tertio: quod Spiritus Sanctus, *in quantum homo*, data hypothesi, esset Filius Dei, filiatione fundata in creatione humanitatis. Hoc corollarium habet Ill. Godoy num. *citat.* & probatur: Spiritus Sanctus in illo casu non esset Filius Dei naturalis, seu non esset per se, & perfectè filius: ergo esset Filius Dei, filiatione fundata in creatione humanitatis. Confirmatur: creatura rationalis ex vi creationis est similis Deo imperfectè, & filia iure creationis; sed Spiritus Sanctus, *in quantum homo*, data hypothesi, esset creatura rationalis: ergo esset similis Deo imperfectè, & filius iure creationis: ergo esset Filius Dei, filiatione fundata in creatione humanitatis.

Et ex hoc colligo quartò contra Ill. Godoy num. 168. quod Christus, *in quantum homo*, est Filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis. Probatur corollarium per oppositum ad probationem Ill. Godoy: ideò Christus, *vt homo*, non esset Filius Dei ratione creationis, quia est per se, & perfectè filius, scilicèt, Filius Dei naturalis; sed Christus, *vt homo*, non est per se, & perfectè filius, nempe, Filius Dei naturalis, *vt probatum reliquimus in hac disputatione*: ergo Christus, *vt homo*, est Filius Dei, filiatione fundata in creatione humanitatis. Roboratur etiam confirmatione num. *anteced.* posita.

Deniquè ex dictis infertur: filiationem, qua Christus, *vt homo*, est Filius Beatissimæ Virginis, esse realem. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy num. 173. & probatur, rationem illius impugnando: ideò iuxta ipsum,

Respondeo.

73

Spiritus S. in data hypothesi esset Filius Dei, filiatione fundata in creatione humanitatis.

74

Christus in quantum homo, est Filius Dei filiatione fundata in creatione humanitatis.

75

Relatio filiationis Christi ad B. Virginem est realis.

filatio, qua Christus, *vt homo*, est Filius Beatissimæ Virginis, esset ratio rationis, quia filatio immediatè comparatur, non ad naturam, sed ad suppositum, vt subiectum immediatum denominationis, & inhæssionis, quod suppositum in Christo, vtpotè, increatum, capax susceptivum accidentis realis non est; atqui falsum est, quod filatio, non ad naturam, sed ad suppositum immediatè comparatur, vt subiectum immediatum denominationis, & inhæssionis, vt latè contra ipsum probavimus *disput. præced. §. 2. per totum*; ergo filatio, qua Christus, *vt homo*, est Filius Beatissimæ Virginis, est realis.

Ill. Godoy num. 171. infert ex ab ipso dictis: Christum, *vt hominem*, non esse filium naturalem sui, vel Spiritus Sancti, sed solius Patris æterni. Nos autem, iuxta à nobis dicta inferimus: falsum esse suppositum Ill. Godoy; quia supponit, quod Christus, *in quantum homo*, sit formalitè Filius naturalis Dei, quod esse falsum manet ostensum. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 3. *dist. 4. §. 3.* ad illa verba: *Cum filius nullo modo sit Spiritus Sancti.* Et *dist. 10.*

§. 4. ad illa verba: *Si verò*

queritur.

) (S) (

76
Quodam
suppositum
falsum cor-
rollarij Ill.
Godoy.

TRACTATUS QUARTUS DECIMUS.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA QUINTA.

An Christus, *vt homo*, prædestinatus sit, esse Filius naturalis Dei?

§. I.

Resolvitur difficultas.

Num. 1
*Multiplex
prædestina-
tionis ac-
ceptio.*

SVppositis, quæ de prædestinatione in communi diximus *tom. 2. in I. Sent. disp. 59. §. 1.* vt ad difficultatis punctum veniamus, breviter est advertendum, prædestinationem posse dupliciter accipi. Primò: pro ordinatione æterna rei in tempore exequendæ, sive ad ordinem naturæ, sive ad ordinem gratiæ pertineat, qua ratione, omne, quod in tempore fit, sicut est de fide, esse à Deo ab æterno ordinatum, ita extra controversiam est, esse ab æterno prædestinatum à Deo. Secundò: pro ordinatione æterna rei in tempore exequendæ, non ad ordinem naturæ, sed ad ordinem gratiæ expectantis, & sic non omne, quod in tempore fit, est à Deo prædestinatum, sed

solum illa, quæ ordinem naturæ excedunt, & ordinem gratiæ attingunt, in illoque continentur.

Secundò est advertendum: prædestinationem sic sumptam, adhuc dupliciter accipi. Primò: pro ordinatione rei, quoad eius constitutionem, quæ vocari solet prædestinatio absoluta, & an sit propriè prædestinatio, ex dicendis in discursu disputationis constabit. Secundò: pro ordinatione rei iam constitutæ ad aliquem finem, vel terminum, quo dici solet prædestinatio respectiva, & in omnium sententia est prædestinatio propriè.

Tertiò supponendum est: ad prædestinationem, hoc ultimo modo acceptam, requiri primò, quod obiectum, vel subiectum, quod prædesti-

2
Prædestina-
tio alia ab-
soluta, alia
respectiva.

3
Quatuor
conditiones

proprie præ-
destinatio-
nis.

nari dicitur, sit prædestinante infe-
rior, illique subordinatum, Secundo:
quod aliqua ratione à termino distin-
guatur. Tertio: quod terminum ali-
qua ratione præcedat. Quarto: quod
terminum, ad quem dirigitur, non
includat; ac denique: quod terminus
ex gratia illi competat, quæ condi-
tiones qualiter sint accipiendæ, ex
dicendis apparebit.

4

De fide est,
Christum
fuisse ali-
qua ratio-
ne prædes-
tinatum.

His suppositis, omnes Theologi
conveniunt in eo, quod Christus ali-
qua ratione fuerit prædestinatus,
quod esse de fide, constat primò: ex
D. Paulo 1. ad Corinth. 2. vbi loquens
de Christo, ait: *Loquimur Dei Sapientiam, quam prædestinavit Deus ante sa-
cula in gloriam nostram.* Secundo: ex
Concilio Toletano 11. vbi dicitur:
Prædestinatus esse, credendus est. Tertio
ex D. Augustino, qui hoc modo lo-
quitur *tract. 105. in Ioann.* Constatq;
ratione: nam omne, quod in tempo-
re fit, est à Deo præordinatum ab-
æterno; cum ordinatio Divina ne-
queat in tempore incipere iure im-
mutabilitatis; sed in tempore per gra-
tiam vnionis est factum, quod, & Deus
esset homo, & homo esset Deus, ac Fi-
lius Dei naturalis: ergo est à Deo ab-
æterno ordinatum; sed Divina præor-
dinatio eorum, quæ in tempore fiunt
per gratiam, dicitur prædestinatio: er-
go Christus, qui simul est Deus, & ho-
mo, Dei que filius naturalis, est aliqua
ratione à Deo prædestinatus.

5

Ratio dubi-
tandi pro-
ponitur.

Quod ergo in examen in præsen-
ti vocamus, est: An Christus, quatenus
homo, aut hic homo, sit proprie præ-
destinatus ad esse Filium Dei natura-
lem? Ratio dubitandi, ad quam aliæ
reducuntur, eaque satis efficax, & dif-
ficilis, est; nam prædestinatio subiec-
ti ad aliquem terminum, petit, quod
terminus, ad quem ex vi prædestina-
tionis ordinatur, non contineatur in-
trinsecè in subiecto prædestinato; sed
Filiatio Dei naturalis intrinsecè con-
tinetur in Christo, quatenus homine:
ergo Christus, quatenus homo, non
potest proprie esse prædestinatus ad
Filiationem Dei naturalem. Maior
constat: nam subiectum ex vi prædes-
tinationis ordinatum ad terminum,
debet esse termino prius, illique ex
gratia convenit terminus, ad quem
ordinatur, & ad ipsum pervenit ex vi
prædestinationis; sed si includat in se
terminum, nequit terminum præce-

dere, nec illum ex vi prædestinatio-
nis habere, cum supponatur iam ha-
bitus, nec terminus potest tali subiec-
to per gratiam convenire; cum ad
eius constitutionem pertineat: ergo
ad rationem prædestinationis exigi-
tur, quod terminus illius in subiecto
non includatur. Minor autem sic of-
tenditur: Christus, vt homo, est com-
positus ex subsistentia Verbi, & hu-
manitate; sed subsistentia Verbi est
filiatio: ergo est compositus ex natu-
ra humana, & filiatione Divina; &
consequenter includit Filiationem
Dei naturalem.

Hac ratione non obstante. Con-
clusio est affirmativa, nempe, *Christus, in quantum homo, est prædestinatus Filius Dei naturalis*, est vera, & propria
propositio; consequenterque Chris-
tus, *in quantum homo*, fuit proprie præ-
destinatus esse Filium Dei naturalem.
Sic Scotus in 3. dist. 7. quest. 3. §. 5. & 7.
Respondeo: cum prædestinatio. Nec obest
cit. §. Ad argum. 7. 3. modo, vbi vide-
tur asserere, quod licet prædicta pro-
positio sit vera; non tamen est pro-
pria, quia adhuc Scotistæ hoc sentien-
tes fatentur, Scorum esse problema-
ticum, vt ait Delgadillo *de Incarna-
tione cap. 17. dub. 4. num. 10. Imò num. 11.*
respondendo ad quodam argu-
mentum ex Scoto deductum, hæc
habet: Respondetur cum Fabro *disp. 19. num. 17.* quod Scotus in hac re est
problematicus. Ad quod Fabro ex-
pendit, quod ibi *quest. 3. §. Ad argum. 7. 3. modo*, vbi nostram conclusionem
defendit, posuit Scotus *ly fortè*, per
quod denotat, se relinquere locum
defendendi oppositum.

Hanc conclusionem statuit Ill. Go-
doy *num. 8.* cum omnibus, quos citat
num. 7. eamque optimè probat. Pri-
mò: testimonio Pauli ad Romanos
cap. 1. vbi loquens de Christo, ait: *Qui factus est ei ex semine David secundū car-
nem, qui prædestinatus est Filius Dei in
virtute.* Secundo probat *n. 23.* ex Aug.
*in Enchiridione cap. 4. & lib. de prædes-
tinat. Sanctorum cap. 15.* illis verbis: *Ea gratia fit ab initio fidei sua homo qui-
cumque Christianus, qua gratia homo ille
initio suo factus est Christus:* ergo fen-
tit August. convenire ex Dei gratia
huic homini, esse Christum, & con-
sequenter ex vi prædestinationis. Et
paulo inferius Pauli testimonio relato,
sic infert: *Prædestinatus est ergo Iesus,*

6

Conclusio.

Scotus.

7

Ill. Godoy.
Probat. 1.
conclusionē.

Secundò.

vt qui futurus erat secundum carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei. Sentit ergo Augustinus, Iesum, vt Filium David, quod idem est, ac Christum, vt hominem, fuisse prædestinatum, vt esset Filius naturalis Dei; & consequenter Christum, vt hominem, ex vi prædestinationis propriæ obtinuisse filiationem Dei naturalem.

8
Prob. ratio-
ne conclusio
1.

Ratione etiam probatur primò conclusio: ad id, quod Christo, vt homini, convenit in tempore ex gratia, prædestinatus est ab æterno; sed Christo, vt homini, convenit per gratiam vnionis, esse in tempore Filium naturalem Dei: ergo Christus, vt homo, vel vt subsistens in humana natura, prædestinatus est ab æterno, vt esset Filius Dei naturalis. Consequentio tenet ex forma. Maior constat: nam iuxta Augustinum, & communem Theologorum sententiam, prædestinatio, est *preparatio gratia*; sed gratia Christo, vt homini, communicata in tempore, est illi preparata à Deo: ergo ad id, quod Christo, vt homini, convenit in tempore ex gratia, prædestinatus est ab æterno. Minor autem probatur: nam licet personæ Christi, vt in Divina natura subsistenti, & secundum naturam Divinam, sit naturale, esse Filium naturalem Dei, non tamen est ei naturale, secundum naturam humanam, vel vt in humanitate subsistenti: ergo esse Filium Dei naturalem, vt in humanitate subsistentem, convenit Christo, vt homini, per gratiam, & consequenter, vt homo, est propriè prædestinatus, esse Filium naturalem Dei.

9
Prob. ratio-
ne 2.

Probatur secundò conclusio: hæc propositio: *Christus prædestinatus est, ad esse Filium Dei naturalis*, sine addito *in quantum homo*, est vera, & propria: ergo hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est prædestinatus Filius Dei naturalis*, est vera, & propria propositio. Antecedens conceditur ab Ill. Godoy num. 169. à nobisque tenenda, & probanda est §. 3. Sed quia aliqui Scotistæ negant antecedens, data pronunc illius falsitate. Probatur tertio conclusio: *Christus est prædestinatus ad esse Filium naturalem Dei*, est propositio vera, non tamen propria: ergo hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est prædestinatus ad esse Filium naturalem Dei*, est non solum vera, sed etiam propria. Antecedens patet: nam ideo

Prob. 3.

verum est antecedens iuxta aliquos Scotistas, quia iuxta ipsos Christus absolute sumptus includit Filiationem Dei naturalem intrinsecè, & necessario, & consequenter nequit esse subiectum prædestinationis, propriè dictæ ad naturalem Dei filiationem; cum ex dictis num. 3. & ab omnibus concessis, subiectum prædestinationis propriè acceptæ, debet non includere intrinsecè, & necessario terminum, ad quem prædestinatur. Consequentia probatur: ideo hæc propositio: *Christus est prædestinatus ad esse Filium Dei naturalem*, est vera, & non propria, quia licet in aliquo sensu sit vera, scilicet, intellecta secundum humanitatem; propriè tamen vera non est, quia absolute intellecta, subiectum includit intrinsecè, & necessario terminum prædestinationis; atqui in hac propositione: *Christus, in quantum homo, est prædestinatus ad esse Filium Dei naturalis*, subiectum non includit terminum prædestinationis: ergo hæc propositio: *Christus, in quantum homo, est prædestinatus ad esse Filium naturalem Dei*, est non solum vera, sed etiam propria.

Quartò probatur conclusio: hæc propositio: *Christus, in quantum Verbum, prædestinatus est, ad esse Filium Dei naturalis*; est propriè falsa: ergo hæc propositio: *Christus, in quantum homo, prædestinatus est, ad esse Filium Dei naturalis*, est propriè vera. Antecedens est certum, quia *Christus, in quantum Verbum, prædestinatus est, ad esse Filium Dei naturalis*, idem est, ac dicere: *Filius Dei naturalis prædestinatus est ad esse Filium naturalem Dei*, quæ propositio falsa propriè est, vt etiam fateretur Ill. Godoy num. 174. Consequentia autem hoc modo probatur: ideo prima propositio est propriè falsa, quia facta reduplicatione supra *Verbum*, subiectum prædestinationis includit intrinsecè, & necessario terminum illius; atqui in secunda propositione, facta reduplicatione supra *hominem*, subiectum prædestinationis non includit intrinsecè, & necessario terminum illius: ergo secunda propositio, quæ est hæc: *Christus, in quantum homo, prædestinatus est, ad esse Filium Dei naturalis*, est propriè vera.

Probatur deniquè conclusio: hæc propositio: *Christus, in quantum homo, prædestinatus est, ad esse Filium Dei na-*

10
Prob. 4.

11
Probatur
deniquè

turalis, habet omnes condiciones prædestinationis, propriè acceptæ ergo est propriè vera. Consequentia est legitima. Antecedens patet discurrendo per condiciones ad prædestinationem, propriè acceptam, requisitas, quas *num. 3.* declaravimus, & probari valet paritate vtriusque propositionis allatæ, nempe, in qua Christus absolutè proponitur pro subiecto, & in qua proponitur cum reduplicatione supra *Verbum*, seu personam.

12

Scoti sensus, & Scotistarum concordatio.

Et hæc certè differentia concordari valent Scotistæ; quando enim negant, quod hæc propositio: *Christus prædestinatus est, ad esse Filius Dei naturalis*, sit vera propriè, seu in rigore logico, locuntur de Christo absolutè sumpto, in quo sensu (vt dicemus *num. 21.*) optimè dicunt, & hoc est intentum Scoti in *3. dist. 7. quest. 3. præsertim §. ad Argum. 3. modo*, & patet per verba à Doctore tradita in *fine questionis*, vbi ait: *Propriè logicè loquendo (Christus Dominus) neque secundum quod homo, neque secundum quod Deus, prædestinatus est Filius Dei.* Imò hoc duntaxat probat ratio Scotistarum; procedit enim ex eo, quod Christus includit necessariò filiationem naturalem, quod de Christo absolutè sumpto est verum. Huic tamen non opponitur, quod facta reduplicatione supra *naturam humanam*, vt sit in propositione, de qua disputatur, vt constat ex titulo disputationis, quomodo quæritur ab Ill. God. & consequenter ad ipsum ratio dubitandi proponitur, vera sit propriè, & in rigore allata propositio, vt ex præiactis probationibus apparet.

13

Ill. Godoy non bene citat Scotum pro opposita sententiâ.

Vndè nihil obstat, quod Lorca, & ex ipso Ill. Godoy *num. 6.* referat Scotum in *3. dist. 7. quest. 3.* pro opinione asserente: quod hæc propositio: *Christus, in quantum homo, prædestinatus est, ad esse Filium Dei naturalem*, sit vera; non tamen propria. Non (inquam) obest; quia Scotus non loquitur de Christo cum illa reduplicatione in quantum homo, sed de Christo absolute sumpto; vndè posita disputatione cum dicta reduplicatione, non bene citat Scotum, tum: ob differentiam inter propositiones, vnam cum reduplicatione, & aliam sine illa. Tum etiam; quia hanc differentiam nequit negare Ill. Godoy; cum *disp. præced. num. 123.* arguendo contra nos, diffe-

rentiam statuatur inter has propositiones: *in quantum homo, est Filius Dei naturalis; Christus homo est Filius Dei naturalis.*

Hæc à nobis dicta sunt, licet in opinione præsentis disputationis litigium cum Ill. Godoy non habeamus. Primò: vt conformius ad nostra principia resoluta maneat difficultas. Secundo: vt videatur, nos Scoto nullatenus contradicere. Tertio: vt clarior appareat mens Doctoris. Quarto: vt Scotistæ pro vtraque opinione concordentur. Et deniquè: vt manifestum sit, Ill. Godoy non bene Scotum retulisse pro opinione, pro qua illum refert. His itaque declaratis.

Ad rationem dubitandi *num. 5.* propositam respondet Ill. God. *num. 104.* cuius responsione omiſsa, respondeo negando minorem; ad cuius probationem nego maiorem; quia Christus, *vt homo*, reduplicat supra naturam humanam; sicque solum supponit pro natura humana singulari, seu pro hoc homine. Natura autem singularis, seu hic homo, non est compositus ex humanitate, & subsistentia Verbi, sed ex humanitate, & singularitate, consequenterque filiatione Dei naturalis non continetur intrinsicè in Christo, *vt homine*; quare Christus, *in quantum homo*, est subiectum verè; & propriè prædestinatum ad vniõnem substantialem cum Filio Dei, & consequenter ad esse Filium Dei naturalem.

His itaque circa præfatam disputationem statutis, & argumentis, quæ circa nostram opinionem obijci possent, præclusis; omnibus enim occurrit ad rationem dubitandi solutio; nihil in hac disputatione restare videbitur; cæterum aliquid adhuc restat, & certè principalius; nam præ oculis habeo quandam (ni fallor) inconsequentiam Ill. Godoy, quam omittere nullatenus licet. Ipse namque *tom. 2. in 3. part. disp. 20.* asserit: quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem, vel homo factus est Deus*, est falsa in rigore, & proprietate sermonis; in præfenti autem *num. 169.* docet, quod hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, est vera in rigore, & proprietate sermonis, quod est (meo videri) inconsequenter procedere. Pro quo sit.

o) (s) (o)

14

15
Ad rationem dubitandi respondetur.

16

§. II.

Ostenditur quædam inconsequentia
Ill. Godoy.

17
Quædam
inconsequen-
tia Ill. God.

Hæc propositio: *Homo factus est Deus*, est falsa in rigore, & proprietate sermonis iuxta Ill. God. *tom. præced. disp. 20.* ergo hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, debet esse falsa iuxta ipsum, ut consequenter procedat. Atqui eam, ut veram in rigore, & proprietate sermonis defendit in *præsenti num. 169.* ergo inconsequenter procedit. Probatur prima consequentia: idcirco iuxta ipsum *tom. & disp. citat.* hæc propositio: *homo factus est Deus*, est falsa in rigore, & proprietate sermonis, quia homo supponit pro supposito; sed *Christus* supponit pro supposito: ergo hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, debet esse falsa iuxta ipsum, ut consequenter procedat. Minor, in qua vnicè tota stat difficultas, probanda est eisdem rationibus, quibus probat Ill. Godoy, quod homo supponit pro supposito.

18
§. rati-
bus probata
manet mi-
nor tom.
præc. disp.
20.

Ipse itaque *tom. & disp. citat.* quinque rationibus probat: quod homo supponit pro supposito, quas *tom. præced. disp. 20.* ad litteram transcripsimus, ex ipsiusque ad hominem contra ipsum minor probata manet, & inconsequentia illius ostensa. Totum vide *disp. 20. cit. à num. 77. vsquè ad 95.*

§. III.

Quinque corollaria præcedentis
doctrinæ.

19
Propositio:
Christus prædes-
tinatus est
Filius Dei
naturalis,
etiam sine
reduplica-
tione, est
vera.

EX dictis in discursu disputationis colligo primò: veram esse istam propositionem: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, etiam si non addatur particula *in quantum homo*. Sic Scotus in *3. dist. 7. quæst. 3.* Et Ill. Godoy *num. 169.* hacque ratione probatur: quando subiectum propositionis plura includit, potest à prædicato determinari, ut pro vno, & non pro alio supponat; sed subiectum prædictæ propositionis, scilicet, *Christus*, plura includit, nempe, humanitatem, & suppositum, & prædicatum illius, scilicet, *prædestinari, ut si Filius Dei* convenit humanitati: ergo poterit determinare Christum, ut pro humanitate, & non pro supposito supponat; atqui si sic supponat, vera est absolute prædicta propositio: ergo

hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, est vera, etiam si non addatur particula *in quantum homo*. Probatur maior, in qua vnicè est difficultas: *Album*, quod plura includit, scilicet, formam pro formali, & suppositum pro connotato, potest à prædicato determinari, ut in propositione stet, tum, pro forma tantum, ut claret in his: *album est accidens, album est disgregativum visus*; tum, pro supposito tantum, ut claret in hac: *album est calidum*, quarum quælibet est absolute vera: ergo quando subiectum propositionis plura includit, potest à prædicato determinari, ut pro vno, & non pro alio supponat.

Hæc est ratio, quam *tom. præced. disp. 20. num. 64. cum seqq.* probavimus: quod hæc propositio: *Verbum assumpsit hominem, vel homo factus est Deus*, est vera in rigore, & proprietate sermonis. Item: *tom. & disp. citat. §. 10. & 11.* probavimus etiam hac ratione, quod istæ propositiones: *Christus est creatura: Christus incepit esse*, sunt veræ in rigore, & proprietate sermonis. Vnde Authores omnes, qui in opinione circa allatas propositiones nobiscum conveniunt, nequeunt in præsentia à nostra sententia recedere.

Dices: subiectum prædestinationis non debet includere terminum illius, ex à nobis dictis *num. 3.* & paret ex eo, quod nihil prædestinatur ad id, quod est sibi intrinsecum; homo enim non prædestinatur ad esse risibile; atqui Christus necessario includit personalitatem filij: ergo nequit ad illam prædestinari: ergo hæc propositio: *Christus prædestinatus est Filius Dei naturalis*, non addita particula *in quantum homo*, est in rigore falsa. Sic arguunt Scotistæ, in hoc nobis adversarij. Respondeo tamen concessa maiori, distinguendo minorem: Christus absolute sumptus, includit personalitatem filij, concedo minorem; Christus respectu prædicati *prædestinatus*, seu determinatus à prædicato prædestinationis, ut pro humanitate supponat, nego minorem, & consequentiam.

Secundò colligitur: hanc propositionem: *Filius Dei prædestinatus est esse homo*, non esse veram in rigore sermonis. Sic Scotus in *3. dist. 7. q. 3.* & cum eo Scotistæ. Tenet Ill. Godoy *num. 172.* & hac ratione probat: nam

20

21

Dices.

Respondeo.

22

Propositio hæc: Filius Dei prædestinatus est esse ho

mo, non esse veram in rigore sermonis.

Probat. r.

23
Filius Dei prædestinatus non est ad gloriam sibi essentialem. Nec ad beatitudinem creatam humanitatis.

Probat. r.

24
Hæc falsa: Filius Dei prædestinatus est Filius Dei.

Probat. I.

Secundò.

25
Dices.

prædestinatio propriè dicitur ordinationem subiecti ad terminum, illi ex gratia convenientem; sed quamvis Filius Dei ab æterno præordinatus sit esse homo, non tamen convenit illi ex gratia, quod homo sit; tum, quia ex humanitate nullum illi emolumentum accrescit; tum etiam, quia illi non ab extrinseco convenit, sed ex propria virtute: ergo Filius Dei non fuit propriè prædestinatus esse homo.

Tertiò inferitur cum Ill. Godoy numer. 173. concedendum non esse, quod Filius Dei prædestinatus sit ad gloriam sibi essentialem, nec ad beatitudinem creatam humanitatis. Primum patet: nam prædestinatio est actus liber prædestinantis; beatitudo autem essentialis non convenit Filio Dei per actum liberum, sed omninò necessarium: ergo ad beatitudinem sibi essentialem non potest dici prædestinatus. Secundum probatur ex dictis: nam beatitudo humanitatis non est gratia Filio Dei; sed terminus prædestinationis debet esse gratia subiecto, quod prædestinari dicitur: ergo Filius Dei non potest dici prædestinatus propriè ad beatitudinem humanitatis.

Colligitur quartò: non esse concedendam istam propositionem: *Filius Dei prædestinatus est Filius Dei.* Sic cum Scoto in 3. dist. 7. quest. 3. Scotistæ. Sic etiam cum D. Thoma Ill. Godoy numer. 174. & patet primò: nam prædestinatio importat antecessionem ad terminum prædestinationis ex dictis numer. 3: sed filiatio Dei convenit Verbo ab æterno: ergo non potest concedi, quod Filius Dei prædestinatus sit, esse Filius Dei. Patet secundò: nam terminus prædestinationis ex dictis numer. 3. convenit ex gratia subiecto prædestinato, sed filiatio non convenit ex gratia Filio Dei: ergo non potest dici ad illam prædestinatus.

Dices: hæc propositio est vera: *Filius Dei est passus, Crucifixus, mortuus, &c.* ergo etiam hæc vera est: *Filius Dei prædestinatus est Filius Dei.* Probat. consequentia: idèd prima propositio est vera, quia quæ absolutè dicuntur de Christo, possunt absolutè dici de Filio Dei per communicationem Idiomaticam, nisi in aliqua propositione timeatur periculum scandali, nempe, erroris Arrij, aut alterius hæretici; atqui de Christo

absolutè dicitur, quod *prædestinatus sit Filius Dei*, vt diximus numer. 19: ergo etiam vera est hæc: *Filius Dei prædestinatus est Filius Dei.* Respondeo primò distinguendo antecedens: est vera per communicationem Idiomaticam concedo antecedens; est vera formalitèr, eo, quod prædicatum conveniat subiecto per se sumpto, nego antecedens, & distinguo similiter consequens. Ratio est: nam quia istæ sunt formalitèr veræ: *Christus est passus: Christus est prædestinatus*; istæ sunt verè per communicationem Idiomaticam: *Verbum est passum: Verbum est prædestinatum*, & hoc tantum convincit probatio, ex quo nihil contra nostrum corollarium, quia loquimur, non de communicatione Idiomaticam, sed formalitèr modo explicato. Si autem hæ solutio non placet, responde secundò cum Ill. God. numer. 175. & disparitatem assigna cum ipso numer. 177.

Quintò colligitur: humanitatem Christi posse dici propriè prædestinatam ad gloriam, & filiationem Dei naturalè. Sic Scoto in 3. dist. 7. quest. 3. §. Respondeo. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy numer. 178. & quoad utramque partem probatur primò ex Scoto citat. Deus potest diligere omne bonum aliud à se: ergo potest illi præordinare bonum ei conveniens; atqui gloria, & filiatio Dei naturalis sunt bona humanitati Christi convenientia: ergo potuit Deus humanitati præordinare gloriam, & filiationem naturalem. Probat. r. suffumpra: humanitas, seu anima Christi, non verò suppositum, est subiectum immediatum receptivum gloriæ, & filiationis naturalis, vt de hac diximus disp. 53. §. 2. per totum: ergo gloria, & filiatio Dei naturalis sunt bona humanitati Christi convenientia. Probat. r. secundò solvendo argumenta Ill. Godoy.

Obijcit Ill. Godoy numer. 178. contra primam partem corollarij: prædestinari ad gloriam, solum convenit propriè ei, de quo cum proprietate dicitur operari; sed operatio vt quod solum attribuitur propriè supposito, vt communitèr docent Philosophi, ex illo communi axiomate asserente: *Operari tantum est suppositarum*: ergo prædestinari ad gloriam non potest cum proprietate de humanitate enunciari. Contra secundam

Respond. I.

Secundò.

26
Humanitas Christi est propriè prædestinata ad gloriam, & filiationem Dei naturalem.

Probat. I.

Secundò.

27
Obijcit Ill. Godoy contra 1. part.

Obijcit contra 2.

dam

dam sic obijcit : nam id proprie prædestinari dicitur ad filiationem Dei naturalem , de quo filiatio cum proprietate enunciatur ; sed de humanitate non dicitur, quod sit filia: ergo nec quod sit ad filiationem Dei naturalem prædestinata. Respondeo negando minorem vtriusque obijctionis , cuius falsitas latè ostensa manet *disp. 52. §. 2. per totum.*

§. IV.

Resolvitur quoddam dubium.

Quinq̄ corollarijs resolutis, quærit Ill. Godoy *num. 179.* An hæc sit cum proprietate admittenda: *Humanitas Christi prædestinata est ad unionem hypostaticam?* Quæstio est inter Theologos. Affirmant plures, vt Scotus proximè citat. & cū eo Scotistæ. Vltrà quos Vazquez *disp. 90. cap. 4.* Suarez *disp. 50. sect. 4.* alijque Recentiores. Negant plures, vt Medina, Vicentius, Cabrera, & alij Thomistæ, quos refert, & sequitur Nazarius *art. 2. controvers. 1. in 2. controversia parte.* His tamen non obstantibus, Ill. Godoy fatetur, hoc litigium esse de nomine, & duplicem statuit conclusionem. In prima asserit: *Humanitatem non posse dici prædestinatam absolutè prædestinatione hypostatica.* In secunda docet: posse dici humanitatem prædestinatam prædestinatione hypostatica proprie inadæquatè. Sic Ill. Godoy *num. 185. & 186. contra quem.*

Dicendum existimo: *Humanitatẽ posse dici prædestinatam prædestinatione hypostatica proprie adæquatè, absolutè, & simpliciter.* Hæc conclusio probatur primò eadem ratione, qua ex Scoto probavimus *num. 26.* humanitatem Christi posse dici proprie prædestinatam ad gloriam, & filiationem Dei naturalem. Ex qua probatur secundo per oppositum ad rationem Ill. God. id dicitur absolutè prædestinatum, quod ad finem vltimo intentum dirigitur; sed terminus vltimo intentus per Christi prædestinationem, vel est filiatio Dei naturalis, vt ait Ill. God. vel est Beatitudo, vt nos dicemus, ad vtrunqueque fuit ordinata humanitas, vt denominanda ab illis, denominatione sibi convenienti: ergo potest dici absolutè prædestinata prædestinatione hypostatica. Minor, in qua est difficultas, probata manet *num. 26.*

Probatur tertio: humanitas fuit verè, & realitèr, proprie absolutè unita Verbo: ergo fuit à Deo ad hanc unionem præordinata absolutè. Quarto: nam humanitati respectu unionis hypostaticæ conveniunt omnes conditiones ad prædestinationem proprie absolutè sumptam requisitæ, vt patebit, illas *num. 3.* legenti. Quinto: quia hoc docuit D. Augustinus *de prædestinat. Sanct. cap. 15.* his verbis: *Prædestinata est ipsa natura humane tanta subiectio, vt quo atolleretur, alius non haberet.* Sexto constabit ex solutione argumentorum Ill. Godoy.

Arguit primò Ill. Godoy *num. 185.* nam id dicitur absolutè prædestinatum, quod non solum ad media, sed etiam ad finem vltimo intentum dirigitur, vt denominandum ab illo; vnde homo ordinatus ad gratiam, & non ad gloriam, non dicitur absolutè prædestinatus, sed cum addito, scilicet, *prædestinatus ad gratiam;* sed terminus vltimo intentus per Christi prædestinationem, est filiatio naturalis Dei, ad quam non fuit ordinata humanitas, vt denominanda ab illa: ergo non potest dici absolutè prædestinata prædestinatione hypostatica.

Respondeo primò: prætermisâ maiori, negando minorem; quia terminus vltimo intentus per Christi prædestinationem est gloria, vt dicemus in resolutione dubij sequentis. Imò, quando terminus vltimo intentus per Christi prædestinationem esset filiatio naturalis Dei, vt intendit Ill. Godoy, adhuc diceretur prædestinata absolutè prædestinatione hypostatica, quia ad ipsam fuit ordinata, vt denominanda ab illa iuxta à nobis dicta *disp. 53. §. 2.*

Arguit secundo *num. 186. ex D. Thoma in 3. dist. 10. quæst. 3. art. unico, quæstiunc. 1.* vbi distinguens inter prædestinationem ad gratiam, Deo nos coniungentem per operationem; & prædestinationem ad gratiam, Deo substantialitèr coniungentem, docet: primam prædestinationem de natura non dici; vnde humanitas non dicitur ad gloriam prædestinata, quia operari non convenit naturæ, sed supposito: prædestinationem verò ad gratiam unionis esse, & dici de natura, quia hæc Deo vnitur substantialitèr; at discrimen hoc non subsistit, nisi prædestinatio ad gratiam unionis

Respondeo.

28

An ista sit cū proprietate admittenda: humanitas Christi prædestinata est ad unionem hypostaticam?

29

Conclusio nostra.

Probat. 1.

Secundo.

30

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

31

Arguit 1. Ill. Godoy.

32

Respond. 1.

Secundo.

33

Arguit. 2.

Respondeo.

proprie de natura dicatur; cum improprie etiam prædestinatio ad visionem de natura prædicetur: ergo sentit D. Thom. prædestinationem Christi dici proprie de natura; cumque non adæquatè, nec absolutè, & simpliciter, asserendum est, dici prædestinationem Christi de illius humanitate proprie, inadæquatè tamen. Hoc argumentum aliqua falsa includit; primò enim falsa est maior, vt toties dictum est. Secundò: hac omissa, & minori cum consequentia concessa; falsa est suffumpta, scilicèt, *cumque non adæquatè, nec absolutè, & simpliciter*, vt diximus per sex nostras probationes, sicque manet argumentum solutum, & falsitas doctrinæ Ill. Godoy apparebit duplici retorsione sequenti.

34
Retorq. 1.
argum. ad
hom.

Retorqueo primò argumentum ad hominem contra Ill. Godoy: Christus dicitur absolutè prædestinatus prædestinatione hypostatica: ergo humanitas Christi dicitur absolutè prædestinata prædestinatione hypostatica. Antecedens est doctrina Ill. Godoy, & hoc syllogismo demonstratur: id dicitur absolutè prædestinatum, quod ad finem vltimò intentum dirigitur, vt habet ipse in argumento; sed terminus vltimò intentus per Christi prædestinationem est filiatio naturalis Dei, vt ibidem faterur, ad ipsamque fuit ordinatus Christus, vt denominandus ab illa, vt asserit num. 199: ergo Christus dicitur absolutè prædestinatus prædestinatione hypostatica, quod est suprapositum antecedens.

35
Prob. consequentia.

Consequentia probatur: humanitas Christi est forma denominans Christum prædestinatum prædestinatione hypostatica: ergo humanitas Christi dicitur absolutè prædestinata prædestinatione hypostatica. Antecedens claret: nam Christus, *in quantum homo*, dicitur prædestinatus, vt ex dictis cum Ill. Godoy apparet, & faterur num. 169. Consequentia verò probatur: Christus dicitur absolutè prædestinatus prædestinatione hypostatica; sed humanitas Christi est forma denominans Christum prædestinatum prædestinatione hypostatica: ergo humanitas Christi dicitur absolutè prædestinata prædestinatione hypostatica. Præmissæ sunt concessæ. Consequentia inferitur, quia forma nequit tribuere denominationem, quam in se non habet.

Retorqueo secundò, præcludendo solutionem, quam potest tribuere Ill. Godoy ex ab ipso dictis num. 187: humanitas Christi dicitur proprie prædestinata prædestinatione hypostatica: ergo dicitur absolutè prædestinata. Antecedens concedit Ill. Godoy cum D. Thoma. Consequentia probatur: forma proprie conueniens subiecto secundum partem tantum, ipsum absolutè denominat; vt constat in homine habente chrispitudinè, cui proprie conuenit chrispitudine tantum secundum caput, & tamen ipsum denominat chrispum absolutè, & simpliciter; atqui prædestinatio conuenit Christo secundum partem tantum, nempe, secundum humanitatè: ergo si humanitas Christi dicitur proprie prædestinata prædestinatione hypostatica, dicitur absolutè prædestinata.

Hæc ratio formata est per oppositum ad rationem, & exemplum, quod adducit Ill. Godoy citat. Ratio enim, vt ex eo, quod humanitas Christi dicitur proprie prædestinata prædestinatione hypostatica, non colligatur, debere dici absolutè prædestinatam, est: nam stat formam proprie conuenire, & tamen non denominare absolutè, vt constat in homine habente vnam solam partem albam, cui proprie conuenit albedo, & tamen non denominat ipsum album absolutè, & simpliciter, sed solum secundum quid, & cum addito. Hæc itaque est doctrina Ill. Godoy, contra quam formata est retorsio, pro cuius veritate declaranda.

Advertendum est: aliqua esse prædicata, quæ conueniunt subiecto secundum partem, licèt nata sint illi secundum totum, & secundum partem conuenire; v.g. Albedo conuenit Ethiopi secundum partem, scilicèt, secundum dentes, licèt nata sit conuenire, non solum dentibus, sed etiam alijs partibus corporis. Alia sunt prædicata, quæ conueniunt subiecto secundum partem tantum, & solum secundum partem nata sunt illi conuenire; v.g. Chrispitudine conuenit Petro secundum partem tantum, scilicèt secundum caput, & solum secundum caput natum est ei conuenire.

Quando enim prædicatum natum est conuenire subiecto secundum totum, & secundum partem, non de-

36
Retorq. 2

37
Quædam
Ill. Godoy.
doctrina.

38
NOTA.

39

terminat subiectum absolute, nec sic de eo prædicatur, si inest subiecto tantum secundum partem, ut constat in exemplo de Ethiope albo secundum dentes. Et ratio est: quia albedo nata est convenite, non solum dentibus, sed etiam alijs partibus corporis. At quando prædicatum natum est convenire subiecto secundum partem tantum, tunc prædicari potest de eo simpliciter, & absolute, ut patet in hac propositione: *Petrus est Chrispus*, quæ simpliciter, & absolute est vera, etiam si Chrispus sit tantum secundum caput. Et ratio est: quia hoc prædicatum *Chrispus*, natum est convenire subiecto secundum caput tantum, quæ doctrina est Scoti in 3. dist. 11. q. 1. ad 1.

Sic similiter in præsentis; nam prædestinatio non est prædicatum natum convenire Christo, tam secundum totum, quam secundum partem, quia non potest immediate competere toti Christo, ut est subsistens in utraque natura; sed tantum secundum partem, scilicet, humanitatem; unde potest simpliciter, & absolute dici de Christo, sicut Chrispum dicitur de Petro; imò potiori ratione, quia humanitas non est minima pars, Christum constituens, sicut est capillus respectu Petri. Unde duo liquent. Primò: quod exemplum Ill. Godoy non est ad rem. Secundò: exemplum de Chrispitudine esse ad propositum; ideòque sicut Chrispitudine est forma denominans absolute Chrispum; ita prædestinatio humanitatis Christi est forma, vel quasi forma, denominans naturam humanam in concreto, seu hunc hominem primò absolute prædestinatum ut quod, & ultimò suppositum; alioquin Christus, in quantum homo, non diceretur absolute prædestinatus, quod est falsum, & ex hac doctrina Ill. God. videtur inferri, quod expressè contrariatur doctrinæ ab ipso traditæ n. 169.

41 Retorq. 3. Retorqueo tertio, & dicta in hoc dubio declarantur, & confirmantur: hæc propositio: *Christus est prædestinatus, prædestinatione hypostatica*, est absolute vera; sed veritas huius propositionis convenit Christo ratione naturæ humanæ: ergo hæc propositio: *Natura humana Christi est prædestinata prædestinatione hypostatica*, est absolute vera. Præmissæ sunt veræ, ipsasque fatetur Ill. Godoy per ab ipso dicta num. 169. Consequentia probatur: Istæ pro-

positiones: *Christus incipit esse: Christus est creatura*, sunt absolute veræ apud plures Theologos; atqui quia veritas illarum propositionum convenit Christo ratione naturæ humanæ, hæc propositiones: *Natura humana incipit esse: Natura humana est creatura*, sunt absolute veræ: ergo quia hæc propositio: *Christus est prædestinatus prædestinatione hypostatica*, est absolute vera; & veritas huius propositionis convenit Christo ratione naturæ humanæ; hæc propositio: *Natura humana Christi est prædestinata prædestinatione hypostatica*, est absolute vera.

§. V.

Resolvitur aliud dubium.

EX eisdem etiam (ait Ill. Godoy num. 192.) consequitur resolutio alterius dubij, an, scilicet, Christus, ut homo, possit dici prædestinatus ad gloriam, & cætera dona, quæ conferuntur unionem? Qua in re Ill. Godoy num. 193. asserit: essentialem animæ beatitudinem non fuisse finem principaliter intentum per Christi prædestinationem, & consequenter asserit num. 195: Christum, ut hominem, non dici prædestinatum simpliciter, & absolute, ex ordine ad beatitudinem, quam (ait) esse sententiam communem Thomistarum.

Secunda sententia docet: Beatitudinem fuisse finem principaliter intentum per Christi prædestinationem, quod idem est, ac dicere: finem, seu terminum primarium, & principalem prædestinationis Christi esse gloriam; non verò naturalem Dei filiationem, seu esse Filium Dei naturalem per gratiam unionis; quod etiã idem est, ac dicere: humanitatem Christi fuisse prius prædestinatam ad gloriam, quã ad unionem hypostaticã; consequenterque docet: Christum, ut hominem, dici prædestinatum simpliciter, & absolute ex ordine ad beatitudinem.

Hæc est nostra, & Scoti sententia, licet varijs in locis varia doceat circa perfectionem unionis hypostaticæ in ratione doni (in ratione enim unionis non esse maximam, docuit in 3. dist. 6. quæst. 1. §. Ad argumenta, quod nos cum ipso probavimus tom. I. in 3. Sent. disp. 11. num. 131.) Scotus namque in 3. dist. 2. quæst. 1. §. Ad argumenta, docet: inter unionem hypostaticã, & unionem beatificam, proprie loquendo, non esse comparisonem, ait

42

An Christus
ut homo,
possit dici
prædestina-
tus ad glo-
riam.

1. Sententia.
Ill. Godoy.

2. Sententia.

Scotus.

43

enim, & *Vel magis: Propriè loquendo potest dici, quod neutra est maior alia, quia sunt alterius rationis. In 4. autem dist. 49. quest. 2. §. Ad istam, & Istarum, aperte fatetur: vnionem hypostaticam esse maius donum, quam beatitudinem, quod cum ipso docuimus tom. 1. in 3. Sent. disp. 11. num. 133. Denique: in Report. in 3. dist. 2. quest. 2. §. In ista questione, & Ad aliud, videtur asserere: beatitudinem esse maius donum, quam vnionem hypostaticam. Hæc sunt verba Doctoris: Dico, quod minus est, quod aliquis habeat gratiam quantum ad actum primum, quam vnionem ad Verbum: tamen simpliciter maius est habere gratiam cum operatione, quam habere personam Diuinam tantum. Mallem enim, si daretur mihi optio, habere gratiam Beatæ Virginis, & fruitionem, quam esse subsistens in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto sine frui, hoc est, nisi haberem operationem, vt visionem, & fruitionem.*

44

Quidquid autem sit de hoc, de quo diximus tom. & disp. citat. vbi num. 135. Scotum exposuimus, & illius loca concordauimus; Scotus in Reportat. citat. nostræ sententiæ fabet expressè, licet excessus beatitudinis respectu vnionis hypostaticæ sit tantum quoad actum secundum, vt ibi exposuimus. Item: in 3. dist. 7. quest. 3. §. & ¶. Respondeo, dicens: Cum prædestinatio sit præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam. Et §. Sed hic sunt, & 2. dubium, dicens: Deus primo voluit aliquam naturam non summam (ecce humanitatem) habere summam gloriam. Idem habet dist. 19. quest. 1. Et dist. 32. Denique: in 2. dist. 20. quest. 2. §. & ¶. Dico, quod soli, & alibi.

45

I. Conclus.

Probat. I.

Prima conclusio: Terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi, est beatitudo; non verò filiatio Dei naturalis. Conclusio est contra Ill. Godoy citat. Et probatur primò: excessus perfectionis in gratia vnionis substantialis respectu beatitudinis non obest, quo minus gratia vnionis ordinetur ad beatitudinem: ergo sic fuit ordinata: ergo terminus primarius prædestinationis Christi est beatitudo. Probatur primò antecedens: excessus perfectionis in Incarnatione respectu peccati non obest, quo minus Incarnatio ordinetur ad remedium peccati: ergo similiter. Secundò: excessus perfectionis in causa respectu effectus in ipsa virtualiter contenti non ob-

est, quo minus causa ordinetur ad effectum, vt quando amatur aliqua causa propter effectum. Tertio: excessus perfectionis in habitu respectu operationis non obest, quo minus habitus ordinetur ad operationem, vt patet in formali nostra beatitudine, de qua Theologi, cum quibus Ill. Godoy 1. 2. disp. 4. num. 3. cum seqq. asserunt, non in habitu, sed in operatione consistere: ergo pariter.

Probatur secundò conclusio: visio beatifica non est medium in ordine ad vnionem substantialem: ergo est finis. Respondet Ill. Godoy num. 200. distinguendo antecedens: non est medium assecutivum concedo antecedens; exornativum, aut perfectivum nego antecedens, & consequentiam; vt enim non intendatur ratio sui, sed in ordine ad vnionem personalem, sufficit assumi, vt medium exornativum illius, vt antè existentis, & præhabitæ, vt constat in proprietatibus, quæ finaliter ab essentia, à qua dimanant, causantur, & ratione illius eliguntur, non quia tendant ad illius existentiam causandam; cum essentia in executione suas proprietates præcedat, sed quia essentiam præexistentem perficiunt. Sic autem in præsentem contingit: nam beatitudo animæ Christi, etsi in executione vnionem substantialem supponat, & consequenter non fuerit assumpta, vt medium assecutivum illius; quia tamen intenta fuit ex vi prædestinationis, vt consequens vnionem personalem, & vt eius ornamentum, non fuit voluta, vt finis, sed electa tanquam medium.

Contra primò: ergo visio beata est medium perfectivum, aut exornativum respectu vnionis substantialis: ergo vnio substantialis est perfectibilis, aut exornabilis à visione beata: ergo visio beata aliquantulum est vnione substantiali perfectior: ergo vnio substantialis ordinatur ad visionem, vt ad finem. Probatur hæc consequentia: aliquis excessus perfectionis in visione respectu vnionis sufficit, vt vnio ordinetur ad operationem, vt ad finem; sed per te visio beata aliquantulum est vnione substantiali perfectior: ergo vnio substantialis ordinatur ad visionem, vt ad finem. Probatur maior primò: aliquis excessus perfectionis in visione beata respectu gratiæ sufficit, vt gratia ordinetur ad operationem,

46

Probat. 2. conclusio.

Respondet Ill. Godoy.

47

Contra I.

vt ad finem: ergo pariter. Antecedens est certum: nam in opinione aliquorum asserentium, gratiam habitualemente entitativè perfectiorem visione, & vnitivè imperfectiorem, quam fateatur Ill. Godoy *numer. 201.* sufficit hic aliqualis excessus visionis respectu gratiæ, vt gratia ordinetur ad operationem, vt ad finem. Consequentia paritate videtur bona.

48
Respondet
Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *numer. 201.* negando vltimam consequentiam, ad cuius probationem negat maiorem, & ad probationem illius concessio antecedenti, negat consequentiam: nam gratia habitualis, etsi *entitativè* superet visionem beatificam, *vnitivè* tamè superatur ab illa, quia per visionem vnimur Deo, vt obiecto, actu, & *intuitivè* cognito; per gratiam autem solū vt radicalitèr viso, & excessus in ratione vnionis sufficit, vt gratia ordinetur ad visionem, non tanquam ad finem *qui* obiectivum, sed tanquam ad finem *quo* assecutivum. Vnio autem hypostatica excedit visionem beatificam, non solum *entitativè*, verum etiā *vnitivè*; vt enim docet D. Thom. *supr. quæst. 4. artic. 2. ad 2.* vnio hypostatica est vnio perfectissima omnium, quibus potest Deo vniri rationalis creatura; & ideò non fuit assumpta, vt medium in ordine ad visionem, vt finem, sed è contra, visio fuit propter illam electa.

49
Impugn. 1.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

50
Contra 2.

Hæc tamen solutio nullam vim in nostra doctrina habet; vnde impugnatur primò: falsum enim est, quod vnio hypostatica sit omnium maxima in ratione vnionis ex dictis *numer. 43.* Secundò: quia ex ibi dictis non est propriè loquendo comparatio inter beatitudinem, & vnionem hypostaticam, quia vna alteram excedit, & exceditur ab illa. Tertiò: quia excessus entitativus, & vnitivus vnionis hypostaticæ respectu beatitudinis non obest, vt beatitudo sit aliqualitèr perfectior vnione hypostatica, vt ex dictis *num. 47.* cogitur Ill. Godoy concedere: ergo nec obest, vt vnio hypostatica ordinetur ad beatitudinem, vt ad finem. Consequentia patet ex dictis in nostra probatione, quæ nullam reddit solutionem Ill. Godoy. Deniquè: nam falsitas solutionis, vel illius inutilitas ex dicendis clarebit, & vt clareat.

Contra secundò aduersus solutionem Ill. Godoy ad nostram probatio-

nem, simulque proxima, & quæcumque alia præcluditur: visio beatifica aliqualitèr est vnione substantiali perfectior; sed hic aliqualis excessus in visione respectu vnionis substantialis sufficit, vt vnio substantialis ordinetur ad visionem, vt ad finem: ergo solutio data, & alia quæcumque, vel falsa, vel inutilis est. Maior est certa. Tùm: quia ex solutione Ill. God. illam deduximus *num. 47.* Tùm etiam; quia visio beata pertinet ad actum secundum; vnio autem substantialis pertinet ad actum primum; & nulli dubium, quod actus secundus sit aliqualitèr saltem perfectior actu primo. Minor, in qua est difficultas, probatur: aliqualis excessus perfectionis in operatione respectu habitus sufficit, vt habitus ordinetur ad operationem, vt ad finem: ergo hic aliqualis excessus in visione respectu vnionis substantialis sufficit, vt vnio substantialis ordinetur ad visionem, vt ad finem. Antecedens patet: alioquin nostra formalis beatitudo in habitu, & non in operatione, consisteret, quod est falsū.

Hanc replicam proposui aliquando cuidam Thomistæ in publicis Thæsisibus, ad quam hæc fuit responsio. Dixit itaque: quod habitus ordinatur ad operationem, quia operatio est simpliciter perfectior habitu; est enim perfectior in esse actualitatis. Contra replicavi sic: quod operatio sit habitu perfectior in esse actualitatis, non infert, operationem esse habitu simpliciter perfectiorem: ergo est tantum secundum quid perfectior. Probatur antecedens primò: quod proprietas quæcumque, vel quilibet modus intrinsecus sit natura substantiali perfectior in esse actualitatis, non infert, proprietatè, vel modū esse simpliciter perfectiorè natura substantiali: ergo quod operatio sit habitu perfectior in esse actualitatis, non infert, operationè esse habitu simpliciter perfectiorè. Probatur 2: nā hac ratione evidenter probatur: visionem esse simpliciter perfectiorem vnione hypostatica; nam eam excedit in esse actualitatis, sicut operatio excedit habitum, quod est contra Thomistas omnes. Paritas autem, quam de essentia, & proprietatibus adducit Ill. Godoy in solutione ad nostram secundam probationem, reiiciemus *infra num. 71.*

Contra tertiò aduersus dictam

51
Respondet
bis.

Contra.

52

Contra 3.

solutionem Ill. Godoy: visio beatifica iuxta solutionem ipsius non est affectiva in ordine ad unionem hypostaticam: ergo non est medium ordinatum ad unionem hypostaticam, tanquam ad finem. Probatur consequentia: medium ordinatum ad aliquid, tanquam ad finem, est affectivum illius; sed visio beatifica iuxta solutionem ipsius non est affectiva in ordine ad unionem hypostaticam: ergo non est medium ordinatum ad unionem hypostaticam, tanquam ad finem. Consequentia est legitima. Minor concessa. Maior autem est generalis apud Philosophos, & Theologos, admittentes mutuam causalitatem inter finem, & medium, qua ablata, omnis Philosophia, & Theologia inverteretur. Urgetur paritate tradita ab Ill. Godoy: quia enim proprietates nullam habent causalitatem respectu essentiae, non sunt media ordinata in ordine ad illam, ut patet, & constabit ex dicendis *num. 71*: ergo ad rationem medij respectu finis aliqua requiritur causalitas affectiva finis: ergo cum hanc non habeat visio beata respectu unionis hypostaticae, non est medium in ordine ad talem unionem: ruit ergo solutio, & simul instantia Ill. Godoy.

Urgetur.

§ 3
Probat. 3.
conclusio.

Probatur tertio conclusio: unio Christi ad Deum, à Deo principaliter intenta in prædestinatione Christi, non est unio quallitercumque perfectior, sed unio perfectior in linea formali unij Christi cum Deo sub ratione ultimi finis, reduplicative, ut Deus finis ultimus est; sed hæc unio est unio Christi cum Deo per visionem, non verò per filiationem naturalem: ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi, est beatitudo; non verò filiatio Dei naturalis. Maior est clara; nam unio Christi ad Deum in beatitudine non est unio qualitercumque perfectior, sed unio perfectior in linea formali affectiva obiecti, ut cum omnibus Theologis tenet Ill. Godoy 1. 2. *disp. 4. num. 2.* contra Henricum; ponentem beatitudinem formalem in unione habituali, quæ est perfectior actuali: ergo similiter.

Probatur
minor.

Minor autem probatur: unio Christi cum Deo per visionem unit Christum cum Deo sub ratione ultimi finis reduplicative, ut Deus ultimus finis est; non verò unio per filia-

tionem naturalem: ergo dicta unio est unio Christi cum Deo per visionem; non verò per filiationem naturalem. Antecedens pro prima parte est certum. Pro secunda constat: nam unio Christi cum Deo per filiationem naturalem, non unit Christum cum Deo, ut ultimo fine; aliqui Christi beatitudo consisteret in unione Verbi ad humanitatem, quod est falsum apud omnes, & fatetur Ill. Godoy *disp. citat. num. 1.* sed ad summum tantum fundamentaliter unit, quatenus dat ius, & fundamentum naturale, ut uniatur per visionem formaliter: ergo unio Christi cum Deo per filiationem naturalem non unit Christum cum Deo sub ratione ultimi finis reduplicative.

Probatur quarto: prædestinatio absolute, & simpliciter per se primo est ad illud, in quo natura prædestinata quietatur, & ultra non appetit; sed si Verbum assumeret naturam humanam sine beatitudine, adhuc illam appeteret, & non quiesceret; cum privaretur suo ultimo fine: ergo natura humana Christi primo, & per se, non ad unionem, sed ad beatitudinem est prædestinata. Consequentia est legitima. Minor certa. Maior autem apparet, & probatur: prædestinatio absolute, & simpliciter est per se primo ad terminum ultimo intentum ex vi prædestinationis; atqui terminus ultimo intentus ex vi prædestinationis est ille, in quo natura prædestinata quietatur, & ultra non appetit: ergo prædestinatio absolute, & simpliciter per se primo est ad illud, in quo natura prædestinata quietatur, & ultra non appetit. Consequentia infertur. Maior est Ill. Godoy *num. 196.* Minor est notoria; alioquin non esset terminus ultimus.

§ 4
Probat. 4.
conclusio.

Probatur quinto: non est congruum, si decens, tantam gloriam, scilicet, summam creatam possibilem, decretam esse dari Christo Domino sine filiatione illa naturali: ergo Christus Dominus prædestinatus est ad esse filium naturalem, tanquam ad medium, per quod de decentia, & de congruo daretur ipsi tanta gloria: ergo filiatio non erit terminus primarius prædestinationis Christi; sed tanta gloria. Probatur prima consequentia: si non esset congruum, & decens determinare, dare gloriam absque

§ 5
Probat. 5.
conclusio.

filiatione naturali Christo, prædestinatus esset Christus ad gloriam per filiationem, tanquam per medium, per quod de congruo, & decentia illi daretur gloria; sicut, quia non est congruum, nec decens, quod detur gloria hominibus, nisi per merita proportionata, nec tanta gloria sine tantis meritis, homines sunt prædestinati ad merita, & tanta merita, ut media, quibus de congruo, & decentè datur gloria, & tanta gloria: ergo si non esset decens, & congruum dari Christo gloria, & tanta gloria summa possibilis sine vnione, & filiatione, Christus Dominus prædestinatus non esset ad esse filium naturalem, tanquam ad medium, per quod de decentia, & de congruo daretur ipsi tanta gloria.

56 Vis huius consequentiæ stat in hoc, quod connaturalitèr non deberetur, tantam gloriam dari, nisi naturæ vnitæ: ergo videtur, Deum velle vnionem, tanquam medium, in ordine ad hoc, ut daretur connaturalitèr tanta gloria; nam id habet rationem mediij respectu tantæ gloriæ, sine quo connaturalitèr congruum non est, dare tantam gloriam, siquidèr ordinatur, ut connaturalitèr detur tanta gloria: ergo prius gloria, quam vnio, est volita: ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi est gloria, seu beatitudo.

Dices: quod etsi non sit congruum, ponere summum calorem, nisi in igne; non tamen debet dici, intendi ignis propter summum calorem: ergo licet non esset congruum, dare tantam gloriam, nisi naturæ vnitæ; non tamen debere propterea natura vnita intendi propter summam gloriam. Nego paritatem: nam ignis nullo mo intenditur propter summum calorem; at vnio intenditur aliquomodo propter summam gloriam; ut enim hæc summa gloria, possibilis communicari ex parte Dei, detur communicata homini, intendit Deus hominè sibi hypostaticè vniri, quod de igne respectu caloris non verificatur. Item: paritas ignis destruit, omnia merita esse media respectu gloriæ, & tantæ gloriæ, nam cum illa potest respondere ad rationem probantem, merita tanta esse media ad tantam gloriam, quia non est congruum, connaturalitèr dare tantam gloriam, nisi tantis meritis.

Probatur sextò: & ut claritate solita procedamus, consideremus vnionem Christi ad Deum per filiationem naturalem ex vna parte, & vnionem Christi ad Deum per visionem, & fruitionem ex alia, & inter has stet quæstio, quæ vnio principalitèr, & primò intenditur à Deo in prædestinatione Christi, & opere Incarnationis? Si vnionem humanitatis ad Deum per filiationem, filiatio erit terminus primarius; si vnionem per visionem, visio erit talis terminus. Quo ita considerato.

Sic probationem formo: Christus Dominus per filiationem naturalem non vnitur cum Deo vnione sufficienti, ut primò intendatur à Deo hæc, quam vnio Christi per visionem, & Christus Dominus per visionem vnitur Deo, vnione sufficienti, ut primò intendatur à Deo hæc, quam vnio per filiationem: ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi est beatitudo; non verò filiatio Dei naturalis. Probatur antecedens: vnio sufficiens, ut primò intendatur à Deo in opere Incarnationis, & prædestinatione Christi, est vnio vnies Christum cū Deo sub ratione vltimi finis reduplicatiuè, ut Deus finis vltimus est; sed vnio Christi cum Deo per visionem vnit Christum cum Deo formalitèr, ut Deus finis vltimus est; & vnio Christi cum Deo per filiationem, vel non vnit cum Deo, ut Deus finis vltimus est, vel tantum fundamentalitèr vnit, quatenus dat ius, & fundamentum naturale, ut vnatur per visionem formalitèr: Ergo Christus Dominus per filiationem naturalem non vnitur cum Deo vnione sufficienti, ut primò intendatur à Deo hæc, quam vnio Christi per visionem, & Christus Dominus per visionem vnitur à Deo, vnione sufficienti, ut primò intendatur à Deo hæc, quam vnio per filiationem. Consequentia est legitima. Minor pro vtraque parte probata manet *num. 52*. Maior autem etiam est ibi probata, & vltra.

Probatur primò: quod primo intenditur à Deo in prædestinatione Christi, & opere Incarnationis, sicut in quocumque alio opere suo; est omnia, quæ agit in illo opere, agere propter semetipsum, ut vltimum finem talis operis: ergo vnio sufficiens,

§8
Probatur. 6.
conclusio.

§9
Formatur
probatio.

60
Probatur. maior 1.

Secundò.

vt intendatur a Deo primò in hac prædestinatione, erit illa vnio, qua Christus prædestinatus vnitur cum Deo sine vltimo. Probat. secundò: vnio sufficiens, vt intendatur a Deo primò in prædestinatione Christi, est sufficiens vnio, vt Deus consequatur suum Intentum, scilicet, se esse vltimum finem in tali prædestinatione; sed vnio, qua Christus vnitur cum Deo sine vltimo, est, qua Deus consequitur suum intentum, scilicet, in illa prædestinatione esse vltimum finem: ergo idem, quod antea. Probat. minor: vnio, qua consequitur Deus, vt finis vltimus, est, qua Deus consequitur suum intentum, scilicet, esse vltimum finem; sed vnio, qua Christus vnitur cum Deo, vt vltimo fine, est vnio, qua consequitur Deus, vt vltimus finis: ergo vnio, qua Christus vnitur cum Deo, vt vltimo fine, est vnio, qua Deus consequitur suum intentum, scilicet, esse vltimum finem. Hoc patet: nam quando Deus exercet munus vltimi finis in aliquo opere à se intento, est, quando consequitur, se esse vltimum finem illius operis; nam antea intendebat esse vltimum finem, & quando consequitur, est vltimus finis. Vnde, si omnia Deus intendit propter se, vt vltimum finem; quod primò intendit in prædestinatione, sicut in quolibet alio opere, est, esse vltimum finem: ergo id, quod consequitur vltimo executivè, quod sit vltimus finis, id est, quod primò Deus intendit.

61

Probat. 7.
conclusio.

Septimo probatur conclusio: terminus primarius prædestinationis est finis quo vltimus, quo intendens prædestinationem consequitur finem qui prædestinationis; sed finis, quo consequitur finis qui prædestinationis Christi, non est filiatio naturalis: ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi est beatitudo; non verò filiatio Dei naturalis. Probat. minor: Deus ipse est finis qui vltimus prædestinationis Christi; quia omnia propter semetipsum operatur Deus; sed filiatio naturalis non est finis, quo formalitèr consequitur, vel tenetur Deus vt finis: ergo non est finis, quo consequitur formalitèr finis qui prædestinationis. Probat. minor: filiatio naturalis non vnit Christum cum Deo, vt vltimo fine formalitèr, & consecutivè;

sed fundamentalitèr, & vt dans ius naturalem, vt vnatur formalitèr cum vltimo fine, media consecutione vltimi finis, vt manet dictum: ergo filiatio naturalis non est finis, quo formalitèr consequitur, vel tenetur Deus, vt finis.

Probat. octavo conclusio in doctrina Ill. Godoy: terminus primarius, & principalis prædestinationis Christi debet esse finis cuius gratia prædestinationis; non finis effectus ipsius prædestinationis (v. g. finis primarius agentium in productione substantiali, non est finis effectus substantiæ, scilicet, operationis, etiam si substantia sit propter operationem, vt propter finem effectus; sed est ipsamet substantia, propter quam, tanquam finis cuius gratia operatio substantiæ est) sed finis cuius gratia prædestinationis Christi non est filiatio Dei naturalis præcisè: ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi, non est filiatio Dei naturalis.

62

Probat. 8.
conclusio.

Probat. minor: finis effectus prædestinationis Christi non est finis cuius gratia prædictæ prædestinationis; (vt patet exemplo substantiæ, quod finis effectus productionis substantiæ non est finis cuius gratia talis productionis;) sed filiatio naturalis est finis effectus prædestinationis Christi: ergo finis cuius gratia prædestinationis Christi non est filiatio naturalis Dei præcisè. Probat. minor: filiatio naturalis formalitèr est ipsamet gratia vnionis Verbi ad naturam, qua constituitur substantialitèr prædestinatus hic homo, scilicet, Christus; sed finis effectus prædestinationis est id, quo substantialitèr prædestinatus constituitur: ergo filiatio naturalis est finis effectus prædestinationis Christi. Probat. minor: nam licet substantia prædestinati sit finis cui respectu beatitudinis, vtpotè, subiectum, cui Deus vult beatitudinem; est tamen effectus eiusdem beatitudinis, vt finis cuius gratia Deus illam decrevit producere iuxta Ill. Godoy, iuxta quem tom. 2. in 1. part. disp. 62. substantia prædestinati dicitur finis effectus prædestinationis, vtpotè, ad finem prædestinationis serviens; sed prædicta filiatio substantia est huius prædestinati, scilicet, Christi: ergo finis effectus prædestinationis est id, quo

63

Probat. min.

substantialiter prædestinatus constituitur.

64 *Probat. 9. conclusio.*
 Probat. nono : Filius naturalis est finis cui hæreditatis intentæ per generationem ; sed finis cui non est primarius, & principalis terminus, vel finis : ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi, non est filiatio Dei naturalis. Probat. minor : finis cui fit ex intentione finis qui ; sed finis factus ex intentione finis qui, non est primarius terminus, vel finis : ergo finis cui non est primarius, & principalis terminus, vel finis. Probat. maior : quia Christus, vt homo, est finis cui Deus vult filiationem naturalem ; sed Christus, vt homo, fit ex vi eiusdem decreti, quo filiatio naturalis, seu finis qui tanquã terminus principalis intenditur : ergo finis cui fit ex intentione finis qui.

65 *Aliter formatur ratio.*
 Aliter proponitur hæc ratio : filiatio naturalis, comparata cum hæreditate talis filiationis, non est finis primarius cuius gratia hæreditas intenditur ; sed hæreditas est finis cuius gratia filiatio naturalis intenditur à Deo : ergo terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi non est filiatio Dei naturalis. Probat. antecedens : Christus, vt homo, comparatus cum Christo, vt Filio, non est finis cuius gratia intenditur à Deo filiatio naturalis Christi ; sed è contra : filiatio est finis cuius gratia Christus homo intenditur : ergo filiatio naturalis, comparata cum hæreditate talis filiationis, non est finis primarius cuius gratia hæreditas intenditur, sed è contra. Probat. consequentia : ideò Christus, vt homo, comparatus cum Christo, vt filio naturali, vt homo non est finis cuius gratia filiationis, sed è contra, quia in decreto intendendi Christum Filium Dei naturalem, Christus, vt homo, est finis, cui filiatio intenditur, & filiatio finis qui intenditur Christo homini ; sed etiam hæreditas est finis qui intenditur filio naturali, quia filius naturalis est finis cui hæreditas intenditur : ergo filiatio naturalis, comparata cum hæreditate talis filiationis, non est finis primarius cuius gratia hæreditas intenditur, sed è contra.

66 *Vrgetur contra ill. God.*
 Aliter adhuc proponitur, & vrgetur : ita se habet Christus, vt homo, respectu Christi, vt Filij, ac Christus, vt Filius, respectu hæreditatis filia-

tionis ; sed Christus, vt homo, non est finis cuius gratia respectu Christi, vt Filij, ergo Christus, vt Filius, non est finis cuius gratia respectu hæreditatis filiationis ; & consequenter filiatio Dei naturalis non est terminus primarius seu finis principalis prædestinationis Christi. Maior patet : nam sicut Christus, vt homo, est subiectum filiationis, ita Christus, vt Filius, est subiectum hæreditatis. Ex quo patet minor : nam sicut Christus, vt homo, est finis cui respectu filiationis, quia est subiectum illius ; ita Christus, vt Filius, est finis cui respectu hæreditatis, quia est subiectum illius. Prima consequentia est legitima. Secunda ex prima infertur.

67 *Prob. cõseq. ad hominẽ contra ill. Godoy.*
 Et vltra ostenditur ad hominem contra Ill. Godoy : Christus, vt Filius, est subiectum respectu hæreditatis : ergo ordinatur ad hæreditatem, vt ad finem qui : ergo filiatio Dei naturalis non est terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi. Hæc consequentia est manifesta : nam repugnat ordinari ad finem qui, & esse finem principalem ; cum hic non ordinetur ad alium. Antecedens constat ex proximè dictis. Prima consequentia probatur : subiectum, saltim largo modo, dicitur medium ordinatum ad finem qui, quatenus omne, quod ad alicuius finis existentiam quovis modo conducit, medium appellari potest, quæ sunt verba Ill. Godoy tom. 2. in 1. part. disp. 62. num. 19. atqui iuxta concessa Christus, vt Filius, est subiectum respectu hæreditatis : ergo ordinatur ad hæreditatem, vt ad finem qui.

68 *Probat. 10. conclusio.*
 Decimo probatur conclusio paritate, quæ semper vrget : nam habitus, etsi sit causã operationis, tamen ordinatur ad operationem, tanquam ad finem, quo magis formaliter consequitur finis qui ; sed etiam filiatio, etsi sit causã, non tantum moralis, & meritoria, sed phisica, ordinatur ad beatitudinem, tanquam ad finem, quo consequitur formaliter finis qui, quia filiatio formaliter non est consequutio finis qui, sed fundamentaliter causativè dans ius ; sicuti lumen Gloriæ causativè etiam radicaliter dat ius, vt formaliter finis qui consequatur : ergo filiatio non est terminus primarius, seu finis principalis prædestinationis Christi.

69

Prob. denique conclusio.

Probatur denique conclusio: quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione; sed beatitudo est in executione posterior hypostatica vnione: ergo est prior in intentione. Respondet Ill. Godoy *num. 194*: quod illud commune axioma est intelligendum, si illud, quod est prius in intentione respectu posterioris tantum exerceat causalitatem finalem; secus autem, si præter illam, aliam etiam causalitatem exerceat, quæ antecessionem petat in ordine executionis; vnio autem hypostatica præter finalem causalitatem, efficientem etiam respectu gloriæ humanitatis exercet, utpotè, complens naturam, illam vnies cum supposito, cuius est, ut quod operari; & ideo quamvis præcedat in ordine intentionis ad gloriam, non subsequitur ad illam in ordine executionis. Et instatur argumentum in essentia, quæ est finis proprietatum, & tamen est prior illis, etiam in ordine executionis.

Respondet Ill. Godoy.

Confirmat.

70

Reijcitur 1.

Reijcitur primò solutio: vnio hypostatica habet causalitatem efficientem respectu gloriæ iuxta solutionem Ill. Godoy: ergo habet rationem medij respectu illius. Consequentia patet: nam omne medium est causa efficiens finis. Secundò: magis habet vnio hypostatica, ut sit medium respectu gloriæ, quam gloria respectu vnionis: ergo potius vnio, quam gloria, est medium. Probatur antecedens: vnio hypostatica habet causalitatem efficientem respectu gloriæ, quæ gaudet omne medium respectu finis; sed hanc causalitatem non habet gloria respectu vnionis: ergo vnio hypostatica magis habet, ut sit medium respectu gloriæ, quam gloria respectu vnionis.

Secundò.

71

Ad confirmationem.

Paritas autem de essentia, & proprietatibus, quam tradit Ill. Godoy in confirmationem suæ solutionis, nullam vim habet; est enim maxima disparitas. Primò: nam essentia, & proprietates iuxta nostram sententiã realiter identificantur, quod non habent vnio hypostatica, & gloria. Secundò: quia essentia, & proprietates eodem decreto decernuntur, ut fateatur Ill. Godoy *disp. 51. num. 7*. quod non habent vnio hypostatica, & gloria. Tertio: quia proprietates nullam causalitatem, nec physicam, nec moralem habent respectu essentiæ; vnio

tamen hypostatica habet causalitatem physicam, vel moralem respectu gloriæ. Ex hisque sequitur adæquata disparitas, nempe, quod proprietates nequeunt habere rationem medij respectu essentiæ; bene verò vnio hypostatica.

Arguit Ill. Godoy contra nostram conclusionem *num. 193*: vnio ad Deum secundum esse, quod præstatur ab vnione hypostatica, perfectior est vnione ad Deum secundum operationem, in qua essentialis beatitudo consistit; sed quod excellentius est, ad inferius, ut finem non ordinatur, maximè in sententia Scoti, & nostra: ergo humanitas non fuit ordinata ad vnionem substantialem, ut medium, & ad beatitudinem, tanquam ad finem vnionis; sed è contra, beatitudo vnioni hypostaticæ subordinatur, ut finis; & consequenter non fuit prædestinata ab beatitudinem, ut ad finem principalem.

Respondeo primò distinguendo maiorem: est perfectior quoad actum primum, concedo maiorem; quoad actum secundum, nego maiorem; distinguoque minorem: ea ratione, qua excellentius est, concedo minorem; ratione, qua inferius est, nego minorem, & consequentiam. Secundò aliter, distinguo maiorem: perfectior est, & utilior, nego maiorem; & non utilior, concedo maiorem; & distinguo minorem: quod est perfectius, & utilius, concedo minorem; quod est perfectius, & non utilius, nego minorem, & consequentiam. Vtraque solutio claret ex dictis *num. 43. & 44. latiusque, & expressius ex dictis tom. 1. in 3. Sent. disp. 11. num. 135. & 137.* vbi diximus: beatitudinem esse perfectiorem vnione hypostatica quoad actum secundum; esseque vnione utiliorem, quod expressit Scotus in Report. citat. cuius verba retulimus *num. 43.* & absque vilo fundamento, & vlla prorsus ratione negat Ill. Godoy *num. 204. in fine.*

Respondeo tertio, aliter distinguendo maiorem: perfectior est in linea physica vniedi, concedo maiorem; in linea vniedi cum Deo sub ratione ultimi finis, nego maiorem; distinguoque minorem: quod excellentius est in vtraque linea ad inferius, ut ad finem, non ordinatur, concedo minorem; in linea physica tantum

72

Arguit Ill. Godoy.

73

Respond. 1.

Secundò.

74

Respond. 3.

Quartò.

Deniquè.

75
Arguit
Mastrius.

subdistinguo : ad inferius in vtraque linea, concedo minorem ; ad inferius in linea phisica; superius tamen in altera, nego minorem, & consequentiam. Solutio hæc claret ex omnibus ferè nostris probationibus, præsertim ex tertia num. 52. Quartò potest responderi, negando maiorem proprie loquendo ex dictis cum Scoto num. 43. Et deniquè Scotistæ negantes: vnionem hypostaticam esse omnium maximam in ratione doni, & beneficij, vt negat Delgadillo *de Incarnat. cap. 1. dif. 6. dub. 2. n. 6.* negant absolute maiorem, ex quibus apparet ex omni capite inefficacia rationis Ill. Godoy.

Ill. Godoy nihil aliud nobis obijcit; sed ne Mastrius nobis oppositus sine solutione relinquatur, liceat, eius argumentum proponere. Arguit itaque in 3. *dist. 2. q. 11. num. 332*: nam ex Scoto in 3. *dist. 2. q. 2. art. 2*: humanitati prius convenit personari, quam habere accidentia, quia subsistentia spectat ad complementum substantiale naturæ: ergo decretum prædestinationis ad gloriam, & gratiam, quæ sunt accidentia, præsupponebat necessariò humanitatem in Verbo suppositam: ergo, & decretum vnionis: ergo prius humanitas fuit prædestinata ad vnionem hypostaticam, quàm ad gloriam. Respondeo primò distinguendo maiorem: ordine executionis, concedo maiorem; ordine intentionis, nego maiorem, & hac distinctione distinguo cetera omnia. Solutio claret per dicta ex Scoto in *Report. citat. num. 43.* & locis, quibus ipsum citavimus num. 44.

Respond. 1.

76
Respond. 2.
retorquen-
do argum.

Respondeo secundo, retorquendo argumentum ad hominem contra Mastrius: natura potest dici prædestinata ad gloriam, etsi non sit suppositum: ergo non indiget supposito, vt prædestinetur ad gloriam: ergo humanitati non prius convenit personari, quam prædestinari ad gloriam. Omnes consequentiæ sunt legitimæ. Antecedens autem, ex quo omnes sunt illatæ, est ipsius Mastrii *citat* qui respondens ad argumentum Centini probans, quod prædestinatio respicit personam, hæc ait num. 331. *Negat etid Scotus, dist. 7. q. 3. maiorem, quia etiam natura potest dici prædestinata, vnde concedit, quod humanitas Christi est prædestinata ad gratiam, & gloriam, ac etiam ad vnionem hypostaticam.*

Deindè paulo infra ait: *Hoc autem probat Doctòr, quia sicut Deus potest omne bonum aliud à se diligere, non tantum suppositum, sed etiam naturam; ita potest illi præordinare, vel præoptare bonum ei conveniens; at gratia, & gloria sunt bona humanitati Christi convenientia, quia immediatum subiectum earum receptivum, non est suppositum, sed ipsa humanitas, seu anima Christi: ergo potuit Deus humanitati præordinare, & præoptare gloriam. Qua etiam ratione probatur, potuisse prædestinari ad hypostaticam vnionem, quia humanitas fuit subiectum vnionis receptivum, utpotè, fuit verè, & realitè Verbo vnita: ergo fuit à Deo ad hanc vnionem præordinata.* Nihil clarius contra Mastrius. Nihilque aduersus ipsum efficacius.

Dices cum Mastrius num. 133: ordinatè volens non solum vult prius finem cuius, sed simul vult finem cui; nam vterque finis vnum totalem finem integrant: ergo Deus non solum in primo signo voluit gloriam, sed hanc gloriã voluit humanitati Christi, quæ est finis cui: ergo debebat humanitas supponi, vel in se, vel in alio; atqui nunquam fuit in se suppositata: ergo necessariò decretum vnionis præcedere debuit. Quare ait: quod regula illa: *Ordinatè volens prius vult finem, quam media, valet de fine, & conducentibus ad finem consequendum; non verò de attinentibus ad constitutionem substantialis esse finis cui, de quorum numero est subsistentia.*

Respondeo concessio antecedenti cum prima consequentia, negando secundam; quia humanitas pro illo signo præscindit ab esse in se, vel in alio; alioquin nunquam humanitas, quin esset suppositum, posset iuxta doctrinam hanc Mastrii prædestinari ad gloriam, cuius oppositum faterur, vt ex ipso diximus num. 76. & 77. Vnde falsa est explicatio illius regulæ, nam ita verificatur de fine, & conducentibus ad finem, quam de attinentibus ad constitutionem substantialis esse personalis finis cui, de quorum numero est subsistentia; & solum non valet de attinentibus ad constitutionem substantialis esse essentialis finis cui; de quorum numero non est subsistentia. Et hanc differentiam de esse substantiali essentiali, & personali, debuit facere Mastrius, vt rectè procederet.

78
Dices cum
Mastrius.79
Respondeo.

80

Retorqueo
cōtra Mastri-
um 1.

Deniquè retorqueo primò argu-
mentum contra Mastrium : regula
illa: *Ordinatè volens prius vult finem,
quam media*, valet de fine, & de con-
ducentibus ad finem ; atqui vnio hyp-
ostatica conducit ad summam glo-
riam, humanitati Christi tribuendā:
ergo valet regula illa de gloria, quæ
est finis, & de vnione hypostatica,
quæ conducit ad gloriam: ergo cum
Deus sit ordinatè volens, prius vult
gloriam, quam hypostaticam vnio-
nem. Maior est doctrina Mastrij. Mi-
nor satis patet ex dictis, tam ex Sco-
to, quàm à ratione. Vtraque conse-
quentia ad hominem contra Mas-
trium est legitima.

81

Retorq. 2.

Retorqueo secundò : vnio hypostatica
supponit subiectum prædesti-
nationis ad gloriam, & vnionem: ergo
supponit finem cui: ergo vnio hypostatica
non attinet ad constituendum finem cui:
ergo ruit solutio. Duplex vltima
consequentia ex prima infertur. Prima
verò ex antecedentis: nam subiectum
prædestinationis est finis cui illius, vt
apud omnes est certum. Antecedens
probat: subiectum prædestinationis ad
gloriam, & vnionem est humanitas, seu
hic homo, non tamen suppositum, vel
persona; sed vnio hypostatica supponit
humanitatem, seu hunc hominem: ergo
vnio hypostatica supponit subiectum
prædestinationis ad gloriam, & vnionem.
Probat maior: hæc propositio est vera:
*Hic homo prædestinatus est ad vnionem,
& gloriam*; hæc autem falsa: *Verbum
prædestinatum est ad vnionem, & gloriam*:
ergo subiectum prædestinationis ad
gloriam, & vnionem est humanitas, seu
hic homo, non tamen suppositum, vel
persona. Consequentia est notoria. Antec-
edens pro prima parte est commune
inter Theologos, illudque habet Ill. Godoy
num. 206. Pro secunda est etiã commune,
texte Ill. Godoy num. 172. 173. & 174. &
quoad vtranque est mastrij citat. cuius
verba retulimus num. 76 & 77.

82

Dices pro Mastrio : hæc proposi-

tio: *Christus est prædestinatus ad gloriam,
& vnionem hypostaticam*, est vera: ergo
etiã persona est finis cui prædestina-
tionis. Respondeo distinguendo an-
tecedens: Christo supponente pro ho-
mine, concedo antecedens; supponente
pro persona, nego antecedens; & dis-
tinguo consequens: & finis cui tanquã
vltimò denominatus, omitto consequens;
proprie, & intrinsicè, nego consequentiam.
Ratio est: nam finis cui prædestinationis
est illius subiectum; sed subiectum im-
mediatum receptivum gloriæ, & vnionis
hypostaticæ est humanitas; non verò
suppositum, vt fatetur Mastrius expræs-
se per verba à nobis relata num. 76. & 77:
ergo finis cui prædestinationis Christi
est humanitas, & non suppositum.

Secunda conclusio: *Christus, vt ho-
mo, dicitur prædestinatus simpliciter,
& absolutè ex ordine ad beatitudinem*. Col-
ligitur ex dictis, & est contra Ill. Godoy
num. 195. & per oppositum ad il-
lius rationem probatur: ex ordina-
tione ad terminum vltimò intentum
ex vi prædestinationis, dicitur aliquis
prædestinatus simpliciter; sed Christus
fuit prædestinatus ad gloriam, tanquam
ad vltimum finem: ergo ex ordina-
tione ad beatitudinem dicitur prædesti-
natus absolutè, & simpliciter. Minor
habetur ex dictis. Maior autè
probat: quia namquè homo non
ordinatur ad gratiam, tanquam ad
vltimum terminum, ex ordinatione
ad illam non dicitur prædestinatus
absolutè, & simpliciter; aliàs præsci-
tus aliquando existens in gratia, pos-
set absolutè dici prædestinatus, quod
inconsuetum est Theologis: ergo so-
lum ex ordinatione ad terminum vlti-
mò intentum ex vi prædestinationis
conferuntur denominationes prædesti-
nati absolutè. Et hæc de ista disputa-
tione applicanda litteræ Magistri in
3. dist. 7. §. 1. ibi: *Vndè rectè dicitur
Christus, in quantum homo, prædestinatus
esse Filius Dei*. Et dist. 10. §. vltimo, ibi:
*Deinde si queritur vtrum prædesti-
natio illa, &c.*

o)9(o

Dices pro
Mastrio.

Respondeo.

83

2. Conclusio

Probat.



DISPUTATIO

QUINQUAGESIMA SEXTA.

An Christus nobis meruerit nostram prædestinationem?

Divisi sunt in hac disputatione Scotistæ. Plures relati à Mastro in 3. disput. 3. quæst. 3. numer. 472. & ab Ill. Godoy in præsentī, docent: Christum meruisse nostram prædestinationem, & electionem ad gloriam, quoad decretum executivum; non verò quo ad decretum efficax intentivum, quo homines fuerunt electi, sive ad gratiam, sive ad gloriam. Pro qua opinione adducunt Scotum in 3. dist. 19. quæst. unica, §. In ista, quæst. & §. seq. ad 2; immeritò tamen; nam ibi Scotus loquitur dumtaxat de meritis Christi dependentibus ab illius passione, & morte, quod à nullo Scotista negari potest; & de eis tantum ait Scotus, Christum non meruisse nostram prædestinationem, quod est certum; quia hæc merita subsuntur prædestinationem nostram; non verò loquitur Scotus de meritis Christi, independentibus à passione, & morte illius, v. g. de meritis charitatis, religionis, &c; vnde nullatenus Scotus huic opinioni faber, quod fateri videretur Mastro num. 481.

Alij autem Scotistæ docent: Christum non solum meruisse nostram prædestinationem, & electionem ad gloriam, quo ad decretum executivum, verum etiam quoad decretum intentivum. Hanc opinionem amplexi sunt Felix de Prædestinat. cap. 4. difficult. 4. & tract. de Incarnat. cap. 14. difficult. 5. Delgadillo de Incarnat. cap. 9. difficult. 19. Pontius disput. 38. quæst.

ultima, & alij. Quam opinionem, licet Scotus expressè non docuerit, est tamen conformior eius principijs. Colligitur namquè ex omnibus locis, quibus Magister docet: Christum esse primum prædestinatum, & caput omnium prædestinatorum. Deinde: decretum Incarnationis quoad substantiam præcessisse prævisionem peccati, ut cum ipso tenent omnes Scotistæ, & diximus tom. 1. in 3. Sent. disput. 8. Ex quo infertur, quod merita Christi fuerunt prius prævisa quoad substantiam, quam nostra prædestinatio. Deniquè colligitur ex eo, quod est Christi excellentia, quæ secundum Scotum in 3. dist. 13. §. Quantum, ad 2. quæstionem, illi est concedenda ex Augustin. de Libero Arbitrio, lib. 3. Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias, hoc Deum magis fecisse, quam non fecisse. Ex quo Doctor Subtilis colligit, in Christo ponendam esse summam gratiam, & commendat illam pijsimam sententiam: In commendando enim Christum malo excedere, quam de sicere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere.

Quæ opinio mihi probabilior videtur; eamque pro conclusione cum omnibus ab ipso citatis num. 9. ita ut Ill. Godoy num. 54. quam per sequentia optimè probat, & argumenta contra ipsam soluit. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri in 1. dist. 41. §. 1. ad illa verba: *Miseri cordi autem meritum non invenimus.*

DISPUTATIO

QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

An Christus meruerit prædestinationem Angelorum sub terminatione ad gratiam, & gloriam?

In hac etiam disputatione, de qua expressè Scotus non est locutus, divisi sunt Scotistæ. Negativam sententiam tuentur Faber, Gallus,

Smising, & Centinus, ducti ex eo, quod merita Christi prævisa fuerunt post prævisionem peccati, licet Christus fuerit primus prædestinatorum;

vnde merita independentia à passione, & morte nullatenus cognoscunt, consequenterque dicunt, quod si Adam non peccasset, & Christus venisset, nullo modo meritus esset.

Sententiam affirmativam propugnant Vulpes, Bellutus, Aretinus, Pitigianus, Pontius, Delgadillo, & alij, triplici fundamento moti. Primum est: quod si Adamus non peccasset, Christus veniret, consequenterque est primus prædestinatorum, in quo signo potuerunt prævideri multa illius merita, à passione, & morte independentia. Secundum est: quod Christus est caput, non solum hominum, sed etiam Angelorum, & consequenter in illos influit vitam gratiæ, & gloriæ, mediante suis meritis. Tertium est: quia est possibile, & cedit in maiorem Christi excellentiam, quod debet Christo concedi iuxta Scoti doctrinam, traditam *disp. anteced.*

Vtraque opinio est apud Scotif-

tas probabilis sine Scoti præiudicio, eo quod Doctor nulli parti fabeat, nec contradicat. Imò est probabilis apud Patres, & Scripturam; cum testimonia Scripturæ, & Patrum pro nulla parte evidentè convincant, & pro qualibet sufficientè explicentur, vt ex Suario notavit Mastrius *in 3. disp. 3. q. 13. num. 493.* His tamen non obstantibus, sententia affirmativa probabilior videtur, vt fatetur Mastrius *cit.* eo, quod magis pia, quia cedit in maiorem Christi excellentiam, quod etiam sensit Ill. Godoy, hanc nostram sententiam latè defendens; cumque litigium in hoc cum illo non habemus, hæc pro ista disputatione sufficiant, applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 13. §. 1.* ad illa verba: *Quia ille est caput, in quo est omnis sensus.* Et *dist. 18. §. 1.* ad illa verba: *Meruit quidem membris redemptionem à Diabolo.*

(§)

Hæc etiam de tertio tomo nostri operis dicta sufficiant, Ecclesiæ correctioni subiecta, in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Virginis absque omni labe conceptæ, & à Filio desolata, Petri Apostolorum Principis, Beatissimi Patris Nostri Stigmatizati Francisci, & Subtilis Magistri, cui si quid dissonum inveniat assertum, libenti animo retractamus, & omnia à nobis dicta Sapientium emendationi subijcimus.

)(§)(

Finis Tom. 3. in 3. Sentent. & Sexti nostri operis.

I N D E X LOCVPLENTISSIMVS RERUM NOTABILIVM,

QVÆ IN HOC TERTIO TOMO IN TERTIVM LIBRVM
Sententiarum Scoti continentur.

D. vel Disput. Disputationem significat. N. vel Num. Numerum marginalem designat.

A

ACTVS.

Actus non specificatur adæquatè ab obiecto,
disput. 48. num. 43.
Actus potiùs à principijs, quam ab obiectis
specificantur, *ibidem.*

Actus non solum distinguntur specie ab ob-
iectis, sed etiam ex diverso modo attingendi ob-
iectum, *disput. 48. num. 45.*

ACCEPTATIO.

Acceptatio est duplex, actualis vna, habitualis
alia, *disput. 46. num. 2.*

Acceptatio habitualis, est per gratiam habi-
tualem, quæ principalitèr dignificat personam,
illi formalitèr inhærendo, & concomitanter
dignificat opus personæ, *ibidem.*

Acceptatio actualis est, quæ dicitur pactum, vel
promissio, & ad differentiam habitualis, non su-
per personam, sed super actum ipsius cadit im-
mediatè, *ibidem.*

Acceptatio habitualis dat operibus valorem,
& condignitatem ad præmium, *disput. 46. n. 3.*

Acceptatio ex parte Christi datur de facto, *dis-
put. 46. num. 6.*

ACCIDENS.

Duo accidentia, non omnino similia, & solo
numero distincta, possunt esse naturalitèr in eo-
dem subiecto, *disput. 48. num. 27. & sequentibus.*

Nullum accidens individuatur per subiectum,
disput. 48. num. 34.

ADAM.

In Adamo in statu innocentia: fuit appetitus
sensitivus, prout de se inclinât ad obiecta sensibi-
lia, vel contra rationem, vel conformitèr ratio-
ni, *disput. 42. num. 3.*

In Adamo in statu innocentia:, non fuit fomes
peccati, *ibidem. & num. 35.*

ADOPTIO. ADOPTIVVS.

Adoptio humana est gratuita assumptio ad
hæreditatem personæ aliâs extraneæ, *disput. 52. n. 2.*

Ad adoptionem tria requiruntur, & qualia,
disput. 52. num. 2.

Filius adoptivus est, cui convenit ius ad parti-
cipandam hæreditatem, & substantiam patris ex-
trinsecam, non ex vi generationis, sed ex volun-
tate gratuita adoptantis, *disput. 52. num. 2.*

Aliquæ conditiones accidentales adoptionis,
disput. 52. num. 3. & 4.

Filius adoptivus formalitèr constituitur per
relationem, *disput. 52. num. 8.*

Filius adoptivus fundamentalitèr constituitur
de facto per gratiam habitualement, *disput. 52. n. 9.*

Adoptio est quid morale, *disput. 52. num. 21.*

Adoptio est opus Dei omnino gratuitum,
disput. 52. num. 26.

Adoptio Dei sine gratia habituali non impli-
cat, *disput. 52. num. 116.*

Adoptio est relatio rationis, *disput. 52. n. 129.*
Ad adoptionem sufficit extraneitas iuris, *dis-
put. 53. num. 61.*

A M O R.

Amor regulatus scientia beata, est numero
distinctus, ab amore regulato scientia infusa,
disput. 48. num. 29.

Amor regulatus scientia beata est specificè
distinctus ab amore regulato scientia infusa, *dis-
put. 48. num. 43.*

Amor viæ, & Patriæ specie differunt, *d. 48. n. 44.*

APPETITVS.

Appetitus sensitivus est proprietas naturæ ani-
malis, *disput. 42. num. 1.*

Appetitus sensitivus de se inclinatur ad obiecta delectabilia, vel contra rationem, vel conformiter rationi, *disput. 42. num. 3.*

ARGUMENTATIO.

Argumentatio de potentia ad potentiam est bona; de potentia vero ad actum non valet, *disput. 40. num. 207.*

AXIOMATA.

Vbi pluralitas requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, *disput. 40. num. 51.*

Nemo dat, quod non habet, *disput. 40. n. 55.*

Inter causam, & effectum debet dari proportio in perfectione, *disput. 40. num. 58.*

Ad influendum phisicè, sive principaliter, sive instrumentaliter, requiritur phisica existentia, *disput. 40. num. 59. & 65.*

De potentia ad potentiam valet consequentia; non verò, de potentia ad actum, *d. 40. n. 207.*

Ex aliquibus ad omnia, non valet comparationem facere, *disput. 41. num. 40.*

Concessio antecedenti in illatione ut vero, conceditur consequentia illativè vera, *d. 41. n. 66.*

Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, *disput. 41. num. 69.*

Actiones sunt, suppositorum, quomodo intelligatur, *disput. 41. num. 192. 214. & sequentibus.*

Actiones sunt, suppositorum non inveniri in Philosopho, *disput. 41. num. 213.*

Actiones, & generationes sunt circa singularia, *ibidem.*

Essentia Divina, nec generat, nec generatur, *disput. 41. num. 214.*

Actiones verè attribuuntur supposito, tanquam ultimo denominato, *disput. 41. num. 218.*

Inter producentem, & productum debet intervenire distinctio realis, *disput. 41. num. 230.*

Nihil repugnat essentialiter alicui per meram negationem, *disput. 41. num. 277.*

Christus assumpsit illos defectus qui ad finem redemptionis conducunt, *disput. 44. num. 21.*

Quando ad aliquem effectum plura concurrunt, licet unum sit infinitum, si alia sunt finita effectus, non est simpliciter infinitus, *disput. 45. n. 9.*

Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu, *ibidem.*

Totum est maius sua parte, *disput. 45. n. 22.*

Ab obiecto, & potentia paritur noticia, *disput. 45. num. 34.*

Quando ascensus, vel gradatio fit per res eiusdem ordinis, seu per additionem, virtutis ad virtutem in eodem ordine, calculatur virtus infinita, *disput. 45. num. 144.*

Meritum non crescit Arithmeticè ad dignitatem personæ operantis, *disput. 45. num. 180.*

Si cognitiones præviæ ad amorem sunt inter se specificè diversæ semper inducunt diversitatem specificam affectuum in voluntate, *disput. 48. num. 43.*

Actus distinguuntur specie, non solum ab ob-

iectis, sed etiam ex diverso modo attingendi obiectum, *disput. 48. num. 45.*

Quod cedit in excellentiam Christi, Christo est de facto concedendum, *disput. 51. num. 3. & 82.*

Quod est causa causæ, est causa causati, *disput. 51. num. 66.*

Quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione, *disput. 55. num. 69.*

B

BAPTISMVM.

Baptismi Sacramentum, est causa instrumentalis nostræ iustificationis, *disput. 40. num. 10.*

Baptismi character constituit hominem formaliter Christianum ex ordinatione Divina, *disput. 41. num. 18. disput. 52. num. 48.*

BEATVS.

In Beatis datur appetitus sensitivus, prout de se inclinatur ad obiecta sensibilia, vel contra rationem, vel conformiter rationi, *disput. 42. num. 3.*

In Beatis non manet fomes peccati, *ibidem, & num. 35.*

BEATITVDO.

Beatitudo quoad actum secundum est perfectior unione hypostatica, *disput. 55. num. 73.*

Beatitudo est utilior unione hypostatica, *ibid.*

Beatitudo in linea uniendo cum Deo, ut ultimo fine, est perfectior unione hypostatica, *disput. 55. num. 74.*

C

CAVSA.

Causa moralis est, quæ non influit in effectum phisicè, sed tantum est causa, ut phisica influat, *disput. 39. num. 11.*

Causa moralis dividitur in principalem, & instrumentalem, earumque explicationes. *ibid.*

Causa moralis principalis dupliciter consideratur: primo comparative ad causam moralem, quomodo nequit esse instrumentum, secundo comparative ad causam phisicam, quomodo dicitur instrumentalis respectu causæ phisicæ, *disput. 39. num. 12.*

Causa materialis, & formalis, quæ sunt causæ phisicæ principales, sunt phisicum instrumentum, comparative ad causam principalem phisicam efficientem, *disput. 39. num. 14. & sequentibus.*

Causa moralis est vera causa, *disput. 40. n. 3.*

Causa finalis est vera causa, *ibidem.*

Causa phisica efficiens principalis in effectu existit, non verò instrumentalis, *disput. 40. n. 77.*

CHARITAS.

Charitas est radix omnes meriti, *disput. 48. numer. 15.*

Charitas imperat omnes actiones, & operationes meritorias, *ibidem.*

Charitas non distinguitur formaliter à gratia, *disput. 52. num. 103.*

CHRISTVS.

Christus habuit duas naturas, duasque potentias, *disput. 38. num. 9.*

Christus, vt homo, aliqua vera miracula fecit, *disput. 39. num. 2.*

Christus ab instanti suæ Conceptionis habuit virtutem parandi miracula, *disput. 39. num. 9.*

Christus habuit virtutem parandi miracula permanentem, & quasi per modum habitus, *disput. 39. num. 10.*

Christus, vt homo fecit miracula, vt causa principalis moralis, comparatiuè ad causam moralem, *disput. 39. num. 19.*

Christus, vt homo fecit miracula, vt causa moralis instrumentalis comparatiuè ad causam physicam principalem, *disput. 39. num. 20.*

Christus, vt homo, non fecit miracula, vt causa physica efficiens principalis, *disput. 40. num. 1.*

Christus, vt homo, præter concursum principalem moralem, non habuit concursum physicum instrumentalem in effectus miraculosos, *disput. 40. num. 8. & per totam.*

Christus de facto, nunquam peccauit, *disput. 41. num. 1.*

Christus non contraxit originale peccatum, *disput. 41. num. 2.*

Christus non potuit peccare de lege ordinaria, *disput. 41. num. 4.*

Christus potuit peccare peccato actuali cum vnione ad Verbum composito, *disput. 41. n. 118. & sequentibus.*

Christo soli conuenit impeccabilitas exigitiva, & radicalis, *disput. 41. num. 144.*

Christus non est æque impeccabilis, ac Deus, *disput. 41. num. 260.*

Christus potuit de potentia Dei absoluta peccare, tam in sensu composito, quam in sensu diuiso vnionis, *disput. 41. num. 265. & sequentibus.*

In Christo fuit appetitus sensitivus, *disput. 42. numer. 1.*

In Christo fuerunt aliqui actus appetitus sensitivi, vt tristitia, timor, & ira, *disput. 42. num. 2.*

In Christo fuerunt actus sensuum internorum, & externorum, *ibidem.*

In Christo non fuit de facto fomes peccati, *disput. 42. num. 18.*

In Christo potuit esse fomes peccati de potentia Dei absoluta, *disput. 42. num. 22. & seqq.*

In Christo non fuit de facto fomes in actu primo, *disput. 42. num. 35.*

In Christo potuit esse de potentia Dei absoluta fomes in actu primo, *disput. 42. num. 36.*

Christus, vt homo, nullum consilium fuit transgressus, *disput. 43. num. 6.*

Christus, vt homo, non fuit moraliter imperfectus, *disput. 43. num. 7.*

Christus, vt homo, potuit de potentia absoluta omittere actum consilij, & recedere à maiori

Dei beneplacito, sibi manifestato, de aliquo opere faciendo, *disput. 43. num. 11.*

Christi impeccabilitas in ordine ad consilia conciliatur cum illius libertate per moralem impotentiam transgrediendi consilia, & physicam potentiam ad illorum transgressionem, *disput. 43. num. 36. & sequentibus.*

In Christo non fuit ignorantia privativa moralis, *disput. 44. num. 3.*

In Christo non fuit ignorantia positiva, quæ est error practicus, *disput. 44. num. 4.*

In Christo fuit ignorantia purè negativa, quæ propriè nescientia, & non ignorantia dicitur, *disput. 44. num. 5.*

In Christo puit esse de potentia Dei absoluta ignorantia privativa quæ moralis, & peccaminosa, non sit, *disput. 44. num. 6.*

Christus, vt homo, potuit de potentia Dei absoluta, esse sine omni cognitione, *ibidem.*

In Christo non fuit error positivus, nec actualis, nec habitualis, *disput. 44. num. 10.*

In Christo de facto nulla fuit ignorantia, sumpta privatiuè, idest, illarum rerum, quas scire, ad statum Christi spectabat, *disput. 44. num. 16.*

In Christo possunt de potentia Dei absoluta, esse non solum iudicium speculativum erroneum, verum etiam practicus error, *disput. 44. numer. 23.*

Christus aliquid meruisse, est de fide, *disput. 45. num. 1.*

Christi meritum physicè est finitum, *disput. 45. numer. 2.*

Christi meritum habuit quandam infinitatem, *disput. 45. num. 3.*

Christi meritum, non est simpliciter infinitum, *disput. 45. num. 8.*

Christi meritum, in esse meriti, & valoris fuit tantum secundum quid infinitum, scilicet, infinitate ordinis, & negativa, *disput. 45. num. 177.*

Christus non plus meruit, quam Deus præmiare possit, *disput. 45. num. 186.*

Christus Deum obligavit, vt ex iustitia propriè dicta, licet non ex toto rigore iustitiæ, ad remuneranda illius merita, illiusque satisfactionem acceptandam, *disput. 46. num. 7.*

Christus non potuit Deum obligare ex iustitia ad remuneranda illius merita, secluso pacto, *disput. 46. num. 10. & sequentibus.*

Christus meruit à primo suæ conceptionis instanti, *disput. 47.*

Christus meruit ab infantia, & toto tempore vitæ mortalis continuatè vsque ad mortem, *ibidem.*

Christus non meruit post mortem nec in ipso mortis instanti, *ibidem.*

Christus in statu viatoris habuit aliqua opera, quibus meruit, *disput. 48. num. 1.*

In Christi operationibus reperiuntur omnes conditiones ad meritum requisitæ, *disput. 48. numer. 3. 5. & 7.*

Christus meruit per aliquem actum charitatis, regulatum scientia beata, *disput. 48. num. 13. & sequentibus.*

Christus meruit per actum charitatis, regulatum scientia infusa, *disput. 48. num. 22. & seqq.*

Christus meruit per actum charitatis erga Deum, regulatum scientia beata, non solum prout respicit bona extrinseca Dei, & creaturas; sed etiam prout respicit intrinsecas Dei perfectiones, *disput. 48. num. 60.*

Christus meruit per actus, ad quos tenebatur ex precepto positivo, *disput. 49. num. 2.*

Christus speciali quodam modo meruit, *disput. 49. num. 6.*

Christus speciali privilegio fuit viator, & comprehensor, *ibidem.*

Meruit Christus de facto merito condigno continuationem unionis hypostaticæ, *disput. 51. num. 3. & sequentibus.*

Christus meruit circumstantias incarnationem subsequentes, *disput. 51. num. 38.*

Christus meruit de facto Virginis maternitatem, *disput. 51. num. 40. & sequentibus.*

Christus non meruit de facto gratiam habituales, nec dona ipsam subsequentia, *disput. 55. numer. 77.*

Christus potuit de potentia Dei mereri gratiam habituales, *disput. 51. num. 80.*

Christus potuit de potentia absoluta beatitudinem animæ, habitam ab initio conceptionis de condigno mereri; de facto tamen illam non meruit, *disput. 51. num. 84.*

Christus meruit gloriam corporis, & sui nominis exaltationem, *disput. 51. num. 85.*

Christus meruit tantum indirectè, mediatè, & secundario, gloriam sui corporis, *disput. 51. n. 87.*

Christus, in quantum Deus, est filius, non adoptivus, sed naturalis Patris, *disput. 53. num. 1.*

Christus, in quantum homo, est filius adoptivus Dei, *disput. 53. per totam.*

Deus, in quantum homo, est filius Dei naturalis, in sensu materiali, & identico, *disput. 54. numer. 2.*

Christus, in quantum homo, reduplicando supra suppositum, est filius Dei naturalis, *disput. 54. num. 3.*

Christus in quantum homo, quomocunque fiat reduplicatio, non est formaliter filius Dei naturalis, *disput. 54. per totam.*

Christus, in quantum homo, est aliquomodo prædestinatus, *disput. 55. num. 4.*

Christus, in quantum homo, est prædestinatus filius Dei naturalis, *disput. 55. num. 6.*

Christus, ut homo, fuit prædestinatus ad gloriam prius quam ad unionem hypostaticam, *disput. 55. num. 45.*

Christus, ut homo, dicitur prædestinatus simpliciter, & absolute ex ordine ad beatitudinem, *disput. 55. num. 83.*

Christus nobis meruit nostram prædestina-

tionem, non solum quoad decretum executivum, verum etiam quoad decretum intentivum, *disput. 56.*

Christus meruit prædestinationem Angelorum sub terminatione ad gratiam, & gloriam, *disput. 57.*

D

DEVS.

Deus solus est causa efficiens phisica principalis miraculorum, *disput. 40. num. 1.*

Deus remuneravit merita Christi, illiusque satisfactionem acceptavit ex iustitia proprie dicta, licet non ex toto rigore iustitiæ, *disput. 46. n. 7.*

Ut Deus ex iustitia obligaretur ad Christi merita remuneranda, fuit necessarium pactum, *disput. 46. num. 10.*

DIGNITAS.

Dignitas ex nominis significatione dicit excellentiam, excessum, & superioritatem, *disput. 40. num. 38. & 39.*

E

EXISTENTIA.

Existencia est modus intrinsecus rei, realitèr cum re identificatus, *disput. 41. num. 237.*

Existencia est prior substantia, *ibidem.*

Existencia complet naturam in ratione operativæ, *disput. 41. num. 347.*

F

FILIVS FILIATIO.

Filius naturalis constituitur formalitèr per relationem prædicamentalem, *disput. 52. num. 8.*

Filius naturalis fundamentalitèr constituitur per naturam, ut per generationem acceptam, *ibidem.*

Filius adoptivus formalitèr acceptus constituitur per relationem, *ibidem.*

Filius adoptivus fundamentalitèr sumptus, constituitur de facto per gratiam habituales, *disput. 52. num. 9.*

Filiatio convenit immediatè naturæ, *disput. 53. num. 29. & sequentibus.*

Filius naturalis est ille, qui oritur vivens à vivente naturalitèr principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ intellectualis, *disput. 54. numer. 7.*

Filiatio, qua Christus, ut homo, est filius B. Virginis, est realis, *disput. 54. num. 75.*

FOMES.

Fomes peccati non consistit in appetitu sensitivo, quatenus de se inclinatur ad objecta sensibilia, vel contra rationem, vel conformitèr rationi, *disput. 42. num. 3.*

Fomes dicitur peccatum, quia à peccato est, & in peccatum inclinat, *ibidem*.

Fomes non consistit in actuali motu appetitus sensitivi circa obiectum delectabile præter ordinem rationis, *disput. 42. num. 4.*

Fomes est in pueris baptizatis, & dormientibus, *ibidem*.

Fomes non consistit in qualitate morbida inclinante ad motus inordinatos, in nobis delicta ex peccato originali, *disput. 42. num. 6.*

Fomes peccati consistit in inclinatione appetitus, per modum actus primi, orta ex peccato, & in peccatum inclinante, vel consistit in inclinatione inordinata habituali appetitus sensitivi ad obiecta sensibilia præter ordinem rationis, *disput. 42. num. 8.*

Fomes peccati vltra inclinationem appetitus superaddit carentiam iustitiæ originalis, *disput. 42. num. 9.*

Fomes peccati est effectus peccati, non per se, sed per accidens, *disput. 42. num. 10.*

Fomes peccati exire potest, peccato non existente, *disput. 42. num. 11.*

Fomes peccati esset in natura, in puris naturalibus condita, *disput. 42. num. 13.*

Fomes in actu secundo non fuit in Christo de facto, *disput. 42. num. 18.*

Fomes peccati in actu secundo potuit esse in Christo de potentia Dei absoluta, *disput. 42. n. 22. & sequentibus.*

Fomes in actu primo non fuit de facto in Christo, *disput. 42. num. 35.*

Fomes in actu primo non fuit in Adamo in statu innocentiae, nec in B. Virgine, nec est in beatis, *ibidem*.

Fomes in actu primo potuit esse in Christo de potentia Dei absoluta, *disput. 42. num. 36.*

G

GRATIA.

Gratia habitualis non sanctificat ex natura rei, *disput. 41. num. 15. disput. 52. per totam.*

Gratia dupliciter accipitur; primo in esse qualitatis. Secundo, in esse gratiæ. Primum modò, est gratia materialiter. Secundo modò, est gratia formaliter, *disput. 41. num. 47.*

Gratia habitualis est acceptatio habitualis, *disput. 46. num. 2.*

Gratia habitualis dat operibus valorem, & condignitatem ad præmium, *disput. 46. num. 3.*

Gratia habitualis est principium meriti de potentia ordinaria, *disput. 51. num. 78.*

Gratia habitualis est de facto constitutiva filiationis adoptivæ, *disput. 52. num. 9.*

Gratia habitualis solum ex ordinatione Divina, & moraliter constituit filium Dei adoptivum, *disput. 52. per totam.*

Gratia habitualis non distinguitur formali-

tèr à charitate, sed solum secundum diversos respectus, *disput. 52. num. 103.*

Gratia dicitur gratia relatione ad subiectum; relatione verò ad actum dicitur charitas, *ibid.*

H

HABITVS.

Habitus charitatis in via, & in patria idem est, *disput. 48. num. 57.*

HUMANITAS.

Humanitas Christi non habuit, nec habere potuit omnipotentiam à se, *disput. 38. num. 2.*

Humanitas Christi non fuit simpliciter omnipotens, *disput. 38. num. 4.*

Humanitati Christi convenit proxima impeccabilitas ratione negationis concursus indifferents, *disput. 41. num. 325.*

Impotentia peccandi conveniens humanitati Christi, non est physica philosophicè, nec Theologicè, sed moralis Theologicè, *disput. 41. num. 327. 328. & 329.*

Casu, quo humanitas assumeretur à Verbo, propria personalitate retenta, posset peccare in sensu composito, & diviso vnionis, & etiam peccato impediente primam existentiam vnionis, *disput. 41. num. 342.*

Casu, quo natura Verbo vniretur media propria personalitate, posset peccare, peccato cum vnione composito, & in sensu diviso vnionis, sive peccato dissolvente vnionem, sive vnionem impediente, *disput. 41. num. 345.*

Si in humanitate ante assumptionem ad Verbum habitus vitiosi proprijs actibus acquisiti præcederent, posset humanitas Verbo vniri, habitibus vitiosis retentis, & cum vnione compositis, *disput. 42. num. 60.*

Humanitas Christi non sanctificatur infinite à Verbo, *disput. 45. num. 55.*

Humanitas potest dici prædestinata ad vnionem hypostaticam propriè, adæquatè, absolute, & simpliciter, *disput. 55. num. 29.*

Humanitas Christi potest dici prædestinata ad gloriam, & filiationem Dei naturalem propriè, *disput. 55. num. 26.*

Humanitas Christi fuit priùs prædestinata ad gloriam, quam ad vnionem hypostaticam, *disput. 55. num. 45.*

I

IGNORANTIA.

Ignorantia est duplex, vna positiva, vt error; altera negativa, quæ est defectus scientiæ, *disput. 44. num. 2.*

Ignorantia positiva est duplex, vna speculativa, quæ scientiæ speculativæ opponitur; alia practica, quæ peccatū regularitèr antecedit, *ibid.*

Ignor-

Ignorantia negativa est duplex, vna est, quæ debita est alicui subiecto, & vocatur privativa, alia, quæ non est debita subiecto, & vocatur negativa, *ibidem*.

Ignorantia privativa est verè, & propriè ignorantia; non verò negativa, *ibidem*.

Ignorantia negativa vocatur nescientia, *ibid.*

Ignorantia privativa moralis est peccatum, *disput. 44. num. 3.*

Ignorantia positiva, quæ est error practicus, licet peccatum non sit, est tamen causa peccati, *disput. 44. num. 4.*

INFINITIVM.

Vnum infinitum non est maius alio, *d. 45. n. 20.*

Duplex infinitum simpliciter in eodem genere repugnat, *disput. 45. num. 65.*

De ratione infiniti simpliciter in aliquo genere, est secum identificare omne possibile in illo genere, *ibidem*.

Infinitum est incomparabile, *disput. 45. n. 69.*

Infinitum de se habet excludere rationem partis, *ibidem*.

INSTRUMENTVM.

Instrumentum dividitur in phisicum, & morale. Phisicum est, quod phisico influxu operatur effectum, motum tamen à causa principali. Morale est, quod operatur effectum, excitando alium, vt illum phisicè operetur, *disput. 39. n. 13.*

Instrumentum phisicum attingit effectum proximè, & immediatè. Morale verò, remotè tantum, vel mediatè, *ibidem*.

Instrumentum artificiale, & naturale mediat inter effectum, & causam principalem, *disput. 40. numer. 174.*

Instrumentum morale, non in genere morali, sed comparativè ad causam principalem phisicam, non mediat inter effectum, & causam principalem, *ibidem*.

Instrumenta artificialia, & naturalia, sunt eiusdem generis cum causa principali; non verò instrumentum morale comparativè ad causam principalem, *ibidem*.

I R A.

Ira est actus appetitus sensitivi, *disput. 42. n. 2.*

L

LIBERTAS.

Libertas remota est sufficiens ad meritum absolutè, & simpliciter loquendo, *disput. 48. n. 84. disput. 49. num. 6.*

Libertas remota in nobis non sufficit ad meritum, sed proxima requiritur, *disput. 49. num. 8.*

M

MERITVM.

Meritum Christi in genere phisico est finitum, *disput. 45. num. 2.*

Meritum Christi habuit valorem quemdam infinitum, *disput. 45. num. 3.*

Meritum Christi non est simpliciter infinitum, *disput. 45. num. 8. & sequentibus.*

Meritum Christi in esse valoris, & in esse meriti, fuit infinitum secundum quid tantum, nempe, in infinitate ordinis, & negativa, *disput. 45. num. 177. & sequentibus.*

Meritum non arithmeticè, sed geometricè tantum crecit ad dignitatem personæ operantis, *disput. 45. num. 180.*

Meritum de condigno ex se independentè ab acceptatione, vel pacto, habet condignitatem ad præmium, *disput. 46. num. 1.*

Meritum de condigno ex se independentè à pacto, vel acceptatione, est dignum præmio dignitate æqualitatis, seu proportionis eù præmio, *ibid.*

Meritum habens vim obligandi Deum ad præmium retribuendum, est dignum præmio dignitate iustitiæ, *ibidem*.

Meritum habet valorem, & condignitatem ad præmium à gratia habituali, *disput. 46. num. 3.*

Conditiones ad meritum requisitæ sumuntur ex parte actus, ex parte merentis, & ex parte illius, apud quem meremur, *disput. 48. num. 2.*

Ex parte actus requiritur, quod sit bonus honestus, liber libertate contingentie, & proportionatus cum præmio, *disput. 48. num. 2.*

Istæ conditiones sunt ita necessaria, vt nec Divinitus supplere possunt, *ibidem*.

Ex parte merentis duæ conditiones requiruntur, scilicet, quod merens sit in statu gratiæ, & viatoris, *disput. 48. num. 4.*

Status gratiæ est conditio ad meritum, ex natura rei requisita, *ibidem*.

Status viatoris nõ ex natura rei, sed ex Deivoluntate requiritur, est quæ à Deo dispensabilis, *ibid.*

Ex parte illius, apud quem meremur, requiritur promissio præmij sub conditione operis faciendi, quæ habet rationem pacti, & indispensabiliter requiritur, ad obligandum Deum, vt ex iustitia propriè dicta præmium conferat, *d. 48. n. 6.*

Meritum est ordinatus motus circa Deum, volendo ipsi bonum, *disput. 48. num. 14.*

Meritum est in parte superiori, *ibidem*.

Radix omnis meriti est in voluntate, secundum affectionem iustitiæ, non secundum affectionem commodi, *ibidem*.

MIRACVLVM.

Miraculum est opus præter communem ordinem rerum factum, quod excedit omnem virtutem causarum naturalium, *disput. 39. num. 1.*

Miraculum dupliciter potest excedere virtutem naturalem, scilicet, in substantia actionis, & in modo de quibus, & eorum exempla, *d. 39. n. 1.*

O

OMNIPOTENTIA.

Effectus formalis omnipotentie per modum formae, est reddere subiectum formaliter omnia potens, *disp. 38. n. 8.*

O R D O.

Character ordinis confert potestatem consecrandi ex ordinatione Divina, *d. 41. n. 18. d. 52. n. 48.*

P

PACTUM.

Pactum est promissio acceptata, & datur de facto, *disp. 46. num. 6.*

Pactum fuit necessarium, ut Christus obligaret ex iustitia Deum, ad remuneranda illius merita, *disp. 46. num. 10.*

PECCATUM.

Peccatum habituale grave non pugnat cum unione hypostatica, ab omni dono accidentali praecisa, nedum ex natura rei; verum nec de potentia absoluta, *disp. 41. num. 14. & sequentibus.*

Peccatum non reddit hominem iniustum, inimicum Deo, &c. ex natura rei, *disp. 41. n. 15.*

Peccatum habituale leve potest componi de potentia Dei absoluta cum unione hypostatica, *disp. 41. num. 89. & sequentibus.*

Peccatum actuale potest cum unione hypostatica componi, *disp. 41. num. 118. & seqq.*

PERSONA. PERSONALITAS.

Personalitas in creatis non est conditio ad agendum, ex vi actionis petita; sed ex indigentia naturae, *disp. 41. num. 231.*

Personalitas in Divinis respectu productionum ad extra, non est conditio ad agendum, ex vi actionis petita, *ibidem.*

Personalitas in Divinis respectu productionum ad intra, est conditio ad agendum, ex vi actionis petita, *disp. 41. num. 232.*

Personalitas praecedit actiones naturae, praecedentia naturalis praesuppositionis, *disp. 41. n. 242.*

Casu, quo persona creata uniretur cum existentia Divina immediatè, non posset peccare in sensu composito unionis, nec in sensu diviso, nec peccato destruentè unionem, nec illius existentiam impediente, *disp. 41. num. 347.*

PRÆDESTINATIO.

Prædestinatio dupliciter accipitur, & vtraque acceptio explicatur, *disp. 55. num. 1.*

Prædestinatio, vna est absoluta, & alia respectiva, *disp. 55. num. 2.*

Ad prædestinationem respectivam quatuor conditiones requiruntur, & quales sunt, *d. 55. n. 3.*

Prædestinatio est actus liber prædestinantis, *disp. 55. num. 23.*

Prædestinatio importat antecessionem ad terminum prædestinationis, *disp. 55. num. 24.*

POTENTIA.

Potentia proxima, & remota differunt extrinsece tantum, *disp. 41. num. 275.*

PROPRIETAS.

Proprietas naturae identificatur realiter cum illa, *disp. 38. num. 7.*

Proprietas vnius naturae nequit alteri nature convenire, *ibidem.*

R

RELATIO.

Relatio essentialiter magis per ordinem ad terminum explicatur, quam per ordinem ad subiectum, vel fundamentum, *disp. 48. num. 39.*

Duae relationes solo numero distinctae, possunt esse naturaliter in eodè subiecto, *d. 48. n. 38.*

S

SATISFACTIO.

Satisfactio Christi fuit opus phisicè finitum, *disp. 45. num. 2.*

Satisfactio Christi habuit valorem quandam infinitum, *disp. 45. num. 3.*

Satisfactio Christi non fuit simpliciter infinita, *disp. 45. num. 8. & sequentibus.*

SINGVLARE. SINGVLARITAS.

Singulare in creatis, & Divinis respectu operationum ad extra, est principium quod elicitivum operationum, *disp. 41. num. 230.*

Singularitas in creatis, & in Divinis respectu productionum ad extra, est conditio ad actiones naturae, ex vi actionis petita, *disp. 41. num. 231.*

SPIRITVS SANCTVS.

Si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, Spiritus Sanctus, in quantum homo, esset filius Dei adoptivus, *disp. 54. num. 70.*

Si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, nullo modo esset filius naturalis Dei, *d. 54. n. 71.*

Si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, Spiritus Sanctus, in quantum homo, esset filius Dei, filiatione fundata in creatione humanitatis, *disp. 54. num. 73.*

SVBSISTENTIA.

Subsistentia realitèr distinguitur à natura,
disput. 41. num. 237.

T

TIMOR.

Timor est actus appetitus sensitivi, *d. 41. n. 2.*

TRISTITIA.

Tristitia est actus appetitus sensitivi, *d. 42. n. 2.*

V

VERBVM.

Verbum Divinum, vt in humanitate subsistens, diceretur peccator per extrinsecam denominationem, si Christus peccaret, *disput. 41. num. 57.*

Verbo Divino non incumbit obligatio per legem obligantem regendi humanitatem, *disput. 41. num. 177.*

Verbo Divino incumbit obligatio regendi humanitatem, quatenus Pater est, & Provisor, *ibidem.*

Verbo Divino non tribueretur peccatum, si Christus peccasset, *ibidem.*

Verbo Divino incumbit aliqua specialis obligatio regendi humanitatem, *disput. 41. num. 184.*

Verbum Divinum diceretur denominativè peccare, si peccaret Christus, *disput. 41. num. 192.*

VNIO HYPOSTATICA.

Vnio hypostatica ab omni dono accidentali præcisa non repugnat cum peccato gravi habituali, nedum ex natura rei, verum nec de potentia absoluta, *disput. 41. num. 14.*

Vnio hypostatica non est forma formalitèr sanctificans, *disput. 41. num. 21.*

Vnio hypostatica potest de potentia absoluta componi cum peccato habituali levi, *disput. 41. num. 89.*

Vnio hypostatica non habet connexam beatitudinem, *disput. 41. num. 124.*

Vnio hypostatica non est ratio impeccabilitatis proximæ respectu humanitatis Christi, *disput. 41. num. 325.*

Vnio hypostatica non est perpetua ex natura rei, sed solum ex mera Dei voluntate, *disput. 51. num. 36.*

Vnio hypostatica est perfectior beatitudine quo ad actum primum, *disput. 55. num. 73.*

VOLVNTAS.

Voluntas est proprietas naturæ rationalis, *disput. 42. num. 1.*

FINIS.



nalis: ergo à proprietate personali de-
 bet tanquam à ratione formali præ-
 tari. At qui hæc distinctio prætarur
 à filiatione sub conceptu radicis spi-
 rationis: ergo filiatione sub conceptu
 radicis spirationis est proprietates per-
 sonalis filii: ergo filiatione sub conceptu
 radicis spirationis est constitutiva per-
 sonæ filii. At qui falsum est, quod filia-
 tio sub conceptu radicis spirationis sit
 constitutiva personæ filii: ergo ruit ro-
 ta III. God. Antecedens cum
 consequentia est III. God. n. 53. Sullup
 ta subsequens est alia illius solutio. Pri-
 ma consequentia est legitima. Secun-
 da ex prima inferitur: nam proprietates
 personæ filii est personæ filii conti-
 nutiva.
 Sumpta vero secuta probatur pri-
 mo: falsum est, quod ratio constitutiva
 filii in ratione spiratiui, sit ratio consti-
 tutiva filii in ratione spirationis est consti-
 tutiva filii in ratione spiratiui: ergo fal-
 sam est, quod filiatione sub conceptu ra-
 dicis spirationis sit constitutiva personæ
 filii. Consequentia est legitima. Maior
 certa videtur: nam falsum est, quod ra-
 tio constitutiva Essentiæ Divinæ in ra-
 tione productivæ sit ratio constitutiva
 Essentiæ Divinæ, ut Essentia est: & ex
 hoc in mille exemplis. Minor probatur:
 filius in ratione spiratiui constituitur
 per aliquid: sed non per aliud, quam
 per filiationem sub conceptu radicis
 spirationis: ergo filiatione sub conceptu ra-
 dicis spirationis est constitutiva filii in ra-
 tione spiratiui. Probatur secundo: susti-
 ra: filiatione sub conceptu expresse filiatione
 nis est constitutiva alicuius: sed non alicui-
 us, quæ personæ filii: ergo falsum est, quod
 filiatione sub conceptu radicis spirationis
 sit constitutiva personæ filii. Tertio:
 prius intelligitur filius in ratione filii
 constitutus, quam intelligatur spirati-
 vus: ergo pro priori ad filiationem sub
 conceptu radicis spirationis est filius in
 esse filii constitutus: ergo falsum est, quod
 filiatione sub conceptu radicis spirationis
 sit constitutiva filii.
 Secundo impugnatur solutio præ-
 dicta: filiatione sub conceptu radicis spi-
 rationis non est ratio constitutiva filii
 in esse filii: ergo nec ratio distinctiva fi-
 lii in esse filii: ergo ruit solutio. Secun-
 da autem, supposita antecedenti, est
 ma autem, supposita antecedenti, est

verissima, illamque tenet III. God. disp.
 96. n. 53. ubi affirmat: principium col-
 lectivum esse distinctivum, quod ratio
 ne, & auctoritatibus D. Thomæ ibi pro-
 bar. Antecedens, vero probatur: illa est
 ratio constitutiva filii in esse filii, quæ
 filium à Patre correlativè distinguit: sed
 filiatione sub conceptu radicis spirationis
 non distinguit correlativè filium à Pa-
 tre: ergo filiatione sub conceptu radicis
 spirationis non est ratio constitutiva fi-
 lii in esse filii. Maior, & consequentia
 tenent. Minor probatur: filiatione sub ex-
 presso conceptu filiationis distinguit cor-
 relativè filium à Patre: ergo filiatione sub
 conceptu radicis spirationis non distin-
 guit correlativè filium à Patre. Proba-
 tur antecedens: filius sub expresse con-
 ceptu filii, est Patri correlativus: ergo fi-
 liatione sub expresse conceptu filiationis
 distinguit correlativè filium à Patre.
 Impugnatur tertio: Conceptus ra-
 dicis spirationis per modum Verbi non
 est, per quem filiatione filium in esse filii
 personalièr distinguit ab Spiritu Sanc-
 to: ergo ruit solutio. Probatur antecce-
 dens: conceptus radicis spirationis per
 modum Verbi non est, per quem filius
 in esse filii personalièr constituitur: er-
 go conceptus radicis spirationis per mo-
 dum Verbi non est, personalièr distinguit
 filium in esse filii, personalièr distinguit
 ab Spiritu Sancto. Probatur antecedens:
 si conceptus radicis spirationis esset, per
 quem filius in esse filii personalièr col-
 lectivèr constituitur, conceptus radicis spirationis
 personalièr esset, per quem Pa-
 ter in esse Patris personalièr constitue-
 retur: & conceptus radicis spirationis
 per modum Essentiæ esset, per quem
 Essentia Divina in esse Essentiæ consti-
 tueretur: argui extraordinarium est, &
 ridiculum videretur, quod conceptus ra-
 dicis spirationis per modum Patris sit,
 per quem Pater in esse Patris persona-
 liter constituitur, & quod conceptus
 radicis spirationis per modum Essentiæ
 sit, per quem Essentia Divina in esse Es-
 sentiæ constituitur: ergo conceptus ra-
 dicis spirationis per modum Verbi non
 est, per quem filius in esse filii persona-
 liter constituitur. Maior paritate consi-
 rat: eadè enim est ratio. Minorè iudico
 certam, & consequentiam legitimam.
 Impugnatur quartò: filius in esse fi-
 lii non constituitur per filiationem sub
 conceptu radicis spirationis peculiarièr

Ill. Godoy
 tur 1.
 impuna-
 tur 1.
 Sumptra
 probatur
 Primo.
 81.
 Secundo.
 Tertio.
 82.
 Impugna-
 tur 2. solu-
 tio III. Godoy.
 84.
 Impugna-
 tur 4.

Antecedens patet pro Spiritu Sancto
nam supponitur realiter a filio produ-
cti; clarer etiam pro Patre; quia non
produccretur a filio; aliquando ad invi-
cem se producerent, quod repugnans
nec ab Spiritu Sancto, quia ante huius
productionem supponitur Patrem ef-
fere, & genitive filii; alia autem persona
non est: esset igitur Pater in data hypote-
si realiter impudens, Consequenter
si realiter impudens, Consequenter
vero probatur: omnino implicat, quod
id, quod est realiter productum, non dif-
tingatur realiter ab eo, quod est rea-
liter impudens, circumscriptura om-
ni productione, seu omni oppositione
relativa; sed iuxta concessa in data hy-
potesi Pater esset realiter impudens,
& Spiritus Sanctus esset realiter produc-
tus: ergo circumscriptura omni productio-
ne, seu omni oppositione relativa, a Pa-
tre realiter distingueret Spiritus Sac-
tus, in hypotesi, quod a solo filio pro-
cedat. Minor est concessa. Consequen-
tia legitima. Maior vero est evidens, &
demonstratur: omnino implicat, quod
id, quod est realiter productum, sit im-
pudens productum realiter, & contra: ergo
omnino implicat, quod id, quod est re-
liter productum, no distingatur rea-
liter ab eo, quod est realiter impudens
tum, circumscriptura omni productione,
seu omni oppositione relativa.

Probatur quarto ratione principia-
li Scotti ad hanc formam redacta: data
hypotesi haberet filius quid nunc
habet, excepta relatione Spirationis ac-
tive: ergo haberet realem distinctionem
ab Spiritu Sancto. Antecedens patet,
quia data hypotesi esset filius, ut suppo-
nitur. Consequenter probatur: nunc
non solum distinguitur filius ab Spiritu
Sancto realiter per Spiracionem acti-
vam, sed per filiationem; sed data hy-
potesi haberet filius quid nunc ha-
beret, excepta relatione Spirationis acti-
ve: ergo haberet realem distinctionem
ab Spiritu Sancto. Probatur maior: per
illud, per quod aliquid constituitur in
esse tali distinguitura quocumque non
tali; sed filius per filiationem constitui-
tur in esse filii: ergo nunc non solum
distinguitur filius ab Spiritu Sancto rea-
liter per Spiracionem activam, sed per
filiationem. Consequenter est evidens,
Minor patet: quia sicut Pater constituitur
& non per Spiracionem activam, quod

hac est communis filio: ita filius conf-
tituitur in esse filii, seu personaliter spi-
rationem, & non per activam spirato-
nem, eo, quod haec est P. ri commu-
nis. Maior vero ex principijs Methaphi-
sics claret: eadem enim sunt principia
constitutiva, & distinctiva. Primo: quia
eo, quo aliquid est ens, est unum unita-
re convenienter tali enti. Secundo: quia
vnum est indistinctum in se, & distinc-
tum a quolibet alio.

Ad hoc principale argumentum,
relictis aliorum solutionibus, respon-
det Ill. Codoy num. 58. negando con-
sequenter, ad cuius probationem dis-
tinguitur maior: sed etiam per filiatio-
nem filius realiter distinguitur ab Spi-
ritu Sancto sub expressio filiationis con-
ceptu, quo refertur ad Patrem negat
maiores; sub conceptu radicis spirato-
ris concedit maiorem: sic potest dis-
tingui minor: sed data hypotesi habe-
ret quid quid nunc habet sub concep-
tu expressio filiationis, quo refertur ad
Patrem concedit minorem; sub concep-
tu radicis spiratoris negat minorem, &
consequentiam.

Si autem contra solutionem oppo-
nans: quod relatio spiratoris non potest si-
licet ab eo, quod est realiter impudens
tum, circumscriptura omni productione,
seu omni oppositione relativa.

Probatur quarto ratione principia-
li Scotti ad hanc formam redacta: data
hypotesi haberet filius quid nunc
habet, excepta relatione Spirationis ac-
tive: ergo haberet realem distinctionem
ab Spiritu Sancto. Antecedens patet,
quia data hypotesi esset filius, ut suppo-
nitur. Consequenter probatur: nunc
non solum distinguitur filius ab Spiritu
Sancto realiter per Spiracionem acti-
vam, sed per filiationem; sed data hy-
potesi haberet filius quid nunc ha-
beret, excepta relatione Spirationis acti-
ve: ergo haberet realem distinctionem
ab Spiritu Sancto. Probatur maior: per
illud, per quod aliquid constituitur in
esse tali distinguitura quocumque non
tali; sed filius per filiationem constitui-
tur in esse filii: ergo nunc non solum
distinguitur filius ab Spiritu Sancto rea-
liter per Spiracionem activam, sed per
filiationem. Consequenter est evidens,
Minor patet: quia sicut Pater constituitur
& non per Spiracionem activam, quod

Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79. Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

80. Impugnatur primo haec solutio ad
hominem contra Ill. Godoy: distinctio
reals Est; ab Spiritu Sancto est perso-

na-
Solutio
80.
Impugnatur primo
Impugnata illius solutio,
amplius est
impugnanda venit.
nata.
Impugnatur primo
80.
Impugnatur primo
Impugnata illius solutio,
amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

79.
Correctum haec solutio Ill. God. in-
quit ab Spiritu Sancto.

79.
Ceterum haec solutio Ill. God. in-
tegre sumpta impugna manet per di-
sta n. 53. usque ad 56. ubi ostendimus,
filiationem non esse radicem spirato-
nis activae, & presertim ad homine con-
tra ipsum num. 56. declaravimus; licet
tamen per ibi dicta maneat radicaliter
impugnata illius solutio, amplius est
impugnanda venit.

76.
4. ratio
Scotti.



Ex lib.
Cart. D.
Num. 7.

1.144